


NEDL TRANSFER




HN 39LB +


7/24/21
KF 31207







DISSERTATIO
HYPATICA
SEU
DE CONSULIBUS
CÆSAREIS.



DISSERTATIO HYPATICA

S E U

DE CONSULIBUS CÆSAREIS.
EX OCCASIONE INSCRIPTIONIS
Forojulienſis Aureliani Auguſti.

I N Q U A

CÆSARUM ET AUGUSTORUM CONSULATUS
Ordinarii, eorumque Decennalia & id genus feſta regulis
hactenus nemini obſervatis declarantur; perpetui verò, tam
cum Imperii, quàm cum Eræ Chriſtianæ annis, juxta accuratam
Chronologiam connexi, nunc primùm de integro digeruntur:
Faſtis Conſularibus Romanis ex parte: Byzantinis ex toto,
extremâ manu admotâ.

*Accedunt Quæſtiones Selectæ de Conſulatibus designatis, ſuffectis, honorariis,
dimidiatis; Poſtconſulatibus, Imperio Aureliano, aliſque Chronologiam
Cæſaream, ab Auguſto ad Conſtantinum uſque Porphyrogenitam,
non parùm illuſtrantibus.*

AUCTORE R. P. ANTONIO PAGO, ORDINIS
Minorum Conventualium S. Franciſci Doctore Theologo.



LUGDUNI,

Sumptibus ANISSONIORUM, ET
JOANNIS POSUEL

M. DC. LXXXII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

K F 31207



53*137



Nobilissimo, Amplissimoque Domino,
DOMINO LUDOVICO
DE THOMASSIN,
D. DE MAZAUGUES,
ET D'ESPIN, IN SUPREMA
Gallo-Provinciæ Curia Senatori
integerrimo.

FR. ANTONIUS PAGI.



ANNALIUM Ecclesiasticorum Continuationi, rebusque hoc seculo gestis totus intentus, ab obsoletis Antiquitatis monumentis, & quocumque alio studio alienissimum animum habebam, SENATOR AMPLISSIME, cum qua familiari colloquio de Inscriptione Foro-Julienſi Aureliani Augusti à viro clarissimo Iosepho Antelmio, non minus doctrinâ,
à 3 *quàm*


quam humanitate praestanti, ad me Foro-julio missâ,
tecum differueram; ut Orbi Litterario proponerem,
voluisti. Parui lubens, repugnantiam enim omnem
vicit summus meus in te amor, & observantia; quam
cupio esse singulis notâ, sicuti tua in me publica sunt
beneficia. Occasionem itaque egregia illius animi tui
in juvandis Eruditorum laboribus virtutis, Poste-
ritati consecrandâ arripio: Neque equum, ut dum
ad rerum veterarum memoriam post longam rerum
seriem ab oblivione restituendam, omnem confers
operam, hac ipsa in tenebris jaceat. Domum tuam
honestis artibus & studiis hospitium, ac portum Lit-
teratis tutissimum esse voluisti; & quam à prima
aetate ad res optimas propensionem exhibuisti, tot
quotidie argumentis declaras, ut quasi alter Pei-
reskius, qui tantam in fovendis litteris, quan-
tam post hominum memoriam nullus consecutus
est gloriam, ab omnibus jure meritò habearis. Bi-
bliothecam libris graecis, latinisque refertissi-
mam ingenti cura, summisque expensis instituisti,
non ad speciem, ut multi, sed ad usum; tam Do-
ctorum virorum, quam tuum; quod scires in hac
Gallo-Provincia magis deesse libros, quam ingenia.
Iis luculenter exerit se beneficentia tua, & illorum
vota pratergrediens, libris, quibus indigere praes-
sentis, vel nullibi reperiuntur, vel sicubi, nullis
parcens

parcens sumptibus diu eos privari non sinis : quod quoties à te erga me præstitum , non nisi cum magno pudore dicere possem. Non ego hîc Natalium splendorem , divitiarum abundantiam , cæteraque id genus natura , vel fortuna bona , quibus à Deo cumulatus , commemorabo ; cum non me lateat , hac omnia , aliorum pretio cara , tuo esse vilissima. Scis enim SENATOR AMPLISSIME , ubi vera sit gloria , & qua homines ambitionis æstu inflammati venantur , aliquando obscuraturam ac consumpturam oblivionem ; solumque animum horum contemptorem , nominis aternitatem mereri. Quid mirum igitur si eius amore generosum pectus tuum plenum , nihil eorum qua eruditionem multis indigam , ad robustam quandam maturitatem provehere tandem possint , prætermittat : Aspice , quod de Sapientia dicebat Tertullianus , ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri granum : est primum , & ex grano frutex oritur , è fructu arbuscula emittitur ; deinde rami , & frondes convalescunt ; inde germinis tumor , & flos de germine solvitur ; & de flore fructus aperitur : is quoque rudis aliquando , & informis paulatim a tatem suam dirigens eruditur in mansuetudinem : Sic Eruditio post Constantinopolim captam , renata veluti fructus , seu granum parvulum fuit , quod litteratorum laboribus , &

Bibliothe

Bibliothecarum ope paulatim adolevit. Saeculo proximè elapso in arbustum quoddam tot eximiorum librorum editione excrevit, nostròque tandem in ramosa multiplicis cognitionis brachia protensa est, & nummis, Inscriptionibus, & id genus aliis in truncum solidata. Eorum certè usus magno mihi auxilio fuit; nulla enim certior ad difficultates enodandas via, si cum accurata antiquorum Scriptorum lectione conjungatur. Quam necessariam copulam qui dissolverit, res magis obscurabit, quàm explicabit. Novum probationis genus, sed firmissimū; sicut enim, licet belli gerendi leges, & politica administrationis rationes eadem, quæ olim, hodie sint; tam varia tamen Armorum ac Institutorum disciplina est, ut si ea ignoretur, vix cuiquam res ex sententia procedere possint: Sic Eruditio, quæ omnis Antiquitatis memoria continetur, nova hac subsidiorum copia indigebat, cum non nisi eorum beneficio rerum abstrusarum, & superioribus sæculis, aut omissarum, aut non satis clarè traditarum, plena cognitio comparari queat. Patère igitur, SENATOR AMPLISSIME, ut hoc opusculum ea varietate adornatum, omnibus beneficentiam tuam referat, prædicet virtutem, commendet humanitatem; interimque id obsequii quod tibi ex animo defero, boni consule. Vale. Datum Aquis-sextiis Kalend. Septemb. anno 1682.

PROLO



PROLEGOMENA.



NIUS Epigraphes explicationis occasione, tria hæctenùs parùm cognita, hac in dissertatione, AMICE LECTOR, habes; accuratam nempe Consulatum designatorum & suffectorum à Cæsaribus & Augustis gestorum tractationem: ordinariorum ab iisdem assumptorum Rationarium: ac perpetuorum, quæ impossibilis videbatur, certam ordinationem. Primum variis historiæ Augustæ Scriptorum locis, quibus viri eruditissimi in errorem inducti fuère, lumen affert: Alterum novam Fastorum Consularium Romanorum ab Augusto Imperatore ad Justinum Juniorem, in quo desiêre, illustrationem; ac Consulatum Cæsareorum cum Decennialibus & id generis Festis, Triumphis, Ludis secularibus, & insignioribus Imperatorum factis connexionem exhibet. Postremum difficultates, quæ in Fastis Byzantinis digerendis occurrebant, tollit, eorumque usum jam à multis seculis, summò Chronologiæ detrimento, intermissum revocat.

In Fastis porrò ordinandis initium ac finem Imperatorum, à quibus res magni momenti non rarò
pendent

I.

*Consilium
authoris.*

II.

*Tribus
Chronolo-*

PROLEGOMENA.

*gia Eccle-
siastica in-
diger.*

pendent, exactè consignavi. Jamdiù enim animad-
verti, ab Ecclesiasticæ Historiæ studiosis, quibus
præsertim scribo, tria maximè desiderari: Consu-
lum scilicet, Imperatorum, & Romanorum Ponti-
ficum seriem, in qua doctrina temporum non labe-
factetur. Duo priora hîc exhibere conor, & licèt
argumenta, quibus Cæsarea Chronologia certa red-
ditur, Operis brevitate id non patiente, ubique
non afferam: in alio tamen opere, quæ in isto de-
sunt, supplebo. Quoad tertium Daniel Papebrocius
clarissimus eruditissimæ Societatis JESU Scriptor,
unius ex ultimis tomis Sanctorum mensis Maii
quamprimùm in lucem edendis initio Catalogum
Chronologicum Summorum Pontificum præfiget,
quod nobis, ne eum in mensem Junium differret,
enixè rogantibus, se facturum per literas significa-
vit. Tribus his præsiidiis fulta Chronologia, post
Herculeos doctorum virorum labores in multis
adhuc rudis & imperfecta novam faciem induet,
longèque purior evadet.

III.
*Hæc disser-
ratio sup-
plementum
Fastorum
Onuphrii.*

Opus istud Fastorum ab Onuphrio Panvinio ma-
gni nominis viro digestorum supplementi instar erit.
Quæ enim diligentiam ejus subterfugerunt, aut quæ
ipse assequi non potuit, invenire & explicare conati
sumus. Is in pluribus non tam nobis spicilegium,
quàm integram messem reliquit: neque illi in men-
tem venit Consulatum Cæsareorum causas, quò
hac in dissertatione præcipuè collineamus, quæquæ
Fastis

PROLEGOMENA.

Fastis formam dare videntur, perscrutari. In iis itaque rimandis illud poëtae, absit verbo invidia, usurpare possum :

———— peragro loca, nullius ante
Trita solo : juvat integros accedere fontes,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores.

Lucret. lib.
4.

Præterea Onuphrius Fastos quidem Consulares Romanos, attentâ rerum, quæ tunc erat, obscuritate, diligenter digessit : sed cum ad Orientales, qui in Justino Juniore incipiunt, & in Constantino Porphyrogenita terminantur, pervenit, in iis ordinandis ita frequenter in errorem incidit ; ut neque Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, neque ullus Chronologus in Chronicis condendis, eos adhibendos esse censuerint ; quòd eam temporum rationem inconditam imperfectamque, nec quomodo restitui posset, viderent.

IV.
Fasti Byzantini nondum restituti ordinati.

Quam ex Decennialibus & id genus festis lucem historia Ecclesiastica ; scriptores historię Angustæ, Chronologia, Geographia, Nummographia, & Codex Theodosianus accipere possent, huc usque ignoratum. Propter eam integram eorum solemniū tractationem hic instituere decrevimus, præsertim cum sine iis fastorum ordinatio haud omnibus suis numeris absoluta sit, verum quidem est, non existimare nos in annis, quibus peracta sunt, assignandis, aliquando non errasse, sed quemadmodum non nisi

V.
Decennialibus fastis & Chronologia juvantur.

PROLEGOMENA.

pluribus navigationibus maris Indici insulæ detegi potuere ; ita non nisi pluribus disquisitionibus anni Decennialibus addicti deprehendi possunt. Regularum tamen à nobis traditarum beneficio deteguntur aliquando anni singuli, quibus ea festa celebrata sunt, sicque mirum in modum locupletabitur Chronologia hoc subsidio hæctenùs destituta: valdè enim falluntur, qui nullum adhuc in eruditione restare operis sibi persuadent. Plurimum egere qui fuerunt ante nos, inquit Seneca, sed non peregere: non præripuere illi quæ dici poterant, sed aperuere: subacta est materia, sed non consumpta: inventa inveniendis non obstant. Neque eruditio eum perfectionis gradum attingit, ut nihil ei amplius superaddi possit.

VI. Poterit hoc nostrum opus non tantùm doctis sed
*Hac differ-
entia erudi-
tio & semi-
doctis fru-
ctuosâ.* ipsis etiam tyronibus summæ utilitatis esse, dummodo quibus tota temporum doctrina innititur, principia non ignorent; advertantque, annos Imperij Principum Romanorum in nummis & inscriptionibus expressos Tribunitiæ potestatis annis designari, quartamque v.g. Aureliani Imperatoris Tribunitiam potestatem quartum Imperij ejus annum exhibere.

VII. Authores tam antiquos quàm recentes, in fonte, ut aiunt, legi, quòd utrosque viderim etiam à viris eruditis aliquando perperam adduci, aut malè citari. In Eusebio, cæterisque historicis Ecclesiasticis laudandis, Henrici Valesij editione, uti prioribus exactio

PROLEGOMENA.

exactiori usus sum; & Græcorum versionibus, ubi ambiguarum, aut ad sensum authorum non penetrantes visarum, alias substitui. Non tantum porro ægrè non patiar, sed etiam æquo lubentique animo accipiam, quod errores in quos incidere contigerit, detegantur & confutentur. Neque enim ad decipiendum nati sumus, valdeque refert, ut magnorum etiam virorum, quorum labores miramur, quibusve ditescimus, lapsus in manifestam lucem producantur, ne eorum auctoritate lectores permoti, quod fugere debuerant, incaute amplectantur. Eo animo quæ in aliis Auctoribus à vero aliena videbantur, impugnavi. Difficultates ab iis intermissas, vel non satis discussas ad conjecturam, & è conjectura ad scientiam revocare enixus sum: ac quasdam aperui, quæ à doctioribus solvi poterunt. His prætermisissis ad ea quæ vel addenda vel corrigenda visa sunt, venio.

In finem cap. 5. primæ partis hujus dissert. Hoc addendum. Ex Consulatu suffecto à Gallo, antequam Imperium consequeretur, gesto, ut ostendit vetus inscriptio apud Onuphrium: ACTUM PR. KAL. AUG. IMPP. NN. GALLO. AUG. II. ET VOLUSIANO AUG. COS S. quo anno S. Isidorus martyrio in insula Chio affectus sit à Decio Imperatore, detegimus. Papebrocius vir eruditissimus die nona Maii, quando ejus acta illustrat, dicit, in fine duorum exemplarium manuscriptorum, quorum alter in Bibliotheca Vallicellana, alter in Vaticana asservatur,

VIII.

*Consulatu
suffecto gal-
li annus e-
mortalis
S. Isidori
desectus.*

PROLEGOMENA.

utrobique legi: *depositus est B. Isidorus pridie Idus Maias, Gallo & Ulpiano Coss. addereque Vaticanum, sub Decio Imperatore, Baronium quia in Fastis Ulpianum non reperit, legisse Gallum & Volusianum, quorum Consulatus annum 252. indicat. Tandemque concludit Papebrocius, martyrium illud contigisse anno Christi 251. sub cuius finem existimat, Gallum non tantum Imperatoris; sed etiam Consulis titulum assumpsisse post occisum scilicet Decium: factum autem fuisse, ut qui Decij abominabantur memoriam, annum 251. signaverint nominibus Galli & Ulpiani; quamvis extrema solum anni parte magistratu functorum. Quod secutus is qui scripturis S. Isidori Passionem primus materiam subministravit, eosdem Consules etiam expresserit, addiderit tamen *sub Decio Imperatore*, ut hoc etiamnum vivente, & priusquam alij sufficerentur, res acta intelligeretur. Ita Papebrocius. sed hæc ejus sententia ex ipsismet, quæ refert, Isidori Actis, evertitur. Eorum enim initio legitur: *anno primo, quo imperare cepit, Decium persecutionem in Christianos movisse, in eaque Isidorum occisum. Quare cum anno 249. circa mensem Julium Decius imperare cœperit; Consulatus ille susceptus à Gallo & Ulpiano anno sequenti mense Maio gestus: eodemque S. Isidorus neci traditus; sic enim imperante Decio, ac Gallo & Ulpiano Consulibus eum interfectum, verè in actis scriptum. Et profectò incredibile est, ut Author passionis Isidori, ob**

Decij

PROLEGOMENA.

Decij horrorem Consulum fuffectorum post ejus mortem creatorum nomine eam notaverit, cum videamus Diocletiani, Maximiani, aliorumque Tyrannorum nominibus, tot martyrum acta consignari. Porrò Decium anno Christi 249. post mensem Maium dictum esse Imperatorem ex eo constat, quod in Codice Justiniano l. 1. de revocandis donationibus : Inscripta : *Imp. Philippus à Casimino*, hanc subscriptionem præferat : *datum XV. Kal. Jul. Emiliano & Aquilino Coss.* anno nempe Christi 249. Neque enim triginta menses, quod tradit Victor, imperare Decius potuit, nisi eo anno, mense Junio, aut Julio, Philippo successerit.

Pagina 73. de Clodovei Francorum Regis Consulatu loquentes non meminimus afferre sententiam Hadriani Valesij v. c. lib. 6. rerum Francicarum, omnibus, quas retulimus forsan probabiliorem. Existimat is, *Consulatus* nomine Patriciam dignitatem apud Gregorium Turonensem significari. Aimoinus enim Monachus in libro primo tradit, Anastasium principem in Codicillis ad Clodoveum missis subscripsisse, sibi & Senatoribus placuisse, ut amicus & Patricius Romanorum appellaretur : & Carolum Majorem domus, qui in brevi veterique Chronico de Visigothorum rebus, Francorum Rex ac Patricius urbis Romæ fuisse dicitur, Fredegarius à Gregorio Papa hujus nominis II. adversus Leonem Imperatorem ipsi ob defectionem infensum & Luitprandum Langobar

IX.
*Clodovei
Consulatus
à Patricia-
tu non di-
versus.*

PROLEGOMENA.

gobardorum Regem auxilium petente, ac Imperatorias sibi partes sumente, *Consulatum Romanum* consecutum esse tradit. quin & nepotem ejus ex Pipino quoque Patricio Carolum magnum Francorum Regem, qui quemadmodum Carolomanus frater, Patricius fuit, Godiscalius in præfatione libri Evangeliorum *Consulem* appellat. Præterea Cassiodorus in variarum libro 8. epist. 9. Chlamydem, calceosque Romanos inter insignia Patriciatûs numerat, licet in formula insignium Consularium nullam de iis mentionem habeat. Neque mirari convenit, Clodoveum ab Anastasio Imperatore Patricium factum esse, cum Odoacer & Theodoricus alter post alterum Italiæ Reges à Zenone Imperatore Patriciam dignitatem pro summo munere acceperint; & Sigismundus Burgundionum Rex ab eodem Anastasio Magister militiæ, Patriciusque creatus sit.

X.
*Legatio
Constanti-
ni ad Ho-
norium quo
sanno acci-
dit.*

Pagina 173. diximus, Constantinum Tyrannum, anno quadringentesimo octavo, Legatos ad Honorium Imperatorem misisse, annoque sequenti Consulatum sumpsisse. Zosimus tamen lib. 5. pag. 818. legationem eam Honorio & Theodosio III. Consulibus, anno nempe Christi quadringentesimo nono contigisse scribit: quare id minimè in dubium vocandum, existimandumque, eodem anno, post Legatorum reditum, Constantinum Collegam se Honorij in Consulatu dixisse. Neque enim verisimile, Constantinum, antequam Imperatoriam vestem, quod

P R O L E G O M E N A .

quod docet ibidem Zosimus, ipsi Honorius misisset, hujus Imperatoris in Consulatu Collegam se dicere ausum esse.

Pagina 187. diximus, Honorium Imperatorem immeritò reprehendi, quòd anno Christi quadringentesimo quarto ludos seculares celebrarit; eosque post annum millesimum Urbis amplius peractos non esse. Videor mihi id evidenter deducere ex Zosimi silentio. Is initio libri 2. de Ludis secularibus loquens ait, oraculum tradidisse salvum fore Romanorum Imperium, Urbemque bellis & morbis liberandam, si Diti patri & Proserpinæ rem sacram facerent, quod in ludis secularibus peragi solitum docet. Tum postquam de prioribus locutus est, inquit; *cùm rursùs adversi quidam casus accidissent, Octavianus Augustus ludos instauravit, factos illos quidem ante L. Censorino & M. Manlio Puelio Coss.* (loquitur de quartis ludis secularibus, quos celebratos credit anno Urbis 605.) *tunc autem L. Censorino, & L. Sabino* (supple consuli- bus, anno Urbis 705. licet Censorinus cap. 17. exhibitos scribat, anno Urbis 737.) *post Augustum Claudius ludos celebravit, numero præstitutorum annorum neglecto. Post eum Domitianus, Claudio valere jussu, numeratoque ambitu annorum, ex quo ludos Augustus fecisset, traditam ab initio legem servare visus est. Secundum hos Severus cùm anni CX. jam adpetiissent; cum filiis, Antonino & Geta, ludos eosdem ordinavit, Chilone Liboneque Coss..... Igitur rectè, sicut Oraculum tradit &*

X I.
Ludi seculares ab Honorio Imp. non celebrati.

PROLEGOMENA.

ipsa res exigit, hæc omnia suo modo ac ritu peragerentur: saluum erat Romanum Imperium, & uniuersum propè dixerim orbem nostrum perpetuò sibi subiectum habebant. Iisdem verò ludis neglectis, cùm Imperio se Diocletianus abdicasset: paulatim quasi deliquit, tacitèque redactum est ad barbariam majori ex parte; sicuti res ipsæ testantur. Libet autem ejus quod dico veritatem, de temporibus ipsis probare. Nam à Consulatu Chilonis & Libonis, quo Severus ludos seculares exhibuit, usque ad Diocletiani nonum, Maximiani octauum Consulatum, centum & unus annus elapsi fuerunt. Ac tunc quidem privatus ex Imperatore Diocletianus factus est; cujus exemplum Maximianus est secutus. Verum Constantino & Licinio tertium Coss. centum & decem annorum tempus integrum aderat, quo jam ludos consueto more celebratos oportuit. Eo verò non observato, ad infecilitatem illam res prolabi necesse fuit, quæ hoc tempore nos urget. Cùm itaque Zosimus ludorum omnium secularium, qui post Augustum secundum antiquam institutionem celebrati sunt, mentionem faciat: imò annos memoret, quibus ii peragi debuere; ac nec quidem verbum habeat de ludis secularibus Honorio imperante habitis, licèt alterius ordinis non essent ab iis, de quibus loquitur: manifestè liquet, eosdem celebratos non fuisse; alioquin tantò magis de illis sermonem habuisset, quò sua ætate peracti fuissent. Scripsit enim historiam suam Zosimus post annum, Christi quadringentesimum vicesimum quintum,
cùm

PROLEGOMENA.

cùm citet Olympiodorum, qui historiam à septimo ejusdem Honorij Consulatu ad Placidij Valentianiani imperium, teste Photio in sua Bibliotheca, perduxerat. Quare si anno quadringentesimo quarto Honorius, ut vult communis opinio, ludos seculares edidisset: profectò rem tam à se exoptatam scribere non prætermisisset Zosimus; qui contrà eisdem imperante Honorio non fuisse actos insinuat, cùm his verbis suam narrationem absolvit: *eo verò non observato, (nempe consueto celebrandorum ludorum secularium more) ad infelicitatem illam res prolabi necesse fuit, qua hoc tempore nos urget.*

Baronius anno 249. num. 5. hunc Zosimi locum eludere conatur scribens: *notatur Zosimi impij, in Christianos insensissimi odium ac invidia, qui mendaciter nimis post Severum Imperatorem negat ludos seculares amplius instauratos; cùm constet sub Philippo Imperatore fuisse habitos: id Iulio Capitolino, antiquis nummis, aliisque inscriptionibus: id denique ex nostris Eusebio & Casiodoro apertè testantibus. Sed fortasse eos tacendos Zosimus existimavit, quòd à Christiano Imperatore cùm fuerint celebrati, non more majorum, ut Orosius testari videtur, immolatis sacrificiis diis, aliisque gentilitiæ superstitionis officii; sed editione tantùm munerum: cetera verò idololatriæ cultoribus Pontificibus agenda reliquerit. Nam & eadem ratione idem Zosimus sequentes tacuit ab Honorio Imperatore celebratos seculares ludos, sexto suo Consulatu, ut Claudianus testatur in panegyrico tunc à se scripto. Sed*

XII.

*Zosimus si-
let de ludis
secularibus
anni 404.
quia non
celebrati.*

P R O L E G O M E N A .

vana hæc responsio. Præterquam enim quod Philippus nondum Christianus erat, quando millesimum Urbis celebravit, ut aliàs demonstrabo; ludi ab eo editi alterius classis ac ordinis erant, quàm illi, de quibus locutus est Zosimus, quosque Honorius celebrasset. Quod ut melius percipiatur, observandum; Zosimum in ea opinione fuisse, ut existimarit Rempublîcã Romanam nullum detrimentum passam fore, quamdiu ludi secularis secundùm traditum à numine ritum, id est post centum & decem annos ederentur. Quam ob rem ipsum Sibyllæ oraculum integrum recitat, cujus hoc initium.

*Ast ubi mortalis longissima venerit ætas
Vita centenis denis redeuntibus annis;
Sis Romane memor, nec te ulla oblivia fallant:
Sis memor, ut facias diis immortalibus illo
Rem sacram in campo, &c.*

finis verò:

*Itala sic tellus omnis, tellusque Latina
Æternùm tua sceptrâ colet, tua jussâ capeffet.*

Quare cùm ludi à Philippo exhibiti Urbis centenariis responderint, seu iis, quos Claudius Imperator octingentesimo Urbis anno ediderat; non verò antiquæ institutionis ab Augusto, Domitiano, & Severo observatæ: de illis nullam mentionem fecit Zosimus: sive quod hanc vim eos non habere putaret: sive quia præter morem factos ac irregulares crederet. Quod si de ludis secularibus à Claudio
anno

PROLEGOMENA.

anno Urbis octingentesimo celebratis loquatur, qui alterius ordinis non erant, quàm qui anno Urbis, millesimo à Philippo acti sunt; illud tantùm obiter, eoque solùm sine, ut ostenderet, eum morem à Domitiano rejectum fuisse, & antiquum restitutum. Sed cùm ludi seculares, qui Honorio Imperatori attribuantur, ejusdem classis sint, ac ii, quos Zosimus memorat: profectò si celebrati fuissent, illos hic Auctor non prætermisisset. Blondellus libro contra Primatum Ecclesiæ pag. 1132. & sequentibus aliâ viâ argumentum à Zosimi silentio petitum solvere conatur: ait enim, Philippi & Honorii ludos à Zosimo enumerari non debuisse, quod is præcipuè respiceret ludos post centum & decem annos exhibitos: ludi verò, quos Honorium celebrasse credit, centenarii tantùm essent, ac ducentis præcisè annis à Severianis distarent; ideoque cùm non nisi præter morem Severianis subrogati fuissent, jure à Zosimo omissos. Sed non melior hæc solutio. Ex verbis enim Zosimi à nobis allatis constat, eum ad antiquam tantùm institutionem attendisse: ludosque omnes, qui post Augustum juxta eam celebrati fuere, memorasse; sive statò tempore facti fuissent; sive dilati, aut anticipati. Quod manifestissimè liquet, ex eo quod queratur, quòd ludi seculares tam à Diocletiano, quàm à Constantino neglecti fuissent, quos primus post centum annos, alter post centum & decem celebrasset. Zosimus itaque de ludis secularibus

PROLEGOMENA.

ab Honorio celebratis silet, tum initio libri secundi, ubi de iis loquendis proprius locus erat: tum libro quinto, ubi res Honorii describit, quia commentitii sunt, ac doctorum virorum somnium.

XIII.
*Coniuncti
Consulatus
imperio de-
stinatis tri-
busi.*

Paginâ 193. Continuatus Agrippæ Consulatus observandus venit. Post constitutum enim ab Augusto Imperium, duo Consulatus coniuncti non nisi Principibus re aut destinatione attributi: quam in rem Tacitus lib. 1. Annal. cap. 1. ait: *Augustus M. Agrippam geminatis Consulatus extulit.* Et tamen certum est, eundem Agrippam ter Consulatum ordinarium gessisse. Sed, ut rectè Lipsius in notis, ideo id dixit Tacitus, quia postremi duo Consulatus Agrippæ continentes fuere: qui honos rarò eâ ætate tributus, præterquam iis qui imperabant, aut ad Imperium destinabantur, uti Agrippa Augusti gener.

XIV.
*Quindecennalia pro-
consularis
Imperii Ti-
berii.*

Anno Christi 25. Tiberium Imperii Proconsularis Quindecennalia celebrasse, indicat Tacitus lib. 4. ubi sub illius anni Consulibus narrat, Hispaniam Ultraiorem, missis ad Senatim Legatis orasse, ut exemplo *Asiæ delubrum Tiberio, matricque ejus extrueret*, qui & paulò post addit, audita, fuisse Lacedæmoniorum & Messiniorum legationes de jure templi Dianæ Limenitidis: Segestanos ædem Veneris vetustate delapsam restaurari postulasse: tractatasque esse Massiliensium preces. Hæc enim in id genus festis haberi solita. Neque mirum, quod Tacitus de iis solemnibus non loquatur; cum sub precedentis anni Consulibus

PROLEGOMENA.

fulibus his tantum verbis Imperii Augusti Tiberii Decennalia insinuet : *Cornelio, Cethego, Visellio, Varrone Coss. Pontifices, eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota susciperent, Neronem quoque & Drusum iisdem diis commendavere.*

Anno Christi 38. tres Caligulae Imperatoris Consulatus ordinarii Onuphrius in Fastis, Calvisius, alii-que quidam recentiores hoc modo ordinant. Anno 38. *Caligula II. & Apronianus.* Anno 39. *Julianus & Asprenas.* Tum duos alios Consulatus Caligulae exhibent sed perperam. Dio enim in Indice Consulari, Auctor Chronici Alexandrini, Cassiodorus in Chronico, Auctor Anonymus, quod Cuspinianus usus est, cuiusque fragmentum refert Bucherius libro de Doctrina temporum, & fragmentum Consulare à Pontaco in fine Chronici Eusebii relatum, annum Christi 38. Juliani & Asprenatis Consulatu notant; nullusque ex antiquis Fastorum conditoribus opinioni Onuphrii favet. Quoad locum Suetonii in Caligula cap. 18. in quo de Caligulae Consulatus loquens ait : *ex omnibus (nempe Consulatus) duos novissimos conjunxit, legendum tres novissimos conjunxit.* Duos enim ultimos conjunctos habere non potuit, nisi pariter & duos priores conjunxerit. Quare cum hoc dicat Suetonius; apparet locum illum corruptum esse. Afferitur & aliud ejusdem opinionis fundamentum ex Frontino lib. I. de Aqueductibus deductum, ubi ait : *Caius Caesar, altero Imperii sui anno,*
M. Aqu

XV.
Caligula
Consulatus
ordinantur

PROLEGOMENA.

M. Aquilio Iuliano, P. Nonio Asprenate Coss. anno Urbis conditæ DCCXC. duos ductus inchoavit, quod opus Claudius magnificentissimè consummavit, dedicavitque Sullæ & Tutiano Coss. anno post Urbem conditam, DCCC. sexto Kal. Augusti. Quare, inquit, cùm imperante Nerva Frontinus floruerit, & Juliani ac Asprenatis Consulatum in annum Christi tricesimum nonum contulerit; ejus auctoritas scriptoribus ipsa recentioribus anteferenda. At observandum, Frontinum, Urbem conditam supponere anno periodi Julianæ 3963. quare annus Urbis 900. qui secundùm putationem Varronianam cum anno Christi 37. concurrit, secundùm frontinum in annum Christi 39. incidit. Quod qui opera Frontini edidère non observantes, errores Librariorum, quí in numeris reperiuntur, emendare nescierunt. Sunt enim ii apud eundem Auctorem sæpè mendosi, ut legenti patebit. Unde híc loco DCCXC. legendum, DCCIXC. Nam alter Imperii Caligulæ annus, Christi potius tricesimus octavus, quàm tricesimus nonus est: cùm 38. Christi annus correspondeat novem ejusdem secundi Imperii anni mensibus; 39. verò tribus tantùm, iisque incompletis. Quem locum mendosum esse, alterius Urbis anni à Frontino adhibiti corruptio ostendit. Loco enim post Urbem conditam DCCC. scribendum: DCCCIII. Onuphrius quippe lib. 2. Fast Inscriptionem refert præfatæ dedicationis tempore factam, quæ sic habet: TI. CLAUDIUS. DRUSI. FI. CAESAR.

PROLEGOMENA.

CAESAR. AUGUSTUS. GERMANICUS. PONT.
MAXIM. TRIBUNITIA. POTESTATE. XII. COS.
V. IMPERATOR. XXVII. PATER PATRIÆ.
AQUAS. CLAUDIAM. EX. FONTIBUS. QUI.
VOCABANTUR. CAERULEUS. ET. CURTIUS.
A. MILLIARIO. XXXXV. ITEM. ANIENEM
NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SUA. IMPENSA.
IN. URBEM. REDUCENDAS. CURAVIT. Eandem
inscriptionem Grutterus pag. 176. & Aldus Manu-
tius de Orthographia pag. 126. referunt: sed apud hunc
perperam legitur: *Tribunitia potestate x i.* Dedicata ea
anno Christi quinquagesimo secundo, quò Clau-
dius Imperator Tribunitiam Potestatem XII. die
XXIV. Januarii iniit. Quare cum is annus, secundum
Varronem, Urbis conditæ esset DCCC V. secundum
Frontinum erat DCCCIII. Sicut enim hic Urbis con-
ditum duobus annis tardiùs consignat, ita & duos
annos minùs quàm Varro semper numerat. Locus
itaque Frontini mendosus est, tam quoad annum
DCCXC. quàm quoad annum DCCC. & eo, quò
diximus modo, corrigendus. Calvisius in opere
Chronologico hanc dedicationem anno Christi quin-
quagesimo recitavit, multiplici errore: nam Clau-
dius anno tantùm sequenti Consul v. fuit: deinde
Tribunitiam potestatem XII. anno duntaxat Christi
quinquagesimo secundo capessit. Denique secun-
dum Frontinum, quem Calvisius citat, errore nu-
meri non animadverso, ea dedicatio facta esset,
ò anno

PROLEGOMENA.

anno Christi quadragesimo nono , qui secundum Frontinum Urbis est DCCC. Sullus porro & Tutianus Consules tantum suffecti fruere , uti observat Onuphrius ; suffectorum enim Consulium nomina , per hoc ac sequens seculum , in operibus publicis sæpè leguntur.

XVI. *Quinquennalia Claudii Imp.* Claudius Imperator Quinquennalia anno Christi quadragesimo sexto edidit. Non enim tantum Eusebius , sed & Cassiodorus in Chronico docent , descriptionem Romæ eo anno actam , additque Cassiodorus. *Thracia hucusque regnum in provinciam redigitur* , quæ horum solemnium indicia. Porro Tacitus , qui hanc descriptionem in annum Christi quadragesimum octavum differt , ex iis erroris convincitur. Sed quoad *L. Vipsanium* ; quem A. Vitellii Collegam in Consulatu eo anno edit , non alius censendus à *L. Poplicola* , quem Dio in Indice Consulari proficitur.

XVII. *Quinquennalia Imperii Cæsarei Neronis* Nero Imperator secundum Consulatum sumpsisse videtur ob Cæsarei Imperii Quinquennalia , sive ea legitimo tempore ediderit , sive distulerit ; alii enim ejus Consulatus ob hujusmodi solemnia suscepti ; tertius propter Imperii Augustei quinquennalia ; quartus propter Imperii Cæsarei Decennalia.

Hæc tamen , anno Christi sexagesimo primo celebrata esse deducitur ex Suetonio in Nerone cap. 12. ubi quinquennalis certaminis institutione narratâ ait : *dedicatisque Thermis , atque Gymnasio , Senatui quoque*

PROLEGOMENA.

que & Equiti oleum praebeuit. Pluribus à nobis exemplis, ostensum, Thermas in Decennialibus & id genus festis & constructas & dedicatas fuisse, docetque Eusebius ut pag. 203. diximus, eas Thermas à Nerone, anno Christi sexagesimo primo ædificatas fuisse. Verum quidem est, Cassiodorum earum conditum in annum sexagesimum quartum ejusdem Eræ differre, sed non videretur dubitandum, quin eo anno dedicatæ, non verò constructæ fuerint, ipseque unum pro alio usurparit. Quoad Gymnasium, de quo idem Suetonius, docet Tacitus, lib. 14. dedicatum illud fuisse, *Cesonio Pæto, & C. Petronio Turpiliano Coss.* id est; anno Christi 61. ubi obiter observabis, C. Petronium Sabinum, ut à Dione vocatur, dictum etiam fuisse Sabinum Turpilianum, ut Onuphrius ostendit.

Anno Christi 68 Quindecennalia Augustei Imperii celebrare decreverat Nero. Annus enim ejus decimus quintus die 13. Octobris inchoari debebat. Hoc colligo ex excerptis Dionis à Valesio in lucem editis pag. 695. ubi ait, Neronem è Græcia reducem certamen Gymnicum Neapoli spectantem, cùm de Vindicis motu certior factus esset, nequaquam id molestè tulisse, sed luxui ac deliciis nihilominus vacasse, additque: *Et templum Sabina, quod tunc fortè absolutum erat, magnificis ornatum donariis dedicavit, hocce titulo fastigio templi inscripto: SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ FECERUNT.* Quia nempe ex pecunia, quam eis eripuit, hoc templum

XVIII.
*Quo anno
Nero è Græ-
cia rediit.*

PROLEGOMENA.

Nero ædificaverat. Ex quo confirmatur quod pag. 38. diximus, Imperatorem hunc anno Christi 68. non verò præcedenti, è Græcia in Occidentem rediisse, falsamque esse communem sententiam, quæ SS. Apostolos Petrum & Paulum anno Christi 67. à Nerone morti traditos docet, tunc enim is adhuc in Græcia erat, è qua non nisi anno sequenti reversus est, idque mense Martio, ut alibi explicamus: liquet etiam Consulatum quintum Neronis, qui susceptus tantum fuit, non alio quam 68. Christi anno assumptum fuisse.

XIX.
dies emor-
tualis Gal-
ba, Othonis,
& Vitelli.

Anno Christi 69. dies emortuales Imperatorum Galbæ, Othonis, & Vitellii, ab Historicis historiæ Augustæ prætermisissos, & à recentibus Chronologis perperam consignatos è tenebris eruimus. Tentaverat id ante nos Scaliger lib. 5. de emendat. temp. pag. 472. ubi tandem his verbis concludit: *Ex his, quæ jam disputavimus, nihil de istis tribus Imperatoribus colligere possumus præter argumenta, quæ incerta eorum Imperatorum initia, & vacillantes Scriptorum sententias magis prodant, quàm explicent.* Sed Galbam, die decimâ quintâ Januarii, Othonem die decimâ sextâ Aprilis, Vitellium die vicesimâ primâ Decembris neci traditos, apud me certum. Nam Dio lib. 64. & Suetonius lib. 7. cap. 18. tradunt, Galbam cum in Capitolium proficisceretur sacrificandi causâ, occisum fuisse, postquam *sacrificantem mane Aruspex identidem monuisset, caveret periculum.* Tacitus postò Lib. primo

PROLEGOMENA.

primo historiarum ait: xviii. Kalend. Febr. sacrificanti (nempe Galba) Aruspex Umbricius, tristia exta, & instantes insidias, ac domesticum hostem praedicit. Et postea quomodo occisus Galba fuerit, narrat. Onuphrius lib. 2. fast. legit xvii. Kal. Febr. sed contra omnium manuscriptorum & impressorum Codicum fidem. Eò itaque Kal. die, qui cum decima quinta Ianuarii convenit, Galba peremptus. Præterea Suetonius loco laudato scribit, Pisonem à Galba adoptatum, *intra sextum adoptionis diem periisse*. Peracta ea adoptio, ut habet Tacitus citatus, *quarto Idus Ianu.* die nempe Ianuarii decima. Ideoque die decima quinta Galba & Piso trucidati. Denique idem Tacitus ait: *Nec aliud sequenti quadriduo (quod medium inter adoptionem & cædem fuit) dictum à Pifone in publicum, factumve*. Quare dies decima Ianuarii Pisonis natalis, dies decima quinta emortualis fuit, quemadmodum & Galbæ. Othonem verò die decima sexta Aprilis denatum esse ostendit Dio lib. 64. ubi ait, eum regnasse *dies nonaginta; vixisseque annos triginta septem, detractis diebus undecim*. Natus erat Otho, ut habet Suetonius in Othone cap. 2. *quarto Kalendas Maii Camillo Aruntio, Domitio Enobarbo Coss.* id est, die vicesimâ octavâ mensis Aprilis anni Christi tricesimi secundi, quò, ut docet Sueton. in Vitellio cap. 2. Aulo Vitellio in Consulatu demortuo Camillus Aruntius suffectus est. Anno igitur Christi sexagesimo nono, dieque vicissima septima Aprilis Otho

ō 3 annos

PROLEGOMENA.

annos XXXVII. absolvisset, deme ex eo numero dies undecim, habebis diem decimum sextum Aprilis, qui ideo emortualis Othoni fuit. Quando autem Dio tradit, Othonem imperasse *dies nonaginta* utrumque extremum terminum, ut solet, excludit, confirmatque quod diximus, mortuum eum decima sexta die Aprilis. Vitellius denique die vicecima prima Decembris peremptus est. Testatur enim Dio lib. 64. imperasse eum *annum unum, decem diebus exceptis*. Kalendis Januarii dictus fuerat Imperator à Superioris Germaniæ exercitu, ut docet Suetonius: quamobrem Dio diem mortis ab eo numero excludit. Hæc ab iis, quæ in Fastis ordinandis diximus, corroborata huic controversiæ finem imponere debent, ex iisque corrigendi Clemens Alexandrinus, Theophilus Antiochenus, aliique; apud quos numeri corrupti.

XX. *Causa Octavi Consularis Vespasiani.* Octavus Vespasiani Consulatus quem anno 77. Eræ Christianæ, Tito VI. & Domitiano suffecto VI. Collegis gessit, diu animum meum excruciat; neque enim eum nisi juxta Regulas susceptum existimabam. Tandem Vespasianum propter Decennalia Imperij Cæsarei filiorum, dignitatem hanc sumpsisse inveni: quæ & ideò ab utroque Cæsare anno uno anticipata fuere. Id deduco ex eo quod Caius Plinius Secundus libros suos naturalis Historiæ dedicat Tito *Imperatori* (eo enim nomine Imperii Collegæ exornabantur) *sextum Consuli*. Annis enim quibus

PROLEGOMENA.

bus id genus solemnia peracta, scriptores opera in lucem edere consuevisse pluribus exemplis, infra constabit. Hæc itaque Octavi Vespasiani Consulatus causa, ideoque juxta III. Regulam susceptus.

Anno Christi 95. diximus, Domitianum XVII. XXI.
Collegâ Flavio Clemente, Consulem, Imperii Au- *In Quinde-*
gustæi Quindecennalia celebrasse. Illud egregiè ex *cennalibus*
Eusebio in lib. 3. hist. cap. 18. confirmatur: *Domitiani*
Persecutio
inquit Eusebius, *aucta.* *his ipsis temporibus doctrina Fidei no-*
stra tantopere florebat, ut scriptores etiam à religione no-
stra alienissimi, & persecutionem & martyria nostrorum
monumentis suis tradere non dubitaverint. Qui quidem
etiam tempus ipsum persecutionis accuratè notarunt. Scri-
bunt enim, anno principatus Domitiani quinto decimo,
Flaviam Domitillam Flavij Clementis ejus, qui tunc
temporis Romæ Consul fuit; ex sorore neptem, unâ
cum aliis plurimis, ob confessionem Christi, in insulam
Pontiam fuisse deportatam. Persecutio itaque Quinde-
cennialium Domitiani Augusti occasione aucta.

Anno Christi 136. diximus, Hadrianum Vicen- XXII.
nalia celebrasse, horumque solemnium indicium esse, *Ælia aut*
quod Ælia juxta Eusebium eo anno condita fuerit. *condita aut*
Pluribus tamen contendit Scaliger in Animadversio- *dedicata in*
nibus Eusebianis, ante bellum Judaicum, quod *Vicenniali-*
bus Ha-
driani
no. octavo decimo Imperii Hadriani, finem accepit, ut
ait idem Eusebius lib. 4. cap. 6. eam urbem condi-
tam fuisse. Sed quidquid sit, si illa non eo annò
condita, saltem dedicata fuit; solent enim antiqui
scripto

PROLEGOMENA.

scriptores, annum conditûs & dedicatione urbium aliquando confundere.

XXIII.
*An Ælius
dictus fue-
rit Impera-
tor.*

Anno 137. L. Ælius Verus Cæsar Consul ordinarius fuit. Aldus Manutius libro de Orthographia pag. 437. affert antiquam aræ dedicationem ex ruinis Salonæ urbis Dalmatiæ jam diu erutam, quam dicit, Joannem Baptistam Rhamnufium è mutilo lapide restituisse: In ea hujus anni Consules hoc modo exprimuntur: L. AELIO. CAESARE. IMP. P. COELIO. P. FI. sed valdè dubito, ne Imperatoris nomen perperàm intrusum sit. Neque enim Cæsarum, qui Imperatoris nomen gesserunt, Consulatus cum Imperatoris nomine exprimi solet. Ac præterea Lucius Ælius Proconsulari Imperio Donatus non fuit, ut Imperatoris nomen tulerit. Saltem ante secundam Imperii Romani administrationis formam non inveni eos, qui tantùm Cæsares erant, uti Lucius Ælius, Imperatorio nomine cohonestatos fuisse; nisi fortè Imperator, Ælius dictus sit, quod decrevisset Hadrianus Collegam Imperii eum creare, nisi fato functus esset.

XXIV.
*Tricennalia
Constantini
M.*

Constantius & Albinus, qui anno Christi 335. Fastis nomen dedêre, memorantur in epistola, quam durante Concilio Tyri eo anno habito, Presbyteri ac Diaconi Mareotici dederunt. Scripta quippe est, *Consulibus Iulio Constantio Illustrissimo Patricio, Fratrem Religiosissimi Constantini Augusti, & Rufino Albino, clarissimis, & Deo gratissimis viris.* Quare errat Onuphrius in Fastis ubi scribit, Constantium Constantini Imperatoris

PROLEGOMENA.

peratoris fratris filium fuisse. Constantio Consule ;
Constantinus Imperator Tricennalia celebravit: idque
Constantinopoli, ut docet Eusebius lib. 4. vitæ Con-
stantini cap. 46. ubi postquam cap. superiori narravit,
se variis sermonibus Encœniorum Basilicæ Hieroso-
lymitanæ à Constantino in Decennialibus suis con-
structæ solemnitate decorasse, dicit, paulò post, è
Hierosolyma profectum se esse Constantinopolim, &
orationem in Tricennialibus Constantini coram eo-
dem Imperatore recitasse. Celebrata ea Tricennalia
die 25. Julii, qui Natalis erat Constantini. Horum
solemnium plura indicia sunt, Concilium Tyri, nun-
cupatio Dalmatii Cæsaris, & Encœnia Basilicæ Hie-
rosolymitanæ, quæ die decimâ tertiâ Septembris per-
acta est, ut ex oratione sancti Sophronii Hierosoly-
mitani Episcopi in Exaltationem S. Crucis itemque
ex typico S. Sabæ, & ex Mæneis, ac Synaxariis passim
omnibus constat. In mentem venit, investigare an
hoc & sequenti seculo, quibus Ecclesiarum dedica-
tiones tantâ pompâ fiebant, peragerentur die Do-
minicâ: comperique illum diem in iis solemnitatibus
minimè observatum fuisse. Anno enim 335. dies 13.
Septembris cum Sabbato concurrebat. Notatur quip-
pe Cyclo Solis 8. litera Dominicali E. Idem patet ex
aliis dedicationibus in Rationario Fastorum videndis.

Imò nec sanctarum Reliquiarum translationes feriâ *Quo anni*
primâ fieri solebant, ut examinanti liquebit. Ex die *tẽpore Con-*
porrò, quò Tricennalia à Constantino celebrata, de- *cilium Tyri*
celebratã.

PROLEGOMENA.

tengo tempus, quô Concilium Tyri habitum est; ipso nempe Augusti mensis initio. Cùm enim eidem Eusebius Cæsariensis, ut docet Epiphanius hæresi 68. interfuerit, citiùs illuc proficisci non potuit. Unde rectè Socrates lib. 1. cap. 38. ubi dixit, Constantinum Synodum Tyri congregari iussisse, addit: *tricesimus hiè erat annus Imperii Constantini*, die nempe 25. Julii inchoatus. Tyro Eusebius cum aliis Episcopis Hierosolymam profectus est ineunte Septembri, dieque 13, ejusdem mensis dedicationi Ecclesiæ S. Salvatoris interfuit. Ex quibus liquet, Concilium illud ante Tricennalia Constantini inchoatum non fuisse. Non prætermittendus hîc error Gothofredi in Chronologia Codicis Theodosiani, qui ait, anno Christi 335, Constantinum Magnum mense Augusto in Mysia Viminacii egisse, ubi data ab eo lex, quæ his verbis clauditur: *prid. non. Aug. Dat. Viminacio*. Ea est lex 21. *de Decurionibus*. Sed cùm Constantinus die vicesimâ quintâ Julii Constantinopoli fuerit; ibique per aliquot dies, ob Tricennaliorum solemnitatem, commorari necesse habuerit: fieri non potuit, ut die quartâ Augusti, Viminacii, quæ urbs est ad Danubium in Servia sita, fuerit. Nîmia enim inter Constantinopolim & Viminacium distantia, quàm ut intra tam paucos dies ex una urbe in alteram perveniri possit. *Dat.* itaque eo in loco accipi debet pro *Redd.* id est, *Reddita*. Ex quibus intelligis, subscriptiones legum Codicis Theodosiani facile lectores in errorem inducere posse.

Tricen

PROLEGOMENA.

Tricennialiorum Constantini M. occasione proponendum placet dubium, quod nasci potest ex iis, quæ de ejus Decennialibus agens parte secundâ cap. 3. n. 13. scripsi; celebrem nempe Basilicæ Tyri dedicationem, de qua Eusebius, factam esse vel in Decennialibus Licinii, qui tunc Christianis favebat; vel in Decennialibus Constantini M. Paulinus enim Antistes Tyri in dedicatione pro concione tum Constantinum, tum Lycinium concelebravit: adeo ut, inquit, quod nunquam antea contigerat, summi Imperatores honoris illius, quem Dei beneficio acceperunt, sibi conscii, jam in mortuorum simulachrorum faciem conspuant, & profanos Demonum ritus conculcent; ac vetustum errorem à majoribus traditum irrideant, &c. Ex eo, inquam dubio aliud oritur, an scilicet in Oriente dedicata sint templa, Reliquiæ translata, aliaque id genus acta iis annis, quibus Imperatores Occidentales Decennalia & hujusmodi festivitates exhibebant; & vice versa in Occidente? Id quidem in decursu operis, factum fuisse, dixi, dum in aliquas dedicationes incidi, quæ nisi præter morem celebratæ essent, aliam causam non habuisse tunc mihi visæ sunt. Fateor tamen, me nihil certi adhuc ea in re detexisse, & tantum ex conjectura locutum: processu temporis res illa è tenebris erui poterit; quod hîc significandum duxi, ut sciat Lector quæ certa, & quæ incerta haberi debeant. Interim falsi sunt viri doctissimi, qui scripsere, præfatam Basilicæ Tyri dedicationem peractam esse anno

Ū 2 Christi

XXV.
An Basilica dedicata in Oriente, quâdo Decennalia in Occidente acta?

PROLEGOMENA.

Christi trecentesimo decimo quarto , statim post datam à Constantino M. Ecclesiæ pacem. Non enim dubitandum, quin, sicut Gentiles templa diis suis dedicabant annis, quibus Decennalia & id genus festa edebantur: sic Christiani idem præstiterint in principio, ubi sibi permillum, cùm illud postea in frequenti more positum fuerit.

XXVI. *S. Paulinus Consul ordinarius fuit,* Annus Christi 325. notatus fuit hâc formulâ. *Post Consulatam Gratiani Aug. III. & Equitii.* Ita enim Idacius in Chron. Cassiodorus, & alii. Neque alia temporis notâ leges Codicis Theodosiani hoc anno datæ consignantur. Baronius tamen eo anno num. 1. & anno 394. num. 82. dicit, videri illum annum S. Paulino postea Nolæ Episcopo, Consuli ordinario assignari posse, quod Ausonius, qui Consul ordinarius fuerat Epist. 20. ad eundem Paulinum scribat,

*Paulino Ausonicus: metrum sic suasit, ut esses
Tu prior, & nomen prægrederere meum.*

*Quamquam & Fastorum titulo prior, & tua Roma
præcessit vostrum sella curulis ebur.*

Sed cùm nullis in Fastis inscriptum Paulini nomen appareat, neque Severus, neque Uranius, neque Ambrosius, neque Hieronymus, neque Augustinus, aut aliorum veterum quisquam Paulini Consulatûs uspiam meminerit: quod alioquin minimè prætermisuri videbantur, cùm illius in abjiciendis opibus, omnique seculi fastu stupendam animi excelsitatem prædicarent, rectè inde Petrus Franciscus Chiffletius

in

PROLEGOMENA.

in Paulino illustrato parte 2. cap.2. deducit, Consulatum illum ordinarium Paulini supposititium esse ac commentitium. Quod enim Aufonius Paulino Trabeam & Sellam curulem epist. 25. ad Paulinum ac Fastos epist. 20. ad eundem tribuat, id rem non evincit. Fuit enim Trabea etiam Senatorum & aliorum Nobilium Romanorum, præsertim Paulini ævo: & præter Consules, alii fuerunt curules Magistratus, Censores, Prætores Urbani, & Ædiles curules, quibus jus erat Sellæ curulis; & Fastis non Consulatum modo, sed & aliorum Magistratum annalium nomina inscribebantur. Gessisse tamen Consulatum, non autem aliam dignitatem hujusmodi insignibus decorari solitam, Paulinum, ostendit ipse Aufonius, cum ait seipso Consule Paulinum *Fastorum titulo* priorem fuisse. Est enim Aufonii comparatio inter æquales, licet diversi generis. Sed Paulinum Consulem suffectum fuisse, quod scribit ibidem Chiffletius; minimè existimandum. Per hæc enim tempora, quibus Consules ordinarii annui; Consules honorarii, non verò suffecti in usu erant.

Anno 381. *Flavius Eucherius, & Flavius Syagrius*: XXVII.
 anno verò sequenti, *Antonius & Afranius Syagrius* *Consules*
 Consules ordinarii fuere. Quod patet, non tantum a 381.
 ex variis Fastorum conditoribus; sed etiam ex pluri- & 382.
 bus legibus utroque anno emissis, ut videre est in
 Codice Theodosiano. In utroque tamen Consulatu
 multipliciter erratum est. Primùm à Socrate lib. 5. cap.

PROLEGOMENA.

20. Marcellino in Chronico, ac Prospero in Chronico secundum editionem Pontaci, aliisque quibusdam. Eucherium enim, ac Evagrium Consules profitentur, Evagrii loco *Syagrii* nomine mendosè edito. In Testamento D. Gregorii Nazianzeni à Baronio relato anno 389. num. xxiv. uterque Consul dicitur *Flavius*. Sed in editione ejusdem testamenti, quam correctiorem dedit Daniel Papebrocius in vita ejusdem Sancti die nonâ Maii cap. 14. perperam scriptum est: *Flavius Evagrius*. Secundò à Baronio in Annalibus, Calvisio in opere Chronologico, & Gothofredo in Prosographia Codicis Theodosiani, qui priorem Syagrium cum posteriori confundunt: quasi idem Syagrius bis Consul duobus annis conjunctis processerit. Quem in errorem nos induxit Onuphrius, qui scribit, Auctorem Chronici Alexandrini & Cassiodorum anno 382. Syagrium cum numerali notâ efferre. Quod quidem de Auctore Chronici Alexandrini verum, sed de Cassiodoro falsum. Sed alii Fastorum Scriptores, & leges Codicis Theodosiani in eo anno datæ Syagrium sine iterationis nota edunt. Præterea Syagrius, qui Antonio Collegâ Consul fuit, Afranius vocabatur, ut nos docet Sidonius in libri primi epistola sexta. Tertiò erratum ab eodem Onuphrio & à Calvisio, qui Syagrium hunc perperam postremum vacant. Solet enim Onuphrius, ut à Sirmondo in Notis ad laudatum Sidonii locum observatum, nomina, quæ semel in uno quopiam conjuncta inveni-

nerit,

PROLEGOMENA.

nerit, in omnibus, quos eorum aliquo affectos videt, copulare. Neque etiam verum est, quod idem Onuphrius scribit, Syagrium, qui Præfectus Prætorio fuit, ut videre est apud Gothofredum in prosographia verbo *Syagrius*, vocatum fuisse postumum, ut ibidem ostendit Simondus. Denique peccatum ab eodem Onuphrio, qui ex eo quod in Inscriptione quam refert, legatur: *Fl. Annius Eucharis Epiphanius Præf. Urbis, &c.* perperam deducit, Eucharium dictum etiam fuisse Eucharium & Epiphanium. Et quia ea Inscripção Romæ extat, eum fuisse Consulem Occidentalem: Eucharius enim, qui anno 381. Consul fuit, alius est ab Eucharis Epiphanio etiam dicto, annoque Christi 412. Urbis Præfecto, & ab Eucharis, qui eodem anno 412. Proconsul Africæ fuit, ut videre est in Chronologia Codicis Theodosiani, ejusque prosographia, in quibus eo anno 412. aliquæ leges Eucharis Proconsuli Africæ, aliquæ Epiphanio Præfecto Urbis inscribuntur. Quare Gothofredus laudatus Epiphanium, Eucharium & Eucharium rectè distinxit.

Pag. 277. diximus, Honorium Imperatorem Quinquennalia Imperii vivente patre initi edidisse, anno Christi trecentesimo nonagesimo octavo, anno verò quadringentesimo Quinquennalia Imperii post patris mortem suscepti celebrasse: re tamen magis examinata, comperimus, priora Quinquennalia in annum 399. dilata fuisse: eo enim anno, multa eorum indicia extant in Codice Theodosiano, l. 17. de Paganis,

XXVIII.

Vtraque

Honorii

Imp. Quin-

quennalia

rectius con-

sistunt.

PROLEGOMENA.

nis, Paganorum festos conventus, voluptatum editio-
nes, festa convivia, profanis tantum ritibus prohi-
bitis, per publica vota concessit per Africam Hono-
rius. D. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. ult.
scribit, Theodoro Consule, præfato nempe anno,
Gaudentium & Jovium comites in Africa Carthagi-
ne deorum templa subvertisse; & simulachra fregisse
Honorii jussu, xiv. Kal. Aprilis. Prætereà quinto Ka-
lendas Maias celebratum est quintum Concilium
Carthaginiense, ubi legationem susceperunt Epigo-
nius & Vincentius ad Honorium Imperatorem, ut
pro confugientibus ad Ecclesiam rescriptum impetra-
rent. Quæ legationes hujusmodi solemnium annis
fieri consueverant. Plura suppeditabit Chronologia
Codicis Theodosiani eo anno. Posteriora verò Ho-
norii Quinquennalia anno quadringentesimo exhi-
bita fuisse, multa indicant. Primum Consulatus Stili-
conis Imperatoris soceri, secundò historia Ecclesiasti-
ca Sulpicii Severi, quæ in Stiliconis Consulatu desi-
nit. Concilium quintum Carthaginiense *die sexta Ka-
lendarum Junii* Carthagine habitum, quod eo anno,
non verò 399. Congregatum fuisse, doctè ostendit
Schelestratus dissert. 3. de Ecclesia Africana, cap. 9.
quâ de re idem Auctor legendus. Videndus etiam
Gothofredus hoc anno, in Chronologia Codicis
Theodosiani, ubi plures leges horum Solemnum
notæ recitantur. Sic etiam Eutropii, cui totam Impe-
rii Orientalis administrationem Arcadius Imperator
tradide

PROLEGOMENA.

tradiderat, Consulatus Kalendis Januarii anni trecentefimi nonagesimi noni initus character est Quinquennialiorum Arcadii post Theodosii M. patris mortem imperantis eo anno celebratorum.

Anno 424. loquuti sumus de Joanne Tyranno, qui anno antecedenti, mortuo Honorio Augusto, Imperium Occidentale arripuit: Ille in prælio captus, *dextrâ manu prius amputatâ. Postea etiam capite truncatus est, cum per unum ac dimidium annum tyrannidem exercuisset*, inquit Philostorgius in fine libri 12. Quare ea mors non anno 424. sed sequenti contigit. Marcellinus hanc invasionem perperam consignat anno 424. rectius Prosper anno 425. oppressum scribit, ac post Honorii obitum, imperium invalisse anno nempe 523.

XXIX.
*Quo anno
Ioannes ty-
rannidem
arripuerit.*

Quoad Gallam Placidiam, de qua eodem anno egimus, obiit ea Romæ, ut testis est Idacius in Chronico, non quidem anno 451. ut ille ait, sed anno 450. *quinto Kalend. Decemb.* ut docet Prosper in Chronico auctiori, quod quantum ad annum, repetit in Chronico Imperiali. Baronius anno 425. num. iv. nummum exhibet, in cuius altera parte Valentinianus Augustus repræsentatur cum his verbis circum, DN. PLACIDUS VALENTINIANUS. P. F. AUG. dextrâ volumen, ut creditur, Evangelii, sinistrâ super globum, geminam crucem, margaritis ornatus tenens. In antica parte conspicitur Galla Placidia Augusta ejus mater, dextrâ erigens, quæ oppressa à

XXX.
*Annus
mortis Gal-
la Placi-
dia.*

ã ã Joanne

PROLEGOMENA.

Joanne Tyranno jacebat, Italiam, sinistra verò gemmatam crucem gestans, cujus potentiâ Occidentale Imperium absque ullo fermè negotio recepisset. Ita Baronius, qui addit, nummum illum eo anno cufum. Sed res longè aliter se habet; cufus enim fuit in Tricennalibus Valentiniani & Gallæ ejus matris, cùm circa effigiem Placidiaë legatur: V O T I S XXX. M U L T. XXXX. Ex quibus colligitur, ea solemnia eodem tempore à matre & filio celebrata. Alibi enim diximus in nummis Imperatorum Christianorum, annis quibus ea solemnia edita percuffis, sæpe repræsentatam fuisse duplicem crucem supra globum, ut eandem de Orbe triumphasse significarent Imperatores.

XXXI. Anno 428. Valentinianum tertium Cæsarei Imperii Quinquennalia celebrasse, indicat *l. ultima de tiro-*
nibus, quæ lib. 7. Codicis Theodosiani titulo 13. legitur, quâ Proconsularis Africaë Sacerdotes à tiro-
nium præstatione declarantur immunes. Horum Quinquennalium beneficio initia præsulatûs duorum Sanctorum Episcoporum, Lupi nempe Trecensis, & Sidonii Apollinaris Arvernensis, hæctenùs ignota detexi. Auctor Vitæ S. Lupi apud Surium xxx. Julii ait, lupum cùm in Insula Lerinensi annum unum egisset, *ad Trecensem Episcopatum raptum esse: exinde biennio exacto, Germanum comitatum in expeditione Britannica.* Obita ea S. Germani Legatio anno Christi quadringentesimo vigesimo nono, ut docet Prosper in Chronico. Unde recentiores cum Baronio an-

PROLEGOMENA.

no 472. num. xiv. Lupum anno 427. sedere cœpisse, unanimi consensu deducunt. At eos falli, modus numerandi annos Lupi à Sidonio Apollinari usurpatus, manifestè ostendit. In Epistola enim prima ad Lupum libri sexti legitur : *cùm primo post defudatas militia Lerenensis excubias , & in Apostolica sede novem jam decursa quinquennia , utriusque sanctorum ordinis quemdam te conclamatisimum primipilarem spiritualia castra venerentur , &c.* Scripta ea epistola à Sidonio , postquam Episcopus Arvernensis creatus est, anno nempe Christi 573. à quo , si novem quinquennia , quæ annos xxxv. conficiunt , retrocendo numeres , pervenies ad præfatum Christi annum quadringentesimum vicesimum octavum, Valentiniani Tertii Quinquennialibus addictum. Neque dubitandum , quin ad ea respexerit Sidonius , cùm præter morem , Episcopatus annos per quinquennia numeret. Perstat in eodem loquendi modo lib. 9. epistola undecima , ubi de eodem Lupo loquens ait : *jam per quinquennia decem non æquevis Sacerdotibus tantum , verùm & antiquis , quoties collatus , antelatusque sis , &c.* Alludit itaque Sidonius ad Valentiniani Quinquennalia ; ideoque & ea anno 428. peracta , eodemque Lupus ad Ecclesiam Trecentem promotus. Neque refert , quod S. Lupi vitæ Auctor his verbis utatur ; *exacto biennio.* Nam tam Græcos , quàm Latinos Auctores biennium incœptum transactum vocare , pluribus exemplis aliàs demonstrabo , & in hac dissertatione aliqua me retulisse memini.

PROLEGOMENA.

XXXII. Porro novem ea quinquennia integra esse num-
Præcedens
doctrinacõ-
firmatur. randa ; ideoque priorem præfatam Sidonii epistolam
scriptam esse anno 473. non verò antecedenti , ut
Baronius loco laudato putabat , omnesque sibi per-
suasere , colligo , ex aliis ejusdem Sidonii verbis. Is
lib.9. epist. 12. Oresio scribens Pontificatus sui met an-
nos per Olympiadas numerat , aitque : *postquam in*
silentio decurri tres Olympiadas. Annos duodecim tres
Olympiades reddunt. Quare tot annos jam Episco-
pus fuerat Sidonius , quando hanc ad Oresium epi-
stolam scripsit , ineunteque aliqua Olympiade , Anti-
stes renunciatus fuerat. Alioquin eò loquendi modò
sibi inusitato non uteretur. Cùm itaque anno Chri-
sti 463. Olympias trecentesima decima tertia cœperit ,
eo anno dictus est Episcopus Sidonius , eaque ad Ore-
sium epistola non anno 484. ut eo anno num. 136.
Baronius autumat , sed sequenti data est. Si enim
Sidonius anno 472. Ecclesiæ Arvernensis regimen ac-
cepisset , nunquam annos Præfulatus sui per integras
Olympiadas numerare potuisset. Ex quibus intelligis ,
quantum Quinquennialium & id genus festorum
notitia ad rem chronologicam conferat , cùm eorum
ope loca difficillima , clarissima reddantur , gravissi-
mique nodi quibus vix aliò mediò te extricaveris ,
solvantur.

XXXIII. Solitos fuisse Scriptores opera sua aut terminare ,
Libri de
Decennali-
bus Imp. aut publicare in Imperatorum Quinquennialibus & id
genus festis , ab iisque eadem incipere , in hac Differ-
tatione

PROLEGOMENA.

tatione observavimus. Juvat modò illud aliquot illu- ^{publicari}
stribus exemplis demonstrare. Tàm Historia Ecclesia- ^{soliti.}
stica, quàm Chronologici Canones, Eusebii anno
trecentesimo vicesimo quinto, quò Constantinus
Nicomedix Vicennalia celebravit, finiuntur. Socra-
tes & Sozomenus, qui Eusebii historiam continuarunt,
suas absolvunt, septimo decimo Consulatu Theodo-
sij Junioris, uti de ea, quam scripsit, testatur Socra-
tes in illius calce. Cadit is Consulatus in annum 439.
quò idem Theodosius octava Quinquennalia Imperii
vivente patre initi edidit. Theodoretus in fine histo-
riæ suæ Ecclesiasticæ ait: *quinque ac centum annorum*
spatio, res gestas hæc historia complectitur: ab Arii qui-
dem vesania ducens exordium; desinens verò in obitu
præstantissimorum virorum, Theodori atque Theodoti. Ba-
ronius anno 427. num. xxv. & Valesius in calce No-
tarum ad Theodoretum, plurimùm se torquent, ut
à quo anno initium duxerit, & in quo desierit Theo-
doretus, invenire possint. Baronius horum annorum
quinque supra centum, initium deducit ab anno Chri-
sti 323. finem verò credit, annum Christi 427. Vale-
sius existimat, anno sequenti eam historiam termina-
ri. Cæteri Scriptores vel à Baronio, vel à Valesio
stant. Sed ex centum & quinque annis, quos Theo-
doretus Historiam suam complecti dicit, subodora-
ri promptum erat, eum ab aliquibus Quinquennali-
bus aut Decennialibus, aut id genus festis, historiam
suam & incœpisse & absolvisse; cùm numerus ille,

PROLEGOMENA.

xxi. quinquennia conficiat. Quod quantum ad ejus initium, nos docet Gennadius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de eodem Theodoro loquens dicit, incepisse eam à fine librorum Eusebii, id est, à Vicennialibus Constantini. Imò & ipse Theodoretus, qui capite primo libri primi suæ historiæ, inquit: *Ἐ* Eusebius quidem Palestinus à Sanctissimorum Apostolorum temporibus exorsus, res in Ecclesiis gestas, usque ad Deo acceptum Constantini principatum, perscripsit: ego verò à fine historia illius initium operis mei sumam: ubi Græcum habet... μέγρι τῆς κωνσταντίνου βασιλείας, id est, usque ad monarchiam Constantini: alioquin Historiam ab anno 306. quò Constantinus regnare cœpit, Theodoretus inciperet, quod nullus dixerit. Optimè itaque Gennadium Theodoretum intellexit, quando scripsit, eum à Vicennialibus Constantini, Historiam suam exorsum, id est, ab anno 325. quò monarchia Constantini inchoata est; qui locus egregius est ad confutandam communem sententiam quæ eam anno 324. inchoatam credit. Si igitur anno Christi 325. addas centum ac quinque, pervenies ad annum 430. qui Theodoreti Historiæ Ecclesiasticæ meta & terminus est, quòve Theodosius Imperator, Imperii vivente patre suscepti Tricennalia celebravit. Res tamen anno 430. gestas Theodoretus non attigit, Eusebii, quem continuat, exemplo, qui rerum anno vicesimo Constantini Magni, actarum, nullam neque in Chronico, neque in Historia

mentio

PROLEGOMENA.

mentionem facit. Quod à Theodoro eò majori ratione præstitum, quod Tricennalia Theodosii, mense Januario anni 430. celebrata sunt.

Cùm verò Theodoretus in obitu Theodori Mopuestiæ, & Theodoti Antiochiæ Episcoporum se historiam suam absolvere in ejus calce scribat: liquet, erratum esse à viris doctissimis, dum horum Præfulum mortem anno 427. consignant. Ex quo errore alius nascitur, ut Joannis nempe Antiocheni in Historia celeberrimi initium & finem perperam collocent. Sed ex epistola Acacii Beroënsis ad S. Cyrillum scripta circiter Junii finem anni quadringentesimi tricesimi, quæ legitur in prima parte Concilii Ephesini, confunduntur; nostraque sententia validè confirmatur. Ait enim Acacius: *pietatis tue epistolam sanctissimo Joanni Ecclesie Antiochena Episcopo legi curavi, quam ille quoque summâ attentione, nec parvo doloris sensu audivit. Nam licet recens admodum ad Episcopatum venerit: eadem tamen vult & sentit, quæ nos senes.* At si anno quadringentesimo vicesimo septimo, ut vult Baronius, Theodotus vivendi finem fecisset: eumque Joannes in Episcopatu Antiocheno excepisset, anno quadringentesimo tricesimo, non diceret Acacius, Joannem recens admodum ad Episcopatum venisse.

Denique D. Hieronymus librum *de Scriptoribus Ecclesiasticis* anno Christi trecentesimo nonagesimo tertio, Theodosii Magni Quinquennialibus nobilitato, publicavit; cùm tam in præmio, quàm in fine testetur,

XXXIV.

*Ex initio
Episcopatus
Joannis
Antiocheni
deducitur
annus, in
quo desinit
Historia
Theodoretus.*

XXXV.

*Liber de
Scriptoribus
Ecclesiasticis
ab Hieronymo in*

PROLEGOMENA.

*Quindecennialibus
Theodosii
scriptus.*

testetur, sed illum scripsisse anno decimo quarto ejusdem Theodosii Imperatoris, qui die decimâ nonâ Januarii ejusdem anni Christi absolvebatur. Nec obstat quod Baronius anno 389. num.xi. scribat, librum illum anno antecedenti in lucem editum esse, nam Suidas verbo *γενήσιος* tradit; D. Gregorium Nazianzenum diem obiisse anno Theodosii Magni decimo tertio, ætatis verò suæ nonagesimo exacto, Christi nempe trecentesimo nonagesimo primo. Quomodo autem hoc verum esse potest, si liber de Scriptoribus Ecclesiasticis scriptus non fuerit, seu veriùs in lucem emissus, initio anni trecentissimi nonagesimi, tertii? cùm in eo Hieronymus de Gregorio Nazianzeno loquens dicat: *decessit ante fermè triennium, sub Theodosio Principe?* hæc Hieronymi verba Baronium impulere, ut Gregorii Nazianzeni obitum anno trecentesimo octuagesimo nono contigisse existimarit; scripseritque, Suidam errasse tam in anno mortis, quàm in anno ætatis ejusdem Nazianzeni: quem tamdiù vixisse à veritate alienum putat. Baronium omnes, qui de rebus gestis D. Gregorii Nazianzeni locuti sunt, sequuntur, præter Danielem Papebrocium, qui in Actis Sanctorum die nona Maii S. Gregorii Natali; longævam hujus sancti Antistitis vitam egregiè probat; sed qui in anno ejus emortuali assignando, à Baronio non recedit. At Suidam, annum mortis, & ætatem Nazianzeni rectè consignasse; ideoque librum de Scriptoribus Ecclesiasticis ab Hieronymo, initio
anni

PROLEGOMENA.

anni trecentefimi nonagesimi tertii, publicatum fuisse, aliàs manifestum faciam.

Anno 462. de dedicatione Ecclesiæ S. Anastasiæ juxta Acta S. Marciani à Bollandò & Henschenio illustrata locuti sumus. Postea in Actis sanctorum mensis Maii anno elapso in lucem editis legimus in vita S. Gregorii Nazianzeni die nonâ Maii, in notis ad caput nonum, & in Commentario prævio ad vitam S. Isidori Martyris in Insula Chio, die decimâ quintâ Maii, Papebrocium reperisse in Bibliotheca Serenissimi Sabaudix Ducis vitam aliam S. Marciani à Sergio Auctore coævo scriptam, ex qua quæ à Bollandò & Henschenio publicata est, magnam lucem accipere potest. Existimat itaque Papebrocius S. Marcianum Basilicam S. Anastasiæ ædificasse circa annum 425. annos natum triginta vel quadraginta; & qui dedicationi ejus interfuerunt Imperatores, fuisse non Leonem & Verinam, uti Bollandò visum; sed Theodosium Junio-rem, ejusque uxorem Eudociam, ac sororem Pulcheriam. Nam quod imperante Marciano, id est post annum 450. floruisse dicatur S. Marcianus; id eò pertinere arbitratur Papebrocius; quod sub extremos hujus Imperatoris, ac vitæ suæ annos primùm factus sit magnæ Ecclesiæ Oeconomus, qui eatenus in S. Anastasia exercuerat sacerdotales functiones, diù ante, uti ex vita à Sergio scriptâ colligitur, & in juventute sua, ordinatus presbyter. Quomodo enim potuit eam Basilicam condidisse prælaudatus Sanctus ultra

XXXVI.

*Encomia
Basilica S.
Anastasia
Theodosio
Jun. impe-
rante ecte-
brata.*

ẽẽ annum

PROLEGOMENA.

annum 458. & illius ut conditæ meminisse Sozomenus, lib.7. cap.5. qui historiam suam dedicavit Theodosio Juniori; eamque ultra annum 439. non protraxit: nisi eâ Theodosio Juniore imperante ac S.Marciano adhuc presbybero, ædificata fuerit? Ita Papebrocius. Sed hæc conjectura minimè, admittenda, cùm Theophanes in Chronico, anno mundi secundùm Alexandrinos 5950. qui Kalendis Septembris anni Christi quadringentesimi quinquagesimi septimi incipit, scribat: *eadem anno S.Anastasiæ corpus Sirmio delatum, in ejus templo ad Dominici porticus depositum.* Ex quo colligere est, templum in ejus honorem, jam tum quidem ædificatum; sed nondum dedicatum fuisse. Standum itaque Metaphrasti, qui Vitam S.Marciani scripsit; quique eam Ecclesiam Gennadio Ecclesiam Constantinopolitanam administrante, post annum nempe 458. dedicatam insinuat. Neque mirum, Sozomenum, qui in anno Christi 439. historiam suam absolvit, de egregio illo S.Anastasiæ templo loqui: cùm Theodoretus, cujus historiæ meta annus 429. lib.5. cap.39. tradat bellum anno Christi 420. Romanos inter & Persas ortum, *triginta jam elapsis annis* adhuc permanere. Sicut igitur ex his Theodoreti verbis inferre debemus, hunc Auctorem anno Christi quadringentesimo quinquagesimo historiam suam scripsisse, quod tamen hætenus non animadvertum: ita ex his, quæ Sozomenus habet de S.Anastasiæ templo post Marciani Imperatoris mortem

PROLEGOMENA.

mortem constructo, deducendum, eum scriptorem licet historiam suam ad annum tantum Christi quadringentesimum tricesimum nonum perduxerit: eam tamen in lucem dedisse circa annum Christi 449. Scripsit enim post Theodoretum, quem aliquando supplet ac emendat, ut observat Valesius in Præfatione ad historiam Sozomeni; ex quo & ea præfatio supplenda, in qua non indicatur annus, quo Sozomenus historiam suam scripsit. Existimo itaque, templum illud, quando Sozomenus historiam suam publicavit, ædificatum quidem fuisse; at nondum dedicatum. Cujus dedicationis annus adhuc in obscuro est.

Anno Christi 463. Vivianum & Felicem ex Marcellino in Chronico edidi. Sed Felicis loco, statuentus *Cacina Basilius*, quem omnes Fasti exhibent, Casiodorus in Chronico, Auctor Chronici Alexandrini, Marius Aventicensis, Chronicum à Cuspiniano publicatum, Epistola nona Hilarii Papæ ad Leontium, quæ dicitur *data VI. Idus Octob. Basilio V. C. Consule*: ac denique Epistola undecima ejusdem Pontificis ad Episcopos, qui de Mamerti causa cognoverant, *data VI. Kal. Martias P. C. Basili V. C. Consulis*. Ex quo & patet, Consulem eum Occidentalem fuisse. Cùm enim Occidentales unius tantum Consulis in Actis publicis mentionem faciebant, non alium quàm in Occidente creatum memorare solebant: sicuti è contra Orientales Orientalem. Quæ regula esse poterit ad

XXXVII.
Consules
anni 463.

PROLEGOMENA.

dignoscendum, quisnam ex Consulibus in Oriente; quisnam in Occidente annum aperuerit; licet, ut alibi dixi, quamvis rariùs, aliter aliquando factum fuerit, præsertim cum Imperatores Consulatum gerebant. Basilium porro Cæcinam dictum fuisse, docet Sidonius epistolâ nonâ libri primi, ubi ejusdem hortatu ait, se panegyricum Anthemii dixisse. Videtur itaque Marcellinum perperam exhibuisse Felicem Viviani Collegam, qui ab aliquibus ex Auctoribus citatis *Bibianus* vocatur; nisi forsan Basilius dictus sit etiam Felix.

XXXVIII. Anno 466. Leonem Augustum III. & Tacianum Consules professus sum ex Onuphrio in Fastis. Baronius tamen eodem anno num. I. tradit, Tatianum ex divinatione absque aliquo teste aut verosimili conjecturâ ab Onuphrio Collegam dici Leonis: sed perperam: Utrumque enim Consulem Auctor Anonymus à Cuspiniano editus & Marius Aventicensis proponunt.

XXXIX. Paginâ 292. Non meminimus advertere, Zenonem Imperatorem duplicia Quinquennalia & id genus festa edidisse; priora à die, quo vivente Leone Juniori filio, in Imperii consortium adscitus est; posteriora a die, quo post ejus mortem solus imperavit deducta. Quod idem de Justiniano Imperatore Justiniani Senioris per aliquot menses Collegâ, ac post ejus obitum solo Imperatore, dicendum. Priora itaque Justiniani Vicennalia anno 547. acta, ut jam subodorati eramus.

Paginâ

PROLEGOMENA,

Paginâ 97. & 295. primam Theodorici Gothorum Regis Epocham nemini hæcenus observatam, ab anno 490. petendam esse diximus. Re tamen maturius examinatâ comperimus ab anno antecedenti eam desumendam. Eo enim anno, Eusebii & Pro-
 bini Consulatu notato, scribit Cassiodorus in Chronico : *his Cass. felicissimus atque fortissimus D. N. Rex Theodoricus intravit Italiam, cui Odoacer ad Isontium pugnam parans victus cum tota gente fugatus est. Eodem anno repetito consiliu Verona vincitur Odoacer.* Hunc etiam Theodorici in Italiam hoc anno ingressum memorant Marcellinus & Marius Aventicensis in Chronicis. Id egregiè confirmo ex Eugipio, qui in vita S. Severini Noricorum Apostoli de Odoacre loquens ait : *dum memoratum Regem multi nobiles coram sancto viro, humanâ (ut fieri solet) adulatione laudarents interrogat, quem Regem tantis præconiis prætulissent. Respondentibus illis Odoacrem; inquit vir Dei : Odoacer integer erit inter tredecim & quatuordecim annos, videlicet regnum integrum significans.* Anno quadringentesimo septuagesimo sexto levatus est Odoacer Rex X. Kal. Septemb. inquit Auctor Anonymus à Cuspiniano editus anno verò quadringentesimo octuagesimo nono, exeunte Septembri, victus est idem Odoacer à Theodorico, ut docet Anonymus à Valesio in calce Ammiani. Quare vera fuit S. Severini prædictio, neque dubium, quin ab ea victoria Theodoricus Regem se Italiæ dixerit. Quod ex eo magis liquet, quod idem Anonymus

XXXX.

Prior Theodorici Italia Regis Epochâ.

P R O L E G O M E N A .

Valesianus de Odoacre scribat : *mansit in Regno annos XIII.* licet Odoacer , si Regnum ejus numeratur , à die , quo Rex creatus , ad annum quadringentesimum nonagesimum tertium , quò *tertio nonas Martias* , ut habet Anonymus à Cuspiniano publicatus , occisus est , & quò secunda Theodorici Epochâ , quæ sola hætenus cognita , inchoatur , Odoacrem anno Septemdecim regnasse certum sit. Juxta itaque præfatum annum quadringentesimum octuagesimum nonum , Decennalia & id genus festa à Theodorico celebrata esse , dicendum ; ideóque & Decennalia prioris Imperii Romæ anno quingentesimo peracta , præter legitimum tempus edita esse.

XXXXI. Antequam à Theodorico discedam , observo cum
Gothi & Romani ab Imperatore Orientis Consules dicti. Valesio in Notis ad Auctorem Anonymum , quem in calce Historiæ Ammiani edidit , quandiu Gothi in Italia regnavêre , Magistratus publicos penes Romanos mansisse , hisque semper permissum fuisse , ut ab Orientis Imperatore quotannis Consulatum acciperent. Testatur id Procopius in lib. 2. Gothorum cap. 5. *omnibus præterea urbanis antehac Magistratibus Romani perfungebantur , Gothus vir nemo eorum particeps factus : vel procedat in medium qui profari nos ista non verè existimet : addat & Consularem quispiam dignitatem , quâ etsi Gothi ab Orientis Imperatore donati , Romanis tamen perfungi permiserunt : ita Procopius.* Et Cassiodorus lib. 8. Variarum Epist. 1. docet , Eutharicum Theodorici Italix Regis generum , qui anno Christi quingentesi

PROLEGOMENA.

gentesimo decimo nono Fastis nomen dedit, trabeam Consularem à Justino Augusto accepisse. *Vos genitorem meum in Italia palmata claritate decorastis*, inquit Athalaricus Gothorum Rex Eutharici filius, Justiniano Augusto loquens. Ex quo corrigendum quod diximus part. 1. cap. 8. num. 6. & delenda hæc verba, *Sicuti quando his verbis Leonis Junioris Consulatum proficitur, domino Leone Juniore Aug. Cos.* quæ nescio quomodo huc irreperint. Theodricus itaque Consules Occidentis non designavit, sicut soliti erant Imperatores qui eum præcesserant.

Paginâ 302. Justinus, qui anno 540. Consul ordinarius processit, alius est à Justino, qui Justiniano avunculo in Imperio successit; licet Norisius Dissertatione de Synodo quinta cap. 9. §. 2. unum & eundem esse scripserit. Disertè id docet Continuator Marcelini, qui sub Justini Consulatu, anno nempe 540. scribit: *Parthi in Syriam ingressi multas urbes subvertunt, contra quos Germanus arma arripens Iustinum filium, eundemque Consulem in ipsis fascibus secum ducit.* Justinus autem, qui post Justinianum imperavit, *Vigilantia sororis Iustiniani Augusti filius patre Dulcissimo natus est*, inquit Victor Tununensis, qui tunc vivebat, in fine Chronici sui. Joannes Biclariensis, qui Victoris Tununensis Chronicon continuavit, anno 2. Justini Junioris scribit: *Iustinus filius Germani Patricii, consobrinus Iustini Imperatoris, factione Sophia Augusta in Alexandria occiditur.* Plura de Justino Germani filio, qui ob peritiam

XXXXII.
*Iustinus
Junior alius
à Justino
Germani
filio.*

PROLEGOMENA.

ritiam rei militaris, & ob dignitates, quas gesserat, in magna gloria erat, Evagrius initio libri quinti.

XXXXIII. Pag. 331. diximus, Justinum Junio-
Quo anno **rem** anno 567. Consulatū gessisse. Norisius tamen loco laudato ait:
Justinus **Fasti plerique circa annum 566. errarunt. Nam Appendix**
Junior Con- **Marcellini Comitum Indict. 14. XXV. post Consulatum Basili**
sul fuit. **lii V. C. quo anno illud Anctuarium terminatur. Sed planè**
expungendus est character ille Consularis. Nam anno 566.
Justinus novus Imp. Consulatum II. gessit: prior enim sum-
ptus fuerat 540. Sed ex dictis hæc evanescent, certis-
simèque constat, Justin Junioris Consulatum anno
tantum 567. gestum esse: quod valdè observare re-
fert, ut Consulatus & Imperii anni sine errore con-
jungi possint.

XXXXIV Pag. 333. & 334. diximus, Tiberium Constanti-
Tiberii Cō- **nam** anno quingentesimo septuagesimo nono, Con-
stantini Cō- **sulatū** gessisse, ejusdemque Imperatoris annos à
sulatu. **Cæsarea dignitate eidem anno 574. mense Decembri,**
feriâ sextâ, collatâ, plerumque deductos fuisse: cu-
jus rei exemplum extat in antiquo Codice relato à
Dandulo in Synodo Aquileiensi apud Gradi Insulam
coacta: Imperante Serenissimo Tiberio Constantino Augu-
sto, anno Imperii ejus quinto eodem Consule, sub die tertio
Nonarum Novembrium Indictione decimâ. terciâ. Hanc
subscriptionem refert Norisius Dissert. de Quinta Sy-
nodo cap. 9. §. 3. ex eaque deducit Tiberium Idibus
Novembris anni 574. dictum fuisse Cæsarem, quæ
& Onuphtii opinio fuit; quòd eò die Justinus Junior
Justinia

PROLEGOMENA.

Justiniano demortuo successisset. Sed ex ea subscriptione id minimè sequitur, sed tantùm, Auctorem Chronici Alexandrini errasse, qui anno 574. mense Septembri, Tiberium Cæsarem renunciatum esse scribit: Character feriæ à Theophylacto Simocatta observatus hanc Norisij, Onuphriique opinionem prorsùs evertunt. Anno enim 574. Idus Novembris non cum feria sexta, sed cum feria quarta concurrunt. Nam is Christi annus notatur Cyclo Solis 23. literâ Dominicali G. Ex ea subscriptione liquet, Consulatum Tiberii Constantini optimè à nobis consignatû fuisse.

Pag. 337. Scripsimus, Mauricium Imperatorem anno tantùm Christi 584. Consulatum sumpsisse. Norisius tamen Dissert. de quinta Synodo cap. 9. §. 3. eam dignitatem anno antecedenti ab eo Imperatore gestam ex his Theophylacti Simocattæ verbis lib. 1. cap. 12. deduci existimat: *agebatur annus Mauricii secundus, cum hyeme consul creatus, &c.* quare inquit Norisius anno 583. quò secundus Mauricii annus inchoatus est, Consul idem Imperator processit, ideoque annus Christi 584. notatus est hâc formulâ, *Post Consulatum Mauricii: annus verò 591. istâ VII. post Consulatum,* cùm S. Greg. lib. 2. epist. mense Septembri Indiçt. X. scribat: *Temporibus Papæ Gregorii Consulatus Mauricii Augusti anno septimo depositus est Laurentius.* Indiçtio enim X. character, est anni Christi 591. At non advertit vir Eruditissimus, Gregorium hoc loco uti loquendi modo Marcelliano; Imperatoresque Orientales,

XXXXV.
Consulatus
Mauricii
anno 584.
gestus.

PROLEGOMENA.

tales, qui anno Imperii secundo Consulatum cepere, ipsum Imperii annum secundum jam inchoasse, quando eam dignitatem iniere, ut diximus pag. 347. Videntur etiam locus Gregorii à nobis explicatus pag. 338. Consulatus Mauricii perperam consignatus Chronologiam per annos ferè viginti depravat, ut ex iis quæ suo loco diximus, liquet.

XLVI. *Leonis Isauri duplex Epistola.* Pag. 354. diximus subscriptionem, quæ legitur in Synodo Romana sub Gregorio secundo Papa, anno 721. celebratâ, mendosam videri. Mabillonius tamen in præfatione partis secundæ seculi quarti Benedictini cap. 7. num. 115. refert eandem subscriptionem, aitque eam legi, tum in fronte, tum in fine Decretorum Gregorii Papæ secundi in veteri exemplari manuscripto in Monasterio S. Germani in suburbio Parisiensi asservato, quod regnantis Caroli Magni anno XXVII. exaratum est: in alio ejusdem ævi Codice eandem quoque utrobique legi, nisi quod in subscriptione non nemo secundâ manu adjecit *decimo* post hæc verba, *P. C. ejus anno sexto*. Addit, ex alio Exemplari similiter corrupto natam esse lectionem editorum, qui tam initio, quàm in fine præferunt: *P. C. ejus anno sexto decimo*; cum legendum sit indubiè *sexto*, ut probant non solum superiores duo Codices veterrimi; sed etiam collectio Canonum sub Clemente II. exarata, quam Fronto Ducæus à V. C. Clerico Parisiensi commodatò acceperat, quæ cum hac chronologica nota similiter leguntur apud Baronium

&

PROLEGOMENA.

& Onuphrium. His accedit modus componendi annos Imperii cum totidem annis Consulatûs Imperatorum. Quæ una ratio sufficit ad emendandos vulgatos libros in hoc loco Decretorum Gregorii Papæ II. Hæc Mabillonius, qui tamen difficultatem non solvit: quomodo nempe annus sextus Imperii Leonis Isauri, qui anno Christi 717. imperare cœpit, cum anno Christi 721. conjungi possit. Cùm itaque vulgaris lectio præfatæ subscriptionis in dubium revocari non debeat, existimandum, Leonis Imperium in ea subscriptione deduci ab anno Christi 716. quô Leo illud in Asia invasit, imperante adhuc Theodosio, ut Theophanes in Chronico docet. Is nihilominus ab anno 717. Imperium Leonis exorditur, quòd eo tantum anno Theodosius in ordinem redactus sit: qua in re Eruditos omnes hodie sectatores habet. Si igitur anno 716. Imperium suscepit, anno 721. currebat annus sextus ejus Imperii, annusque sextus post ejus Consulatam; ut in laudata subscriptione dicitur. Neque id gratis à me dictum putes. Baronius anno 726. affert epistolam Gregorii Pontificis Romani II. de sacris Imaginibus ad Leonem Isaurum Imperatorem scriptam, quæ his verbis incipitur: *Literas vestra à Deo custoditæ Majestatis accepimus, imperante te, Indictione quartâ decimâ: etiam XIV. XV. I. II. IV. V. VI. VII. VIII. IX. & X. Indictionum acceptas epistolas suas diligenter servamus.* Et paulò post: *decem annos Dei beniguitate rectè ambulasti.* Scripta ea epistola anno Christi

PROLEGOMENA.

726. quò , mense Septembri Indiçtio decima cœpit. Ex quo consequens est , priorem Leonis ad Gregorium Pontificem Romanum epistolam scriptam esse anno septingentesimo decimo sexto , Indiçtione decimâ quartâ notato. Quâ epistolâ fultus Baronius Leonis Isauri Imperium ab anno 716. exordiendum duxit : Quia tamen plura concurrunt , ut illud ab anno sequenti desumatur ; à communi sententia recedendum non est : sed tantùm observandum , duplicem esse Leonis Epocham , quarum prior , licet minùs in usu fuerit , ad vetera monumenta intelligenda aliquid quando necessaria.

XLVII.
Diploma
Benedicti
tertii emē-
datum.

Pag. 365. Nicolai Pontificis Romani nomen loco Benedicti tertii irrepsit. Mabillonius loco laudato , num. 214. n̄vos aliquot , qui deprehenduntur in Benedicti tertii diplomate , facta collatione cum auctographo emendat ; & quod ad rem præsentem facit , clausulam ejusdem diplomatis his verbis conceptam esse affirmat : *Datum V. nonas Octobrias , per manum Theophylacti secundi Cerii S. Sedis Apostolica , imperantibus Dominis nostris piissimis Augustis , Hlothario à Deo coronato magno Imperatore , anno tricesimo nono , & P. C. ejus anno tricesimo nono , sed & Hludovvico novo Imperatore ejus filio , anno septimo , Indiçtione quartâ.* Notat tamen auctographum facilè legi non posse ante verbum *Nonas* ; incertumque esse , an scriptum fuerit : *quinto , aut sexto Nonas.* Ex quibus constat , locum illum , antequam hæc Mabillonii legeremus , rectè à nobis fuisse emendatum. Mabi

PROLEGOMENA.

Mabillonius ibidem tres Ludovici II. Imperatoris Epochas agnoscit , quarum secunda cum tertia ab omnibus huc usque fuerat confusa. Neque tam mirum , eas eodem tempore à Mabillonio & à me detectas fuisse ; quàm quod Historicos Gallicos eæ fugerint ; cùm diversæ ejusdem Principis Epochæ , ad varias difficultates solvendas , magnæ sint utilitatis. In alio Opere ostendam , tres etiam Lotharii Ludovici secundi patris Epochas distinguendas esse : quod hîc indicare placet, ut qui interim ejus diplomata legerint, ab erroribus caveant, in quos ii, qui ad tres illas Epochas non advertêrunt animum, incidêrunt.

Pag. 372. diximus, Libellum à Basilio, sanctisque Monachis Theodosio Imperatori oblatum fuisse anno 430. Gavisi tamen sumus animadvertisse, Joannem Garnerium celeberrimum Societatis J E S U Scriptorem, quem die vicesimâ sextâ Octobris anni 1681. Bononiæ, naturæ debitum solvisse, scripsit ad me Illustrissimus D. Magliabechius Serenissimi Etruriæ Ducis Bibliothecarius, literatorum patronus optimus, observare in Præfat. ad posteriorem partem Operum M. Mercatoris, libellum illum anno 429. præsentatum fuisse. Quod ex eo deducit, quod in illa supplicatione res Nestorianæ dicuntur perinde se habere ac in literis Nestorii ad Cælestinum Romanum Pontificem; augeri nimirum & invalescere in dies Nestorio multos, ut ipse quidem mentitur, errorem dedocente: ut autem veriùs Monachi aiebant, minis

XLVIII.
*Tres Ludovici II.
tresque Lotharii Epochæ.*

XLIX.
Supplicatio à Monachis Theodosio Imp. oblata anno 429.

PROLEGOMENA.

& verberibus terrente. Ex quo Epocha Concilii Antiocheni posterioris adversus Paulum Samosatensem magis confirmatur, quæ hucusque malè collocata fuerat sub Aureliano Imperatore, qui tamen nondum Imperium Romanum administrandum susceperat, quando Concilium coactum ac finitum est.

L. *Liber Norisii de Inscriptionibus Pisanis ab Auctore non visus.* Superest, ut moneam, me summè exoptasse legere librum à R. P. Henrico Norisio ab aliquot mensibus compositum circa duas Inscriptiones Pisanas Caii & Lucii Cæsarum, Augusti nepotum. Aliàs enim eidem Norisio viro mihi amicissimo per literas significavi, quæ mea mens esset de Consulatibus designatis Cæsarum & Augustorum, ejusque judicium magni apud me ponderis. Præterquam quod non dubito quin de multis ad materiam, de qua scripsi, spectantibus tractarit. Sed licet Illustrissimus Magliabechius qui quæ in Italia typis mandantur, incredibili munificentia ad me mittere solet, hoc opus ad meas manus perferendum curaverit, nondum tamen illud videre licuit.




INDEX CAPITUM.

Quæ in hoc Volumine continentur.

PARS PRIMA.

De Consulatibus Cæsareis, tum designatis, tum
suffectis.

- Cap. I.  *Cæsares & Augusti Consules designati, Con-
sules aliquando absolutè vocati.* pag. 7
- II. *Consulatus secundus Claudii Imperatoris,
in quo Britannicus natus, designatus tantùm erat.*
pag. 14
- III. *Adoptiones Marci Aurelii, & Lucii Veri in secundo
Consulatu Antonini Pii tantùm designato factæ.* 18
- IV. *Hadrianus mortuus est in secundo Consulatu Antonini
tantùm designato.* 29
- V. *De suffectis Cæsarum & Augustorum Consulatibus.* 37
- VI. *De Consulatibus suffectis Gallieni Iunioris Cæsaris, &
Aureliani adhuc privati.* 41
- VII. *Tam Gallieni Cæsaris, & Valeriani, quàm Criniti,
& Aureliani Consulatus reapsè gestus est, unde
altera Inscriptionis Foro-Julienensis interpretatio de-
sumitur.* 61
- VIII. *Consulatus designati, & suffecti ab honorariis valde
diversi.* 70

PARS

INDEX CAPITUM.

PARS SECUNDA

De Cæsarum & Augustorum Consulatibus Ordinariis
horumque Regulis.

- Cap. I. **I**mperii auspiciam prima Cæsareorum Consulatum Regula. 77
- II. *Quinquennalia, & id genus festa, de quibus generatim agitur, secunda Consulatum Cæsareorum Regula.* 85
- III. *Decennalium beneficio tum Christiana, tum Ethnicæ Religionis historia illustrata.* 108
- IV. *Decennalium beneficio Codex Theodosianus illustratus.* 121
- V. *Decennalium beneficio fasti Consulares, & historiarum Romanæ, tum Byzantinæ scriptores illustrati.* 129
- VI. *Chronologia, Geographia, & Nummographia Decennalium beneficio illustrata.* 137
- VII. *Aliquot Imperatorum Decennalia, & id genus festa, de quibus major difficultas esse potest, explicantur.* 151
- VIII. *Tertia & quarta Consulatum Cæsareorum Regula explicantur.* 170
- IX. *Triumphus quinta Consulatum Cæsareorum Regula.* 165
- X. *Sexta ultimaque Consulatum Cæsareorum Regula explicata*

INDEX CAPITUM.

- explicatur.* 183
- XI. *Cesareorum Consulatuum ab Augusto ad Marcum Aurelium, & Lucium Verum Rationarium, ac Quinquennialiorum, & id genus festorum ordinatio juxta traditas Regulas.* 191
- XII. *Consulatuum Cesareorum à pluribus Augustis simul imperantibus usque ad Imperii divisionem Rationarium, ac Decennialium & id genus solemnium ordinatio juxta nostras Regulas.* 214
- XIII. *Consulatuum Cesareorum à primâ Imperii divisione ad eam, quæ Valentiano & Valente Imperatoribus facta Rationarium; ac Decennialium & id genus festorum ordinatio juxta nostras Regulas.* 241
- XIV. *Consulatuum Cesareorum à Valentiano & Valente ad Imperii Occidentalis excidium Rationarium, ac Decennialium & id genus festorum per eosdem annos ordinatio.* 259
- ULT. *Consulatuum Cesareorum ab Imperii Occidentalis excidio, ad fastorum Romanorum Consularium finem Rationarium; ac Decennialium, & id genus festorum per eosdem annos ordinatio & finis.* 294

INDEX CAPITUM.

PARS TERTIA.

De perpetuis Imperatorum Orientalium Consulibus.

- Cap. I. **D**E Consularibus dimidiatis à Constantino Magno ad Iustinum Iunio-rem in actis publicis sæpe occurrentibus. 308
- I I. De Postconsulatibus à Constantino Magno ad Iustinum Iunio-rem usa receptis. 316
- III. Fasti Consulares Byzantini à Iustino Iuniori ad Constantinum Pogonatum nunc primum de integro ordinantur, & secundum accuratam Chronologiam, tam cum Era Christiana, quam cum Imperatorum annis connectantur. 328
- I V. Consulus Tribunitia potestatis instar gestus, hactenus ignotus explicatur. Quando, quâ ratione deserit. 349
- ULT. Chronologia Aureliana. 471





SYLLABUS

AUCTORUM QUI CITANTUR

notantur, emendantur, illustrantur
in hoc opere.

*Numerus Romanus Prologomena, Vulgaris paginam
Dissertationis indicat.*



Cra S. Marcelli.	pag.91
Aimonius num. IX.	
Alcuinus.	311
Aldus Manutius num. XXIII.	
Alemannus.	70.76.303.327
Alfordus.	378
Ambrosius Morales.	368
Amnianus Marcellin. 80.94.95.101.121.147.157.158.170. 172.182.238	
Anastafius Bibliothecarius.	98.349.352
Anonymus Cuspiniani n. XV.	289.290.291.293
Anonymus Valefianus n. XL.	17.97.98.157.162.300
Appianus Alexand.	7.12.308
S. Athanafius.	375.377
Athenzeus.	157
Auctor incertus panegyrici Constantino M. dicti.	134
Auctoris incerti panegyricus Maximiano & Constantino dictus.	157
Auctor Miscellæ.	336.337.352.356.357
S. Augustinus n. XXIII.	40
Aufonius.	5
	3 3 2 Baluzius

SYLLABUS.

Baluzius.	90.93.138.139.140.158.159.236.320.332
Balsamon.	325
Baronius n. XII. XXX. XXXIII. XXXV. XLVI.	27.28.38.41.
44.45.54.56.70.73.76.98.105.110.111.114.115.116.117.161.	
164.166.182.83.186.187.190.191.195.237.238.254.257.262.	
281.284.286. 307.320.324.333.335.354.355.356.360.364.	
365.369.372.376.377.380.382.383	
Baudemundus.	348
De la Baune.	92.134
Blondellus num. XII.	141
Bœclerus.	185
Bollandus.	186.190.195.196.198.348
Broderovus.	75
Bulengerus.	88
Calvisius n. XV. XXVII.	69. &c.
Cambesius.	68.71.361
Capitolinus.	18.24.25.26.67.157.179.212.213.216.230
Casaubonus.	22.36.47
Cassiodorus n. IX. XVI. XL. XLI.	67.71.74.113.203.222.
292.296	
Catalogus antiquorum Pontificum.	309
Cedrenus.	103.231.325.334.337.338.358
Censorinus.	83.184
Joannes Jacobus Chiffletius.	181.182.283
Petrus Franciscus Chiffletius num. XXVI.	
Christophorsonus.	75
Chronicon Alex. 17.39.40.67.90.93.94.103.110.111.115.116	
119.141.333.334.336.340. &c.	
Chryserus.	30
Claudianus.	118.188.189
Clemens Alex.	19.20.31
Codex Justinianæus pluribus in locis.	
Codex Theodosianus pluribus in locis.	
Cointius.	44.45.56.75.239.326.328
Corippus Poëta.	331.358
	Europa

SYLLABUS:

Curopolates.	360
Cyrillus Monachus.	294
Dion. XVIII. XIX. 5.7.12.19.20.21.22.23.24.26.30.31.67.	
70.72.83.84.85.99.100.132.133.151.152.177.183.196.	
199.200.205.227	
Dionysius Halicarnassensis.	12
Dubletius.	365
Dufresnius. 71.83.91.289.346.356.362.366.369.371	
Elmacinus.	355
Evagrius. 75.126.127.299.326.327	
Eugippius num. XXXIII. XL.	335
Eulogius.	368.369
Eumenius. 126.142.143.236.244	
Eusebius num. XV. XXIV. XXV. XXXIII. 79.82.90.93.100.	
101.102.105.106.107.109.110.118.112.113.115.118.119.	
138.141.142.157.159.163.164.165.197.199.201.204.206.	
209.211.217.219.223.226.228.230.234.236.237.245.247.	
250.251.372.373.375.381.382	
Eutropius. 31.32.48.139.242	
Fragmentum Consulare apud Bucherium.	67.80.
Fredegarius num. IX.	348
Firmicus.	378
Frontinus num. XV.	
Frontoducæus num. XLVI.	
Garnerius n. XLIX.	
Georgius Syncellus. 103.311	
Goltzius. 8.9.10.11.14.30.35.38.46.52.55.67.68.80.	
Gothofredus n. XXVI. 123.124.125.128.137.141.142.143.	
190.191.210.263.280	
D. Gregorius num. XLV. 338.339.340.341	
Gregorius Naz. XXVII.	
Gregorius Turonensis num. IX. 73.75	
Gruterus variis in locis.	
Hadrianus Valesius num. IX.	
Henricus Valesius. 39.75.79.88.95.97.100.104.111.115.116.	
117.126.141.146.158.161.166.171.182.251.261.263.288.	
ô ô 3	289.

SYLLABUS.

289. 320. 326. 371. 372. 376	
Henichenius num. xxxvi.	22. 39. 186. 217. 190. 195. 296. 298.
380. 381	
Hermannus Contractus.	373
Herodianus	73. 100. 101. 175. 176. 177. 178. 185. 189. 221
D. Hieronymus n. xxxiv. xxv.	100. 117. 120. 251. 252. 244
Hervvartus.	4. 10. 13. 14. 16. 17. 21. 137
Hieronymus Rubens.	303
Holstenius.	324
Jacobus Goar.	258. 163. 337. 376
Jacius in fastis.	93. 94. 104
Jadiculus praefectorum Urbis.	33. 34. 81
Joannes Abbas Bichariensis num. xlii.	326
Joffredus.	49
Jornandes.	3
Josephus.	10 12. 84. 193. 204. 206
Isidorus Polusiora.	75
Julianus Antecessor.	332
Julianus Imper.	3. 145. 235
Justellus.	325. 345. 354
S. Justinus.	115
Kirmannus.	27
Labbeus.	171
Lactantius.	39. 90. 93. 107. 112. 138. 157. 159. 161. 162. 188. 239.
240. 242. 245. 246. 247. 248. 381	
Lambecius.	26. 30. 67. 72. 95. 140. 226. 383
Lampridius.	9. 11. 72. 176. 178. 179. 216. 218. 227
Lazius.	28. 33. 73
Leo Grammaticus.	359. 360. 361. 362. 363
Libanius.	4. 75. 126. 175. 263. 264
Lipsius num. xlii.	9. 17. 20. 23
Livius.	13
S. Lucas.	4. 19. 199
Lucretius num. lii.	
Mabilonius num. xlii. xlvii. xlviii.	311. 335.
	Mamerti

SYLLABUS.

Mamertinus.	91.134
Marcellinus Comes num. XLII. XLIII.	89. 86c.
Marcus Antonius Capellus.	22
Marianus Scotus.	39.352
Marius Aventicensis n. XXXVII XXXVIII.	76. 8c.
Margarinus.	341.367~
S. Maximus.	103
Methodius.	373
Modestinus.	100
Muretus.	195
Nazarius.	167
Nicetas.	360
Nicolaus Heinsius.	188
Norifius n. XLII. XLIII. XLIV. XLV. L. 18. 25. 27. 29. 33. 34. 42. 43. 69. 83. 85. 86. 88. 95. 96. 153. 156. 157. 158. 160. 162. 164. 167. 168. 175. 172. 177. 187. 205. 212. 223. 227. 234. 285. 309. 358. 373	
Novella Justiniani.	75
Oceo.	46. 49. 96. 149. 8c.
Olympiodorus n. XI.	74. 281. 282
Onuphrius n. III. XXVII. 18. 24. 25. 26. 27. 29. 35. 37. 42. 43. 51. 52. 53. 69. 70. 73. 82. 86. 87. 172. 185. 187. 189. 331. 334. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 356	
Optatus.	41. 161
Orosius.	48. 135. 157. 187. 241. 330. 353. 381
Orichius.	231
Ovidius.	20. 83. 84. 133
Papebrocius n. VII. XXVII. XXXVI.	114. 115. 380. 381
Patinus.	30. 36. 97. 178
Paulinus num. XXV.	
Paulus Aringhus.	359
Petavius 11. 13. 16. 17. 21. 22. 28. 31. 39. 44. 45. 55. 68. 101. 105. 110. 111. 114. 116. 120. 133. 139. 142. 143. 147. 182. 185. 187. 195. 206. 221. 224. 262. 265. 288. 289. 342. 346. 377. 380.	
Photius num. XI.	Philo.

SYLLABUS.

Philostorgius num.xxix.	146.281.282
Plinius num.xx.	11.14
Plinius Junior.	8.81.86.153
Plutarchus.	12.210
Pollio.	44.46.47.48.49.50.51.52.55.118.179.180
Porphyrius.	79.168.169
Procopius num.xli.	70.98.130.131.183.305
Prosper num.xxix. xxx.	140.173.265.310
Prudentius.	190.262
Quefnellus.	313.314.315.318.320.322
Raderus.	320.337
Rodericus.	368
Roricho Monachus.	75
Salmasius.	8
Samson Abbas Cordubensis.	369
Scaliger n.xx.	31.35.68.69.74.88.102.103.114.133.134.135. 137.166.173.184.185.188.190.198
Schelstratius num.xxxviii.	119
Scrimgerus.	333
Sebastianus Erizzus.	151.178
Seguinus.	14.377
Servius.	108
Sidonius Apoll. num. xxvii. xxxi. xxxii.	74.81.87.126
Sigonius.	364.369
Sirmondus num.xxviii.	373.88.171.288.351
Socrates num.xxxiii.	105.145.252.254.257.258.265
Sozomenus n.xxxiiii. xxxvi.	104.328.254.257
Spanhemius.	13.21.49.72.87.99.383
Spartianus.	24.28.30.31.32.78.80.135.136.147.160.208. 220.221.222.226
Spotdánus.	334
Suetonius n.xv. xvii. xviii. 15.16. & seq.	38.73.84.152.170. 173.194.195.199.202
Sulpicius Severus.	110.125
Stephanus Byzantius.	378
	Suidas

SYLLABUS.

Suidas num. xxv.	130.131
Symmachus.	264
Synesius.	100.143
Synodus Romana, num. xlvi.	
Tacitus, num. xiii. xiv. xix. 5.7.9.15.16. 17. & seq. 31.37.89. 174.198	
Tertullianus.	23.72.110.117
Themistius.	75.80.126.262
Theodoretus, num. xxxiii. xxxiv.	188.191
Theodorus Lector.	292
Theophanes, num. xxxvi. 94. 252. 254. 263. 282. 289. 290. 303. 306. 319. 343. 357. &c.	
Theophilactus Simocatta, num. xliv. xlv.	333.158
Theophilus Alex.	108
Thucydides.	166
Trifstanus.	48.50.53.148.149.168
Velleius.	19.22.23
Ughellus.	316
Victor in epitome.	31.32.48.141.157.244
Victor Scoti.	31.32.185.187
Victor Vitenfis.	315
Victor Tununensis, num. xlii.	318
Virgilius.	42.108
Ulpianus.	71.72
Voëllus.	325
Vopiscus. 8.41.46 47.53.71.180.219.234.374.375.380.383	
Ufferius.	12.21.22.39.83.194
Xilander.	195.223
Xiphilinus.	38
Zonaras.	47.197.334.338
Zosimus, num. xi. xii. 41.79.125.126.187.239.244.246.248	



LICENTIA PROVINCIALIS
Ordinis.



OS FR. PAULUS ANDIOL Ordinis Minorum
Conventualium Sancti Francisci, artium & Sa-
cræ Theologiæ Doctor, ac in Provincia Sancti
Ludovici Minister Provincialis facultatem faci-
mus R. P. ANTONIO PAGY ejusdem Ordinis &
Provinciae Exprovinciali typis mandandi librum, cui titulus
Dissertatio Hypatica, seu de Consulibus Casareis, Ordinis no-
stri Theologorum judicio approbatum; optamusque, ut in
aliis operibus Chronologicis, quibus ab aliquot annis in-
cumbit, perficiendis; Annalibusque Ecclesiasticis illustran-
dis ac continuandis, sedulam curam adhibeat. Datum Aptæ
Julia XIIII. Kalendis Augusti, anno M. DC. LXXX.

Fr. PAULUS ANDIOL,
Minor. Provincialis.

Approbationes Theologorum Ordinis.

DE mandato Reverendi admodum Patris Provincialis,
Ego infra scriptus Ordinis Minorum Conventualium
Doctor Theologus, ac Provinciae Sancti Ludovici Diffinitor
perpetuus, fidem facio me accuratè perlegisse librum, cui
titulus: *Dissertatio Hypatica, seu de Consulibus Casareis, Au-
ctore R. P. Antonio Pagy, ejusdem Ordinis Doctore Theologo, &
primario Provincia Patre*, in quo Consulatus ab Augustis, &
Cæsaribus suscepti singulari diligentia, ac nova methodo
tractantur, plurimaque hætenùs ignota eruuntur dubia, in-
certa

certa discutiuntur ; vera multiplici autoritate fulciuntur, omniaque ex certis Chronologiæ regulis ad justum veritatis pondus, & rigorem reducantur ; ut merito Authoris commendetur eruditio, qui tam ex conjecturis, quàm ex indefessa Historicorum, tum Latinorum, tum Græcorum collatione, temporis rationem venatur, & ex varietate temporum incertum vacillantibus, cursum qui teneri debet, ostendit. Dignum proinde judico prælo, in communem eorum utilitatem, qui Ecclesiasticæ, Romanæ & Byzantinæ Historiæ studio feruntur. Datum in Conventu nostro Aquensi Idibus Septembris, anno M. DC. LX XX.

Fr. G A B. T A U L A N I, Doctor Theologus
& Diffinitor perpetuus Ord. Minorum.

EX Commissione Reverendi admodum Patris Provincialis ego subsignatus Sacræ Theologiæ Doctor & Diffinitor perpetuus, Dissertationem Hypaticam, seu de Consulibus Cæsareis summa cum voluptate perlegi ; nihilque in ea reperi fidei Catholicæ dissonum, aut bonis moribus adversum ; imò omnia tanta eruditione, & ingenio referta ut existimem opus miræ inventionis, ac indefessi laboris, quibusque Eruditis & Ecclesiasticæ, Cæsareæque Historiæ Studiofis probatum iri : ideoque, ut in litteratorum usus typis quamprimùm detur, lætus subscribo. Aquissextiis, Idibus Septembris anno Domini M. DC. LXXX.

Fr. FRANCISCUS SIMON Doctor
Theologus ac Diffinitor perpetuus Ordinis
Minorum Conventualium S. Francisci.



SUMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.



Utoritate Regia Sancitum est, ne quis *Dissertationem Hypaticam, seu de Consulibus, ex occasione Inscriptionis, Forojulienfis, Aureliani Augusti*, Authore R. P. ANTONIO PAGY Ordinis Fratrum Minorum Conventualium intra sex annos, à prima editione numerandos Imprimat, aut alibi impressam in hoc Regno divendat, præter ejusdem R. P. PAGY, voluntatem, aut eorum quibus id juris concesserit; hocque omnibus perinde clarum, notum, indictum habeatur, ac si Regii diplomatis sententiæ operis initio præfigatur, finive postponatur. Qui secus faxit, librorum confiscatione, aliisque pœnis Regio diplomate declaratis mulæabitur. Datum apud S. Germanum in Laya, die 6. Martii 1681.

De mandato Regis, signatum NOBLET.

Quod quidem diploma in acta Typographorum Parisiensium relatum est die 15. Martii 1681. à Carolo Angot Syndico.

Idem R. P. ANTONIUS PAGY jure suo cessit fratribus ANISSONIIS & JOANNI POSUEL Bibliopolis Lugdunensibus.

Hæc prima editio absoluta fuit die secunda Maii 1682.

DISSERTA



DISSERTATIO HYPATICA
SEU
DE CONSULIBUS CÆSAREIS,
EX OCCASIONE
Inscriptionis Foro-Julien-sis Aureliani
Augusti.

P R Æ F A T I O.

IN Urbe Foro-Julien-si, antiquâ Romano-
rum Coloniâ, Inscriptiones nonnum-
quam reperiuntur, quæ ad illustrandam
Antiquitatem, ac scopulosos, difficilef-
que Historiæ Augustæ locos extricandos, mirum
in modum conferunt. Inventa, ibidem Colum-
na XV. pedes alta, quæ & hodie in ædibus Epif-
copalibus visitur, cui Epigraphæ sculpta, eò magis
æstimanda, quò rarior, & rei hæctenus obscuræ di-
lucidandæ utilior. In eâ quarta Aureliani Augusti
Tribunitia Potestas tertio ejus Consulatu illigata
A legitur;

I.
*Inscriptio
Foro-Julien-
sis ab aliis
eodem anno
exaratis di-
versa.*

2 *Dissertatio Hypatica,*
 legitur; licet in alia ejusdem Imperatoris, quæ apud
 Onuphrium lib. 2. Fastorum, Gruterum pag. 276.
 Goltzium, aliosque extat, Tribunitia ejus Pote-
 stas V. cum Consulatu tertio tantùm designato
 connectatur. Ad majorem rei declarationem utram-
 que hîc exhibeo.

Inscriptio Foro-Julienfis.

*Legendum
 Restitutori.*

RESTITUTOR ORBIS
 IMP. CAES.
 L. D. AURELIANO
 PIO. FEL. INVICTO
 AUG. PONT.
 MAX. GERM. MAX.
 GOT. MAX. PART. MAX.
 TRIB. P. IV. COS. III.
 PP. P. COS.

Inscriptio Onuphriana.

IMP. CAES. L. DOMITIO
 AURELIANO PIO, FELICI,
 INVICTO. AUG. PONTIF. MAXIMO
 GOTHICO. MAX. GERMANICO. MAX.
 TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. IMP. III.
 P.P. PRO. CONS. RESTITUTORI ORBIS
 INVICTISSIMO. ET VICTORIOSISSIMO
 PRINCIPI.

*Vnde factū,
 ut Auctor
 Consulatus
 Casareorum
 regulas in-
 vestigavit.*

Consulatum tertium, sicuti & Tribunitiam Potestatem quintam
 C gessit Aurelianus anno Christi 275. quò, mense Januario in-
 terfectus est; secundum verò anno 274. quò mensem circiter No-
 vembrem Tribunitiam potestatem quintam iniiit: quo, pariter anno
 Consullem III. designatum, ac Trib. potest. IV. & V. dictum fuisse
 nullus

nullus negaverit. Quomodo itaque in Inscriptione Forojulienſi appellari poteſt *Conſul III. Trib. Pot. IV*? Hic opus, hic labor eſt, quem non tantum hac in diſſertatione ſuperare, ſed & potiores, quæ de Conſulatu à Cæſaribus, & Auguſtis geſtis, difficultates moveri poſſunt, enodare, & quo præcipuè mentem intendo, cauſas ob quas Conſules illi proceſſerint, non tam ex conjecturis, quàm ex certis regulis exponere conabor. Non pigebit, ut puto, lectorem, quibus gradibus eaſdem cauſas retezerim, addiſcere. Cum animadvertiſſem, quod primùm ni fallor à Jacobo Sirmondo, clarifſimo Galliaſe noſtræ ornamento, in Notis ad lib. I. & Epistolam nonam Sidonii obſervatum, ſolitos fuiſſe novos Imperatores, proximis poſt Imperii auſpicia Kalendis Januariis Conſulatum edere, ſubiit animam cogitatio, cæteros ab iisdem geſtos ex aliqua etiam norma proceſſiſſe; ac cauſæ aliquid fuiſſe, cur ex iisdem Imperatoribus alter ter, alter quinquies, alique ſepties, aut pluries eum Magiſtratum obtinuerint: qui quidem impar Conſulatum ab Auguſtis ſuſceptorum numerus, quantum animam meum torqueret, vix dici poteſt. Neque enim impetrare à me poteram, ut crederem, eos primùm communi ex præſcripto, cæteros verò pro ſolo libito, ac ſine certa ratione iniſſe. Unde tacitus mecum cogitabam; ſi primus Conſulatus ex præſcripto aſſumptus, cur non & alii? quærebam itaque diligenter in omnibus Imperatorum factis aliquod huiusce rei veſtigium, perſuaſus evenire non potuiſſe, ut in primo ſuſcipiendo omnes convenerint; in aliis verò non tantum diſcordarint, ſed etiam ſine ratione egerint, & ut ita dicam, inſanierint. Denique veniebat in mentem rectè docuiſſe Veteres, ſimile ſimili deprehendi, ideòque ex ratione ſuo loco explicanda, quâ prior Conſulatus initus fuiſſet, cui poſſe rationem cur alii ſuſcepti. Non deerant & alia excitamenta, Conſularis nempe dignitatis præſtantia, Senatus Romani ſapientia, & quod iis potentius, ipſa experimenta in rebus non diſſimilibus à me capta, quæ tria animam in ea inveſtigatione penitus obſcurabant.

Et quidem quoad ejuſdem dignitatis præſtantiam, Jornandes de rebus Geticis cap. 57. de Theodorici Gothorum Regis Conſulatu loquens ait: *Factus eſt Conſul ordinarius, quod ſummum bonum, primumque decus in mundo edicitur. Qua quidem, inquit Julianus Imperator orat. 3. privatis velus premium quoddam eſt, ac merces virtutis, aut fidei, aut benevolentia erga principes, aut eximii alicujus faſcinoris: principibus verò ipſis ad ea bona qua jam poſſident, velut decoris & ornatus acceſſio eſt. Nam reliqua nomina, vel functiones, qua*

III.
Præſtantia
Conſularis
dignitatis.

veteris illius Reipublica tenuem aliquam, & obscuram imaginem retinent, vel propter potentiam suam contempserunt, ac repudiarunt; vel eorum, qua sibi imposuerint appellationem, toto vita tempore conservant. Illam vero duntaxat, neque initio contempserunt, & quot annis tituli huius usurpatione gaudent. Nec est, aut fuit umquam privatus ullus, aut princeps, qui non Consulem se appellari praclarum aliquid atque oximum putaverit. Ponderatus etiam à me suo momento locus ille Libanii in Panegyrico Juliani Imperatoris. *Quid venerabilius, inquit, esse potest, quam univrsam orbem terrarum Solis instar appellatione continere, & in ore cunctorum hominum esse nomen pra eo quod à parentibus indictum; cuius memoria multas complectatur necessitates, iudicia, nuptias, forum, debita, venditiones, contrahentes, paciscentes, litigantes, fidem per litteras facientes, communicantes; dissidentes, filiorum opulentorum natales, puerorum in scholis institutiones, quorum unum studium est nominare Consules; in quo etiam & acquiescunt. Quod igitur quidam dixit de Iove omnium summo Consule, Iovis vias omnes esse plenas, omnia fora, portus, maria, hoc aliquis dicere possit de Consulibus, qui appellationem cum Deo communem habent. Habet ibidem & alia, concluditque Imperatorem ab illo dignitatis cumulo ubique celebrari.*

VI.
Simile simili
deprehenditur.

Insuper Romanorum sapientia, quae libros opplevit, quaeque in factis solemnibus dies etiam religiose observabat, ut in decursu operis videbimus: ac denique duplex experimentum à me factum non parum ad hanc indagacionem inflammabant. Cum enim huius saeculi initio Joannes Georgius Hervartus, vir planè doctissimus, in sua Chronologia cap. 248. scripsisset, Tiberium vivente Augusto Collegam Imperii fuisse, hancque ejus opinionem, quae non tantum ubi primum apparuit, sed nunc etiam à doctissimis scriptoribus rejecta est, verissimam esse comperissem, in mentem venit, solitos fuisse Imperatores Augustum imitandum sibi proponere, ideoque fuisse & alios Imperii Collegas, studio & labore detegendos: quae detectio Tiberium eo honore exornatum fuisse certum, indubitatumque redderet. Numismatis itaque, tam graecis, quam latinis, historiae Augustae scriptoribus aliisque monumentis, quae in eam rem conferre possent, sedulo examinatis, reperi Titum cum Vespasiano Patre, Trajanum cum Nerva, Antoninum Pium cum Hadriano, ac denique Marcum Aurelium cum eodem Antonino correignasse, & Tiberii exemplò in ejusdem Imperii consortium vocatos fuisse. Quod cum magni ad locum Lucæ Evangelistae cap. 1. ubi de anno decimo quinto Tiberii, quò Christum baptizatum dicit, loquitur, intelligendum,

seu de Consulibus Cesareis.

gendum, & Romanam Historiam magis explicandam, momenti sit, hoc in opere, ubi necesse fuerit, indicabitur, sed in alio, quamprimum in lucem emittendo, certis argumentis demonstrabitur. Secundum experimentum fuit novæ Periodi ad universam Chronologiam dirigendam inventio. Cùm enim ingentia emolumenta, quæ ex Periodo Juliana in eam redundant, perpenderem, in illaque aliqua occurrerent, quæ displicebant, quæque tamen melius mutari posse arbitrabar, mecum animoolvebam posse forsitan aliam iis incommodis, quibus Scaligeriana subjacet, exemptam reperiri. Quamobrem cùm in eam investigationem, operam & studium contulissem, novam tandem Periodum, Orbi litterario communicandam, inveni. Hæc, inquam, quæ feceram pericula, quæque mihi prosperè successisse existimabam, efficiebant, ut cogitationem omnem, diu, noctuque in causas Consulatuum ab Augustis susceptorum detegendas figerem ac locarem, certus laborem, licet non parùm morosum, bene positum fore, si res fortunatum, vel ex parte solùm, nancisceretur eventum.

At parte alia à suscepto consilio identidem deterrebar, quòd quamplura non solùm præter communem morem, sed etiam temerè à multis Augustis acta deprehenderem, aliquosque in Consulatu suscipiendo planè abnormes, ac extraordinarios fuisse. Ausonius enim orat. pro Consulatu cap. 11. Gratiani moderationem laudibus extollens ait: *Ipsam te sapius hoc honore defraudas, ut & aliis largiaris. Scis enim Imperator doctissime, rursus enim utar laude privata, scis inquam, septem ac decem Domitiani Consulatus, quos ille invidia alteros provehendi, continuando conservavit, ita in ejus aviditate derisos, ut hoc eum pagina fastorum suorum, imò fastidiorum fecerit insolentem, nec potueris præstare felicem.* Tacitus Annalium lib. 13. tradit continuum Consulatum Neroni, qui tamen eum non gessit, post Artaxata à Corbulone capta, delatum fuisse: *Ob hæc consulatus Imperator Nero, & Senatus-Consulto supplicationes habita, statuaque, & arcus, & continui Consulatus Principi.* Denique Dio lib. 79. de Heliogabalo loquens ait, statim post adeptum Imperium inter cætera, illud innovasse, quòd Consulatus Macrini loco, qui ante gestus erat, nomen suum substituit, cum nec Consulatum à nobis accepisset, nec profus eum attigisset. Ex quibus, similibusve, legum, morumque perversitatem sub pluribus Principibus Romanis frequentem fuisse conjectabam, & Consularem dignitatem non tantùm sine probabili causa aliis datam, sed etiam ab ipsis Imperatoribus sumptam. Quod si ii ut plurimum eâ mente fuissent, quam ratio, disciplinaque formula præ-

V.
Aliqui Imperatores in Consulatu sumendo ab communi more dissentanei.

scriberent, concludebam, idem esse de Antiquitatis arcanis, ac de Artium, & scientiarum inventione, quæ, ut ait Baccho in novo organo, felicitatis magis est, quam excellentis alicujus facultatis, adèd ut potius pro temporis, quam pro ingenii partu haberi debeat. Anceps itaque ambiguusque memet in omnem partem versabam, cumque ex attenta fastorum consularium dispositionis consideratione aliquod lumen exiliret, sicut ex lapide percusso solet, ad pristinum animum revertabar, & in spem, cogitationemque meliorem inducebar, memor Christophorum Columbum (si parva licet componere magnis) cum in littore Lusitanico ventum quemdam statis anni temporibus ab alto flare observasset, conjecturam fecisse esse humefactas terras, à quibus procederet, indeque illas navigatione quæsisisse, & invenisse.

VI.
*Consulatus
tandem de-
scriptus.*

Postquam diu multumque animus huc & illuc fluctuavit, animadverti Imperatores Ludos sæculares Trabeâ indutos edidisse, tum cum eadem ut plurimum triumphasse: quibus observationibus mirum in modum lætus, mente obstinatori ad ulteriorem perquisitionem incubui, deprehendensque plures Consulatus ab Augustis gestos quinquennio tantum, aut sexennio inter se in fastis distare, examinavi an Quinquennalia, & id genus festa cum eadem Trabea Consulari edi solita essent, sicque paulatim non tantum causas omnes, propter quas Cæsares & Augusti Consulatum inierint; sed etiam notas quibus annis Decennalia & id genus festa ediderint indicantes, summo Chronologiae emolumento, ac fastorum Consularium illustratione inveni. Incredibilem profectò mens mea percepit voluptatem, reperisse quod tacito labore inquieta tandiu perquisierat. Quid enim magis mirum, quam duodeviginti Consulatum à Theodosio Juniori, singularis moderationis Principe, causam, rationemque, quæ nullis in libris legitur, è tenebris eruisse, ac pari felicitate, cur hoc potius, quam altero anno, ter, vel quinquies, singuli Imperatores Consulibus processerint, vel Quinquennalia, aliaque hujusmodi solemnia celebrarint, detexisse. Mihi de Regularum hac de re in hac dissertatione traditarum præstantiâ & utilitate, major quotidie incidit admiratio; cum earum beneficio, non tantum Chronologia, fastique Consularia, sed & Codicis Theodosiani leges multæ, historia Augusta, & Ecclesiastica lucem accipiant. Quæ si Onuphrio, Scaligero, Petavio, aliisque multis de Antiquitate optimè meritis, innotuissent, aliam in quamplurimis viam eandem tenuisse non dubito.

VII.
*Divisio op-
eris.*

In hac itaque Dissertatione non solum tertium Aureliani Augusti Consulatum, in Inscriptione Foro-Julienâ expressum, sed & hujus occasione,

occasione quoſcumque alios à Cæſaribus , & Auguſtis geſtos expli-
cabo. In priori parte de Cæſarum , & Auguſtorum Conſulatibus, tum
designatis , tum ſuffectis agam , oſtendamque tertium Aureliani Au-
guſti Conſulatum in Epigraphe Foroſulienſi cum quarta Tribunitia
potestate conjunctum , vel eſſe tantum designatum ; vel tertium dici
in ordine ad ſuffectum , quem ante adeptum Imperium idem Impera-
tor geſſerat. In altera de eorundem Cæſarum , & Auguſtorum Con-
ſulatibus ordinariis , eorumque regulis ſermo erit, ubi & Decennalia,
& id genus feſta adamuſſim diſcutientur. In poſtrema denique de
perpetuis Imperatorum Orientalium Conſulatibus tractationem inſti-
tuam , Faſtosque Conſulares Byſantinos de integro ordinabo. Quibus
omnibus complura circa Cæſareos Conſulatus , ad rem Chronologi-
cam multum conducentia , hæcenusque ignorata , in manifeſtam
lucem proferentur.



P A R S P R I M A.

*De Conſulatibus Cæſareis , tum designatis , tum
ſuffectis.*

C A P U T P R I M U M.

*Cæſares & Auguſti Conſules designati , Conſules aliquando
abſolutè vocati.*



PRESSA Republicâ Romanâ , non tantum Præto-
res , & Quæſtores , ſed & Conſules , qui in ſequentem
annum Magiſtratum gerere debebant , ab Imperatoribus
designabantur : Quæ designatio vana non erat ; Conſules
enim designati ſententiam primi in Senatu rogabantur , ut variis in
locis , præcipueque tertio Annalium libro cap. 4. Tacitus indicat :
ibi de Tiberio loquens ait : *Exemis Druſum , Conſulem designatum di-
cenda primo loco ſententia.* Quod etiam ex Appiano Alexandrino in
Notis ad illum locum , Lipſius confirmat. Potiebantur & peculiari-
bus aliis prærogativis ; obſervatuque dignum quod Dio lib. 56. de
Imperatore

I.
*Conſules an-
no præden-
ſi designari
ſoliti.*

Imperatore Augusto, anno antequam obiret, loquens, de iisdem Consulibus scribit: *Consiliarios annuos viginti petiit, cum ante in senos menses, quindecim accepisset. Decretum porro est, ut quaecumque Augustus cum his, Consulibusque (Nempe L. Munatio, & C. Silio Consulibus ordinariis) & designatis Consulibus, cum adoptitiis suis nepotibus deliberans statuisset, rata non minus, quam in curia, si statuta fuissent, haberentur.* Anni Magistratum precedentis initio ea designatio fieri solebat; Geta enim, qui exeunte mense Martio anni Christi 212. interfectus est, in Nummo qui apud Goltzium extat, dicitur, C O S. II. D E S. IV. legendum tamen III. Quare iam ad eam dignitatem destinatus fuerat. Non existimo ipso mense Januario eam designationem semper factam fuisse. Plinius enim in Pannegyri. cap. 57. de Trajano, qui proximis post adeptum Imperium Kalendis Januariis Consul procedere noluerat, loquens inquit: *Consulatum recusasti, quem novi Imperatores destinatum aliis in se transferrebant hoc erga honore, quem & incipientes Principes, & desinentes adeo concupiscunt, ut auferant; tu otioso ac vacante privati cessisti.* Non itaque ante diem vicessimum octavum Januarii anni Christi 98. Nervæ emortuali, ac Trajanianarum, Consules in sequentem annum designati erant.

II.
Consulium
designatorum
ordinatio
quomodo
vocata.

Dicitur ab Antiquis Consulium designatorum ordinatio *Nundinum*, ratione petita ex veteri more creandorum Consulium, cum pencepopulum Comitiorum, & jus campi erat, ut scribit Salmastius in Notis ad Vopiscum in Facito Imperatore, explicans hæc verba capituli noni: *Fratri suo Floriano Consulatum petiit Tacitus, & non imperavit, idcirco quod Senatus omnia Nundina suffectorum Consulium clauserat.* Tribus enim Nundinis, vel in *trinundinum* indicbantur comitia creandis Consulibus. Mutato more, & jure designandorum Consulium à populo in Principem translato, mos tamen idem videtur remansisse, ut candidati Nundinis in comitia venirent, & ab omnibus viderentur. Jam autem à Claudio Augusto bimestres Consules fuere, ita ut duodecim in annum ordinarentur. Et licet variatum aliquando pro libidine principum quorundam, & plures ordinati, hunc tamen numerum, & ordinandi modum tenuere plures, & meliores Imperatores. Unde sex Nundinia vel Consulium suffectorum Collegia erant. Primum Nundinium ordinariorum Consulium à Kalendis Januariis, usque ad Martias. Secundum suffectorum à Kalendis Martiis ad Maias. Tertium etiam suffectorum, sicuti & omnium sequentium à Maiis ad Julias. Quartum à Juliis ad Septembres. Quintum à Kalendis Septembribus ad Novembres. Sextum & ultimum

ultimum ad reliquos duos ejuſdem anni menſes. Atque hæc ſunt omnia ſuffectorum Conſulum Nundinia, quæ jam clauſiſſe Senatum Vopifcus dicit, hoc eſt, omnes Conſules totius anni deſignariſſe & ordinariſſe, cum Conſulatum fratri ſuo petiit Tacitus, ideoque non impetravit, quod minimè vacuus locus eſſet relictus. Hinc Lampridius in vita Alexandri Severi ait, eum principem Conſulatum iniſſe ter tantum, additque, *ac primo Nundino ſibi alios ſemper ſuffecit.* Refert etiam Spartianus, eundem Severum Conſules ordinarios, & ſuffectos ex ſententia Senatus nominaviſſe, & vetera Nundinia ex ordine inſtituiſſe. Modum enim Conſulum ordinandorum, quem jam deſcripſimus, multi ante Alexandrum Imperatores jam inde à commodo, ſub quo viginti-quinque Conſules uno anno facti ſunt adeo parum obſervabant, ut alium ejus rei morem agnoſcerent nullum, niſi quem ſua libido ſtatuiffet. Alexander vetera Nundinia in priſtinum ſtatum & formam reduxit, ut ibidem Salmaſius obſervavit. Ea porro deſignatio facile non reſcindebatur, niſi quod novis Imperatoribus proximis poſt initum Imperium Kalendis Januariis, Conſulatus ordinarius deferretur, & aliis deſtinatus in eoſdem transferretur, quemadmodum jam ex Plinio notavimus.

Neque alio modo Cæſareorum, & Auguſteorum Conſulatum deſignatio fieri ſolebat. Videmus hoc in Nummis Veſpaſiani apud Goltzium, in quorum duobus Veſpaſianus dicitur: TRIB. POT. II. COS. III. DES. IIII. Qui non niſi anno Chriſti 71. ante menſem Julium cuſi eſſe poſſunt, cum Kalendis Juliis anni ſuperioris Imperium cepeſſerit; anno verò 71. ſequenti Conſulatum II. ordinarium geſſerit, eodemque Tribunitiam Potestatem I I. Kalendis Juliis abſolverit. Si enim deſignatio hæc anno 69. facta fuiſſet, neque Conſul III. neque Tribunitiæ Potestatis II. in iſdem Nummis diceretur, ſed *COS. II. TRIB. POT.* Idem in aliis ejuſdem Veſpaſiani, cæterorumque Auguſtorum Nummis, quando in iis Conſulatus deſignati exprimuntur, videre eſt. Licet autem is mos invaluiſſet, cum tamen deſignandi ad Imperium deſtinabantur, vel Conſulatibus gerendis immaturi erant, deſignatio ad eandem dignitatem Conſularem ante aliquot annos, quàm eandem inirent, fiebat: quod Auguſtus de Conſulatu Caio & Lucio nepotibus decreto in lapide Ancyrano, qui apud Gruterum, Lipſium, alioſque extat, indicat: *Honoris mei cauſa Senatus, populusque Romanus, annum quintum & decimum tum agentes, Conſules deſignavit, ut cum Ma-giſtratum inirent poſt Quinquennium.* Idem habet de Nerone Tacitus lib. 12. Annalium: & *Cæſar* (nempe Claudius) *adulationibus Sena-*

III.
*Cæſareorum
Conſulum
deſignatio
in quo ab
aliis diver-*
ſa.

tus libens cessit, ut vicesimo atatis anno Consulatum Nero iniret, atque interim designatus Proconsulare Imperium extra Urbem, & Princeps Inventuris appellaretur. Id factum anno Eræ Christianæ quinquagesimo primo, & tamen Consulatus is, non nisi anno quinquagesimo quinto à Nerone jam Augusto editus est. Ipsum Claudium Imperatorem se quartum Consulem biennio ante designasse, discimus ex Josepho lib. 20. Antiquit. cap. 1. ubi Rescriptum ab eodem Claudio CONSULE IIII. DE SIGNATO, & Tribunitiæ Pot. V. annum agente, quarto Kalendas Iulias datum refert. Claudius die vicesima quarta Januarii anni Christi quadragesimi primi Imperium suscepit, adeoque non nisi anno quadragesimo quinto Tribunitiam Potestatem quintam assumere potuit. Quare, eo tantum anno Rescriptum illud emanatum, & tamen idem Imperator Consulatum illum quartum non nisi anno quadragesimo septimo gessit, quemadmodum in fastis videre est.

IV.
*Claudius
 Nero, &
 Commodus
 designati,
 Consules ab-
 soluti dicitur.*

Venio nunc ad arcem causæ, ostendoque eosdem Cæsares & Augustos Consules designatos, Consules absolutè quandoque appellari, quod non tantum ex Inscriptionibus, ac nummis, sed etiam ex historiæ Augustæ scriptoribus eruo, ne tanti momenti res diutiùs in tenebris jaceat. Cum capite Solis radiato, hiantisque oris etiamnum nobilissima extat Inscriptio in pariete turris perantiquæ Castri Apolliniaci in Velaunis, quam Gruterus pag. 39. num. 1. refert; sicuti & Hervvartus cap. 251. suæ Chronologiæ.

TI. CLAUDIUS CÆSAR. AUGU. GER-
 MANICUS, PONT. MAX. TRI. POTEST.
 V. IMP. P. P. COS. IV.

Claudius Tribunitiam Pot. V. anno Christi 45. Consulatum verò quartum anno 47. suscepit. Quare quartus hic Consulatus in Inscriptione absolutè positus, non nisi designatus erat: dedicataque ea Epigraphæ anno Christi 45. quo etiam anno idem Claudius Judæis sacre stolæ custodiam petentibus annuens, Rescriptum Numero præcedenti laudatum dedit, cujus hoc initium: *Claudius Cæsar Germanicus Trib. Pot. V. Cos. designatus IIII. Imp. X. P. P.* alia Inscriptio Neroni dicata apud Goltzium extat, in qua legitur: N E R O N I CLAUDIO AUG. F. CÆSARI DRUSO GERMANICO, PONTIF. XV. VIR. S. F. VII. VIR. EPULONUM, COS. PRINCIP I JUVENTUTIS. Ubi vides Neronem adhuc Cæsarem,

larem, nondumque Augustum Consulem vocari, licet tantum designatus esset; cum, sicuti jam diximus eodem Numero, primum is Consulatum non nisi jam Augustus inierit. Hæc itaque Epigraphe antequam Nero Imperium capesseret, & Consulatum gereret, exarata. Commodus à Marco Aurelio Augusto patre, adhuc puer Cæsar creatus, ut Auctor est Lampridius in commodo cap. 1. dicitur in duobus nummis apud eundem Goltzium, *Consul*, licet tantum designatus esset: L.ÆLIO AURELIO AUG. F. COMMODO COS. in alio nummo: COMMODO CÆS. AUG. FIL. GERM. SARM. COS. Commodus anno Christi 166. Cæsar nominatus est, tum anno 175. Tribunitia Potestate, ut ex nummis constat, donatus, anno sequenti Augustus à patre dictus, ac anno 177. Consul ordinarius processit. Unde cum in præfatis nummis Tribunitia Potestas non memoretur, liquet eum designatum Consulem, Consulemque absolute appellatum fuisse, antequam eandem iniret. Quare existimo Lampridium eam designationem tardiùs consignasse; in Commodo enim eap. 2. de rebus anno 176. gestis loquens ait: *Post hæc veniã legiæ annaria imperatã, Consul est factus, & cum patre Imperator est appellatus quinto Kalendarum Decembrium die, Pollione, & Apro Consulibus.* Ubi *Consul est factus*, aliud non significat, quàm *Consul est designatus*: Cujus rei passim exempla in Scriptoribus historię Augustæ leguntur.

Vespasianus Augustus, & Titus Cæsar ac Collega Imperii apud Plinium Consules vocantur licet tantum designati essent. Is lib. 2. cap. 13. ait: *Nam ut duodecim diebus utrumque sidus (loquitur de sole & luna) quæreretur, (eclipsim pateretur) id nostro ævo accidit, Imperatoribus Vespasiano patre, & filio iterum Coss.* Mendum in numerum dierum irrepsisse, & pro XV. perperam scriptum fuisse à librario XII. non dubitandum; neque enim duodecim dierum spatio duas eclipses accidere non potuisse Plinius ignoravit, eò magis, quò de re, quæ suo tempore contigit, loquatur. Anno Christi 71. die quarta Martii post meridiem eclipsis lunæ accidit, die 20. ejusdem mensis ante meridiem eclipsis solis. Quare non dubium, quin de utraque Plinius intelligendus sit; à quarto enim Martii ad vigesimum ejusdem mensis, dies quindecim numerantur, utròque extremò, ut sæpe ab Antiquis fit, exclusò; & tamen eo anno Vespasianus Nervæ Collega tertium tantum Consulatum gerebat, annoque superiori Titus primum Consulatum inierat. Unde cum anno 72. Vespasianus IV. & Titus II. Consules processerint, utriusque Consulatus, licet absolute à Plinio positus, non nisi designatus erat. Le-

V.
Vespasianus
& Titus Coss.
sules dicti,
licet tantum
designati es-
sent.

gitur is Romæ in Aquæductu Aquæ Claudiaz: IMP. CÆSAR VES-
 PASIANUS AUG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI,
 COS. III. DESIG. IIII. Legiturque etiam in aliis Inscriptionibus,
 quæ apud Onuphrium lib. 2. fastorum extant. Sed Plinius eundem in
 præfato loco sine designatione expressit. In hujus Auctoris operum
 editione idem locus non intellectus variè legitur. In editione anno
 1516. facta, & in ea quæ 1669. in Hollandia prodiit, habetur,
Patre IIII. & filio iterum Coss. Sed perpetam. In editione anni 1548.
Patre IIII. & filio iterum Coss. Quæ lectio retinenda, locusque in
 futuris Plinii editionibus restituendus; neque enim Consulatus ter-
 tius Vespasiani cum secundo Titi connecti potest, nisi suffectò, quem
 ante adeptum Imperium gesserat Vespasianus, ut sæpe fit, præter-
 misso; sed tunc Titus primum tantum Consulatum gesserat, eoque
 anno, quò Vespasianus tertium Consul fuit, ejus Collega non erat.
 Consulatum Vespasianorum ignoratio hujus depravationis causa fuit.
 Visserius in Annalibus veteris testamenti, *fortè IIII. legendum*, inquit,
 Petavius in Paralipomenis librorum de Doctrina temp. pag. 861. ait:
*Vel IIII. Consul, pro III. legi, vel ut in M.S. comparet, sine ulla nu-
 merorum nota, Vespasiano patre & filio Consulibus.* Sed ea emenda-
 tio reiicienda, probabiliusque eo in Manuscripto numeros omisos
 fuisse, quàm in editis libris additos. Veram lectionem Calvisius in
 opere Chronologico subodoratus est: *error videtur commissus*, inquit,
*in Coss. nisi forte Plinius addiderit, designatis, quod librario postea
 omissum est.* Sed designationem non omissam à librario exempla &
 nobis allata ostendunt, in quibus Cæsares & Augusti, Consules
 designati absolutè Consules dicuntur.

VI.
 Solo Pontif-
 cis nomine,
 Pontifex
 Maximus
 intellectus.

Neque hoc mirum videri debet, cum & solum Pontificis nomen,
 loco *Pontificis Maximi*, aliquando positum reperiatur. Quod etiam
 viros eximiâ doctrinâ præstantes fecellit, eoque adduxit, ut Dionem,
 & Dionysium Halicarnassensem, pontificiæ dignitatis nomen igno-
 rasse, aut malè expressisse scripserint, dum hic solo Ἀρχιεπίσκοπος, id est,
 Pontificis nomine eos designat, ille frequenter vocat ἱεροπόμους, ἱερο-
 φιλάμους, ἱεροφάντας, sacrorum nempe Interpretes, Præsides, Custo-
 des; quasi solum Ἀρχιεπίσκοπος nomen, id est, Pontificis, supremam sa-
 cerdotii dignitatem non designaret, sicuti reliquos illius Collegii
 sacerdotes, licet non addatur, Μεγίστη, id est, *Maximi*. Sic Julium
 Cæsarem Plutarchus in Julio Cæsare, & Appianus Corinth. lib. 11.
 Ἀρχιεπίσκοπος, id est, Pontificem, citra attributum aliud vocant, & apud
 Josephum Antiquit. lib. 15. cap. 17. Cæsar & Augustus non semel
 litteris suis, ac decretis solum Ἀρχιεπίσκοπος, id est, Pontificis nomen
 adscribunt.

adſcribunt. Quo ſolo etiam Pontificis nomine deſignatur nonnumquam latinis ſcriptoribus. Livius lib. 11. cap. 2. *Regem ſacriſicum creant, id Sacerdotium Pontifici ſubiecere.* Alibi, *cætera quoque omnia publica, privataque Pontificis ſcito ſubjecit*, qui non alius, quàm Pontifex Maximus, ut egregiè Spanhemius diſſert. 6. de præſtantia & uſu Numiſmatum, qui primus omnium hanc de Pontificis nomine obſervationem nos docuit, iſque, & aliis probationibus confirmavit.

Ex his facile eſt Conſulatum tertium Aureliani Auguſti, in Inſcriptione Forojuſienſi expreſſum, explicare. Geſſit is primum Conſulatum ordinarium Pomponiò Baſò Collegâ, anno Chriſti 271. quò etiam anno ſecundam Tribunitiam poteſtatem iniiit; Imperium enim anno anteriori circa menſem Novembrem ſuſceperat. Tum anno 274. Conſul II. Julio Capitolino Collegâ proceſſit, ac exeunte eodem anno Trib. Pot. V. iniiit, & denique anno 275. T. Avoniò Marcellinò Collegâ Conſul tertium fuit. Quare anno 274. ante menſem Novembrem Tribunitia Poteſtate IIII. adhuc corrente, Forojuſienſis Inſcriptio dedicata, in qua ideo Aurelianus Conſul IIII. dicitur, licet ſecundum tantum Conſulatum tunc gereret, quia in annum ſequentem Conſul tertium deſignatus erat. Quæ deſignatio in Inſcriptione Onuphriana clarè & explicite memorata, in Forojuſienſi verò non niſi ſubintellecta. Et hæc prima ejuſdem Inſcriptionis explicatio, quæ & aliam pati poteſt, uti cap. 7. Num. VII. vi-
debitur.

Joannes Hervvartus cap. 251. ſuz Chronologiæ, cui nunquam in mentem venerat Conſules deſignatos, abſolutè Conſules aliquando vocatos fuiſſe, utitur Epigraphe num. 4. allata, in qua Claudius dicitur TRIB. POT. V. COS. IIII. ut probet per huius Imperatoris tempora vulgares faſtos corruptos eſſe, unoque anno abundare, atque, niſi ea Inſcriptio falſitatis arguatur, neceſſe eſſe fateri, Claudium in quarto ſuo Conſulatu ordinario Tribunitiam Poteſtatem quintam geſſiſſe. Sed dum vulgares faſtos vir doctiſſimus corrigere nititur, eodem infringit, Antiquorum loquendi modis non plenè edoctus. Petavius lib. 11. de doctrina temp. cap. 9. hanc ejus explanationem confutandam ſuſcipit, faſtoſque vulgares, revera incorruptos, tuetur; ſed doctrinæ à nobis explicatæ defectu, ei minimè ſatiſfacit: *Plerumque, inquit Petavius, quadratariorum, vel exſcriptorum culpâ fuit, ut Inſcriptiones veteres, mendose ad nos perveniant, quorum alterum in illa contigit, qua in Velannis extatè dicitur, & à Grutero deſcripta eſt. Sed, procul dubio ſcriptum fuit, aut ſcribendum*

VII.
Conſulatus
III. in Inſcri-
ptione Foro-
juſienſi me-
moratus, de-
ſignatus in-
tam.

VIII.
Conſulatus
Claudii de-
ſignatus, ne-
que ab Her-
vvarto ne-
que à Petavio intel-
lus.

certè, *Cof. Defg. IIII.* At perperam, cum Cæsares & Augusti Consules designati, Consules absolute dicti sint.

IX.
Consulatus
Neronis ma-
lè ab Her-
vartio ex-
plianus.

Idem Hervvartus cap. 254. ut probet sub Neronis Imperio factos depravatos esse scribit, Neronem & Antistium, qui in iisdem anno Christi 55. Consules ordinarii leguntur, Consules tantum suffectos fuisse ante adeptum ab eodem Nerone Imperium, quia, inquit, in duabus inscriptionibus, ubi ille Consulatus expressus, Nero Augustus non appellatur. Dedicata est prior EID. APRIL. L. ANTISTIO, ET CLAUDIO NERONE COS. posterior ita subscribitur: N E R O CLAUDIUS CÆS. L. ANTISTIUS VETUS COS. Quo in errore sine dubio magis confirmatus fuisset, si Inscriptionem eidem Neroni dicatam, quam supra Num. IV. attulimus, observasset. At inscriptiones hæ factis vulgaribus non obstant; prior enim posita videtur, vel ab aliquo imperito, vel potius, post Neronis mortem, quæ cum populo Romano gratissima fuisset, Nero in ultimum locum rejectus fuit, Augustique nomine indignus judicatus. Posterior ab imperito etiam, quod sæpe accidebat, posita; nam Augusti in Inscriptionibus solo Cæsaris nomine appellari non solebant, id se quidem observasse in Nummis græcis, ac aliquando etiam in latinis, dicit Seguinus, vir clarissimus lib. de Numismat. selectis, sed Collegarum Imperii Numismata eum decerpere, in iis siquidem Antoninus Pius v.g. dicitur *Imp. T. Ael. Cæsar Antoninus Trib. Pot. Cof. Def. II.* ut legitur apud Goltzium. At Antoninus, quando nummus ille cusus, Collega tantum Imperii erat; certumque qui eo honore poterantur, Imperatores appellatos fuisse. Unde in Plinii loco supra à nobis explicato Titus, qui vivente patre Collega ejus in Imperio fuit, Imperator vocatur, sicuti & in Nummis apud Goltzium. Quare Numismata, in quibus Titus, Antoninus, alique, postea Augusti, Imperatores & Cæsares sine Augusti titulo dicuntur, antequam Imperium obtinuissent, cusa.

C A P U T S E C U N D U M.

Consulatus secundus Claudii Imperatoris, in quo Britannicus natus, designatus tantum erat.

I.
Natale Dr-
ojulienis ac

Licet quæ hætenus diximus, ad explicationem Inscriptionis Foro-Julienis sufficiant, ac satis superque demonstrent, Cæsares

ac Auguſtos Conſules deſignatos , Conſules abſolutè aliquando vo-
catos fuiſſe , nihilominùs quia res hæc à viris doctiſſimis non ani-
madverſa eodem non ſemel in tranſverſum egit , ſequentibus capi-
tibus eam magis declarare viſum ; ne veteribus ſcriptoribus aded
frequenter dica ſcribatur , neve varia eorùm loca Lectores in erro-
rem inducant. Cùm enim Suetonium & Capitolinum eundem lo-
quendi modum uſurpantes legunt , iis errores adſcribunt , à quibus
illi valdè alieni. Suetonius in vita Claudii cap.27. ait : *Britannicum*
vigeſimo Imperii die , inque ſecundo Conſulatu natum ſibi parvulum ,
etiam cum & militibus pro concione manibus ſuis geſtans , & plebi per
ſpectacula gremio , aut ante ſe retinens aſſiduè commendabat , nempe
Claudius. Is die vigeſima quarta Januarii anni Chriſti 41. Caligulà
occidit , Imperium ſuſcepit ; quare viceſimus ejus Imperii dies in
duodecimum Februarii incidit , qui ided Britannici Natalis fuit. Et
tamen Claudius non niſi anno Chriſti 42. Licinio Largo Collegà
Conſulatum ſecundum edidit. Unde Conſulatus ejus ſecundus , qui
tantùm deſignatus erat abſolutè à Suetonio profertur. Nec eſt quod
quis dicat , Britannici Natale à Suetonio non rectè conſignatum
fuiſſe , cùm is Tacitum ſibi conſentientem habeat , qui lib. 13. An-
nalianum de Nerone loquens , dicit : *Turbatus bis Nero , & propinquo*
die quò quartum decimum ætatis annum Britannicus explebat , &c.
Refert hæc Tacitus ſub ejuſdem Neronis Imperatoris & Antiftii vo-
teris Conſulatu , qui in annum Chriſti 55. incidit , quòve Nero
Britannicum veneno ſuſtulit . Quod ſi eo anno decimum quartum
ætatis Britannicus explebat , natus erat anno Eræ noſtræ 41. quò
Claudius Auguſtus Conſulatum ſecundum nondum inierat , qui ta-
men Conſul I I. à Suetonio dicitur. Ex quo & patet , tollendum
eſſe errorem , neſcio an Librarii , an Taciti , in cujus Annalianum lib.
12. de Claudio Auguſto dicitur : *Biennio majorem natu Domitium*
(nempe Neronem) filio (Britannico) antepoſuit. Cùm enim hæc
ſub Conſulatu C. Antiftii , & M. Suilii , qui in annum Chriſti 54.
cadit , à Tacito narrentur , ſine dubio legendum , *triennio majorem.*
Nam ſicut is cum Suetonio in Natali Britannici , ita & in Natali
Neronis conſignando conſentit. Suetonius enim in Nerone capite
6. ſcribit : *Nero natus eſt Antii , poſt nonum menſem , quàm Tiberius*
exceſſit , decimo octavo Kalendas Januarias , anno nempe Chriſti 37.
Tacitus verdè lib. 13. Annalianum de initio Imperii Neronis loquens
ſcribit : *In urbe ſermonum avida , quemadmodum Principis vix ſeptem-*
decim annos egreſſus ſuſcipere eam molem , aut propulſare poſſet , æqui-
rebant. Ubi particula *vix* , uti aliquando alibi , non , vel *nondum*
ſignificat.

*Neronis , non
aliter con-
ſignatum à
Suetonio ,
quàm à Ta-
cito.*

significat. Imperium inquit Nero anno Christi 54. die decima tertia Octobris. Quod si eo tempore nondum annum ætatis decimum septimum egressus erat, profectò anno Christi 37. in lucem prodierat. Præterea idem Tacitus libro 12. Annalium sub Junii Silani, & Q. Ætherii Consulatu, qui in annum Christi 53. convenit, ait: *Sedecim annos natus Nero Octaviam Caesaris filiam in matrimonium accepit*, libro verò 13. Annalium scribit mense Decembri ortum esse Neronem. Quod si anno Christi 36. mense Decemb. natus esset anno 53. annū ætatis decimum sextum attingere non potuisset. Non biennio itaque, sed triennio Britannico Nero major natus erat. Quem errorem cum à Lipsio, aliisque Taciti Commentatoribus observatum non viderem, priorem me illum deprehendisse existimabam; illum tamen postea à Freinsheimio in notis ad Tacitum indicatum comperi. Quare cum in Britannici, Neronisque annis consignandis Suetonius ac Tacitus consentiant, certum, indubitatumque esse debet, Claudium Consulem II. designatum absolute Consulem à Suetonio vocari.

II. Verum est, Petavium libro 11. de doctrina Temporum cap. 15. præfatum Suetonii locum, ubi de Natali Neronis loquitur, examinantem scribere: *Emendetur itaque locus ille frustra vexatus à criticis atque ita reformetur: natus est ante tres menses, quàm Tiberius excessit. Ita verum esse potest, quod idem Scriptor asserit, mortuum esse anno tricesimo secundo ætatis Neronem; aliter non potest. Quin etiam Suetonius idem cap. 6. Neronem scribit, trimulum amisisse Patrem, & subinde Matrem esse relegatam. At relegata est Agrippina Cæi soror, anno Urbis 792. ut ex Dione liquet Christi XXXIX. Quare si anno Christi XXXVII. exeunte natus sit, non nisi bimulus tum fuerit. Quod rectè Ioannes Hervvartus animadvertit. Sed tam ipse, quàm Hervvartus, cui innotuit, proculdubio hallucinantur. Obiit enim Nero die nona Junii anno Christi 68. ætatis tricesimo secundo, ut scribit Suetonius in Nerone capite 58. at hic annus cū Natali Neronis anno Christi 37. ab eo consignato minimè pugnat, Suetonius enim duos extremos annos incompletos pro completis numerare solet. Sic in Augusto cap. 65. ait: *Caium & Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos*: Obiit Caius nono Kalendas Martias, ut ex Inscriptione quæ Pisis legitur, constat, anno Christi quarto, quò Ælius Catus, & Sentius Saturninus Consules erant, ut docet Velleius libro 2. capite 103. Ex quo sequitur Lucium anno Eræ Christianæ 2. circiter Septembrem, vitâ excessisse. Et tamen idem Suetonius in Tiberio cap. 15. inquit: *Cæio & Lucio intra triennium defunctis adoptatur* (nempe*

Tiberius) *ab Auguſto*. Quod ſi Suetonius duodeviginti menſium ſpatium triennium vocet, quid mirum ſi Neronem triceſimo ſecundo ætatis anno periſſe, ac præterea hujus Patrem anno Eræ noſtræ triceſimo nono demortuum, trimulum amiſſiſſe ſcripſerit? Perperam itaque Lipſius in Notis ad librum primum Annalium Taciti ſcribit legendum eſſe: *intra biennium deſunctis*. Neque ſolus eſt Suetonius, qui eam numerandi rationem ulurpet, anonymus enim à Valeſio in calce Ammiaui editus de Licinio Imperatore loquens ait: *regnavit annos XI X*. is tertio idus Novembris anni Chriſti 307. Auguſtus nuncupatus fuerat, ut docet Chronicon Alexandrinum, incunſe verò anno 325. Constantini juſſu occiſus eſt. Quomodo igitur idem Anonymus verum dicere potuit, niſi menſes duos, eoſque incompletos anni 307. pro integro anno numerarit? Locus itaque ille Suetonii, in quo de Neronis Natali loquitur, putus eſt, & ideo fruſtra à Criticis vexatus, quia ſibi in animum inducere non potuere, Suetonium dies ſeptemdecim anni Chriſti triceſimi ſeptimi, qui primi vitæ Neronis fuere, pro anno integro numeraviſſe. Cùm igitur certum ſit, Antiquos hęc numerandi modò uſos eſſe, huic tandem controverſiæ finis imponendus, ac vulgaris lectio minimè in dubium ampliùs vocanda.

Quanti momenti ſit hæc noſtra de Cæſaribus ac Auguſtis, Conſulibus designatis, abſolutè vocatis Conſulibus, obſervatio, graviffimorum Scriptorum lapſus patefaciunt. Idem enim Heruvartus cap. 254. ſuæ Chronologiæ, cum hoc non advertiſſet, exiſtimavit Suetonium de Conſulatu ſecundo Claudii, ſuſſecto tantùm, non verò ordinario loquutum fuiſſe; indeque deducit Conſulatum ſecundum Claudii Licinio largo Collegâ in communes factos intruſum fuiſſe, ideoque annum, cui reſpondet, ex Era Chriſtiana relegandum tùm ex eo quod Nero à Claudio antepoſitus ſit Britannico biennio major, ut in Tacito loco laudato legitur, inde ſequi ait Caligulam, quem annos fere quatuor imperaviſſe certiffimum, non ultra triennium Imperatorem fuiſſe, ac ſub ejus Imperio alterum annum in factis Conſularibus vacare, tandemque Tacitum in annis Britannici & Neronis conſignandis à ſe ipſo diſſentire. Quæ omnia pluribus oſtendere nititur. Sed ex male conſignato, perperamque intellecto ſecundo Claudii Conſulatu, qui tantùm designatus erat, omnes iſti errores nati, error, qui in Tacito corrigendus erat, graviore errore confirmatur, alia quæ rectè idem Tacitus ſcripſit malè in dubium revocantur, & ex uno errore plures ſeruntur.

Petavius in doctrina temporum verſatiffimus, cum loco laudato

C

Heruvartum

III.
Suetonius
& Tacitus
perperam ab
Heruvarto
explicati.

IV.
Suetonius

& Tacitus
inter se non
contrarii, ut
pauca vis Pe-
tavini.

Hervvartim confutandum suscepisset, huic illa Suetonii & Taciti de Natali Britannici, Neronisque ætate tanquam inter se pugnancia obiicienti, non aliud respondet, quàm *ambo ista quadrare non posse, ut & vicesimo Imperii die, & in secundo Consulatu Claudii natus sit Britannicus.* Ac postquam probavit secundum Claudii Consulatum in annum Christi quadragesimum secundum cadere, quod verum est, concludit: *Emendandus igitur, aut sanè non audiendus est Suetonius, quem de Consulatu secundo Claudii tantum designato loqui, non intelligebat.* Quoad locum Taciti ex libro 12. Annalium desumptum, nihil aliud respondet: *De Tacito perspicua res est, ipsum à Suetonio dissentire, & Britannici ortum antevertere. Non est autem novum istiusmodi Scriptorum in historia dissidium.* Et tamen, ut vidimus, inter utrumque egregiè convenire certum, quod capite sequenti dicenda magis confirmabunt.

CAPUT TERTIUM.

Adoptiones Marci Aurelii, & Lucii Veri in secundo Consulatu Antonini Pii tantùm designato factæ.

I.
Adoptio An-
tonini exem-
plo Tiberii
facta.

Suetonii loquendi modum imitatus est Julius Capitolinus in Marco Aurelio cap. 5. ubi de ejusdem Marci adoptione ab Antonino Pio facta loquens, ait: *Octavo decimo ætatis anno adoptatus in secundo Consulatu Antonini jam patris sui, Hadriano ferente, gratia ætatis facta, Quæstor est designatus.* Hæc adoptio, sicuti & Lucii Veri facta est quinto Kalendas Martias anno Christi centesimo tricesimo octavo, quò Antoninus, qui jam antea Consul fuerat, quique Consul à Capitolino dicitur, tum Consul tantùm designatus erat. Capitolini tamen verba Onuphrius lib. 2. fastorum, Henricus Norisius dissertat. de voris decennialibus cap. 3. aliique viri doctissimi non rectè interpretantes existimarunt, illum de secundo Consulatu ordinario ejusdem Antonini loquutum, ideoque adoptionem Marci, & Lucii Veri anno centesimo tricesimo nono peractam esse: licet uterque non tantùm eodem anno, quo Antoninus, nempe 138. Sed etiam eadem die adoptati fuerint. Verum quidem est, Spartianum in Hadriano, & in Ælio Verò, & Capitolinum in Marco, & in Lucio Verò, neque annum, neque diem, quò Marci & Lucii Veri adoptiones factæ sunt, memorare: Sed ex die adoptionis Antonini, quintò nempe Kalen-

das Martias, quem idem Capitolinus exprimit, in cognitionem dici annique, quo Marcus, & Lucius adoptati sunt, veniemus, si animum ad Tiberii, Agrippæ, & Germanici adoptiones, ad quarum exemplar istæ peractæ, attendamus. Quam viam si eruditi viri iniissent, non se se in tot difficultatum laqueos intricassent. Lucio igitur, Caioque Cæsaribus Augusti nepotibus vitâ functis, is *Ælio Catô*, & *Sentio Saturnino Coss.* anno nempe Eræ Christianæ quarto, quinto Kalendas Iulias, ut scribit Velleius lib. 2. cap. 103. Tiberium adoptavit, Tribunitiamque Potestatem eidem ad annos decem dedit, quem admodum ex eodem Velleio, ac Dione lib. 55. discimus: *Adoptatus eodem die etiam Marcus Agrippa, quem post mortem Agrippa Iulia enixa erat, inquit idem Velleius cap. 104. quò etiam die Germanici adoptionem factam Suetonius in Tiberio cap. 15. significat: Caio, & Lucio intra triennium defunctis adoptatur Tiberius ab Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa, coactus prius ipse Germanicus fratris sui filium adoptare.* Eodem anno idem Germanicus Quæstor designatus est, quod docet idem Suetonius ipso Caligulæ vitæ initio. Anno dein Eræ Christianæ decimo Augustus jam ætate gravis eidem Tiberio Proconsulare Imperium concessit, eumque Imperii Collegam declaravit.

Dies, mensis, & annus, quibus ea dignitas Tiberio attributa, frustra huc usque à viris Doctis investigati, licet Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum nobis eosdem tres exhibeat. Postquam enim Julii & Augusti Imperii annos numeravit, scribit: *Deinde Tiberius annis viginti sex, mensibus sex, diebus novemdecim.* Obiit Tiberius decimo septimo Kalendas Apriles, ut Suetonius in Tiberio cap. 13. & Tacitus lib. 6. Annalium cap. 50. prodidère; Dionem enim, qui lib. 58. eundem septimo Kalendas Aprilis demortuum tradit, falli aliàs ostendam. Annus emortualis Tiberii ex omnium sententia fuit annus Christi tricesimus septimus. Quare ex Clementis verbis laudatis colligitur, Tiberium, anno Christi decimo quinto Kalendas Septembres, in consortium Imperii vocatum fuisse, ab eo enim die ad quintum Kalendas Septembris anni Christi tricesimi sexti, viginti sex Imperii Tiberiani, quæ Cæsarei, quæ Augustei anni absolvuntur. Ab hoc verò die ad quintum Kalendas Martias anni Christi tricesimi septimi sex illi menses interjiciuntur, à quinto denique Kalendas Martias, ad decimum septimum Kalendas Apriles, Tiberii emortua-lem, dies sunt novemdecim, ultimo termino, ut sæpè fit, excluso. Idèd porrò Tiberiani Principatûs ad annum decimum quintum Tiberii à Divo Luca cap. primo expressum, intelligendum necessari

II.
Quo die, ac
mense Tibe-
rius Collega
Imperii
creatus.

igitium rectè à Clemente consignatum, viri Docti in ejus verbis non deprehenderunt, quia Romanorum numerandi morem non observaverunt. Hi enim dierum intervalla, non à die quintâ Septembris, verbi gratia, ad diem quintam Octobris, sed à nonis Septembris, ad nonas Octobris numerare solebant; quò modò si numeraveris, à quinta die Septembris, in quam Nonæ cadunt, ad quintam diem Octobris, mensẽ adhuc non colliges, sed tantum ad diem septimam, cum qua Nonæ Octobris concurrunt. Quà numerandi ratione, in Antiquorum scriptis, dum menses ac dies numerant, non observatâ, loca quæ parissima sunt, depravata esse sæpè viri Docti queruntur, ad quod in posterum attendendum.

III.

Quo anno
Tiberius
Collega Imperii
dictus.

Clementem verò rectè hujus Principatûs annum non minùs quàm mensẽ ac diem nobis conservasse ex Augustæ historiæ Scriptoribus inter se collatis, deduci potest. Suetonius in Tiberio cap. 18. narratâ clade Varianâ, quæ anno Eræ nostræ nono contigit, scribit *proximo anno*, Christi nempe decimo, Tiberium repetiisse Germaniam, ac inde in urbem post biennium regressum, triumphum, quem distulerat, egisse: sum subjungit: *Dedicavit & Concordia adem: item Pollucis, & Castoris, suo, fratrisque nomine de manubiis. Ac non multò post lege per Consules latâ, ut Provincias cum Augusto communiter administraret, nempe Tiberius, in Illyricum profectus est.* Dedicatio illa XVII. Kalendas Februarias facta, ut Author est Ovidius lib. primo Fastorum, anno verò Christi decimo, ut testis est Dio libro 56. ubi relata clade Varianâ inquit: *anno sequenti Tiberius eadem concordia sacrauit, &c.* Tum gesta anno Eræ Christianæ undecimo narrate incipiens scribit: *M. Emilio Lepido, Statilio Tauro Consulibus Tiberius & Germanicus, cui pro Consule erat Imperium, impressionem in Germaniam fecerunt.* In Græco legitur: *Τιβεριος μὲν, καὶ Γερμανικός ἀπὸ τῆς ἰσχυρῆς ἀρχῆς ἐς τὴν Κελτικὴν ἐπέβησαν*, id est, *Tiberius & Germanicus, Proconsul in Collicam invasiones fecerunt*; in Græco enim nullum habetur relativum, apponendaque post τὸ Germanicus virgula. Proconsul enim ad Tiberium, non verò ad Germanicum, ut perpetam hætenus ab omnibus existimatum, refertur, ita ut sensus sit, *Tiberius Proconsul & Germanicus &c.* nisi forsan vox *Proconsul* transposita fuerit, quod in Dione non rarò contigisse, jam à viris Doctis observatum. Anno enim superiori Proconsulare Imperium, sicuti diximus, Tiberio collatum fuerat, ipseque caput hujus Germanicæ expeditionis erat, non vero Germanicus, cui ut Author est Tacitus libro primo Annalium cap. 4. non nisi post mortem Augusti, Tiberius *Proconsulare Imperium petiit.* Fallitur enim Lipsius dum

dum in notis ſcribit, petitum fuiſſe Germanico Proconſulare Imperium perpetuum, quæ pars ſupremæ poteſtatis eſt. Id tamen Petavio libro undecimo de doctrina Temporum capite ſeptimo, aliisque viris doctis perſuaſit. Afferit Petavius in ejus rei confirmationem locum ejuſdem Taciti libro 2. ubi is ait anno ab urbe condita 670. qui cum anno Chriſti decimo ſeptimo concurrit, permiſſas Germanico Provincias à Senatu, *quæ mari dividuntur, majusque Imperium quoquò adiiſſet, quàm his, qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent.* At his verbis contrarium evincitur; Proconſulare enim Imperium, quod iater titulos Principatûs, nullis extra urbem limitibus coarctabatur; & tamen quod conceſſum eſt Germanico, ad Provincias tantum, quæ mari dividuntur, extendebatur.

Hæſit & in eadem ſalebra Spanhemius, qui diſſert. 8. de præſtantia & uſu Numiſmat. *Majus Imperium* Germanico delatum nihil aliud eſſe ſcribit, quàm Imperium illud Proconſulare, quale Auguſto delatum iisdem verbis deſcribit Dio lib. 53. *ut major ipſi in Provinciis, quàm earum Præfectis poteſtas eſſet.* Si enim hæc ejus explicatio valeret, dicendum eſſet Corbulonem, qui Nerone Imperante contra Volageſum Armeniam invadentem miſſus eſt, Proconſulari dignitate, quæ ſolis deſtinatis Imperio concedebatur, inſignitum fuiſſe; & tamen Tacitus lib. 15. Annalium cap. 25. docet Imperium Corbuloni permiſſum, limitatum fuiſſe, cum ab eo comparetur cum Imperio Proconſulari Pompeio magno collato, miliaribus ſexdecim, vel circiter definito, & ad triennium coarctato, ut optime explicat Uſſerius in Annalibus veteris teſtamenti anno mundi 3937. verba Taciti ſunt: *Scribitur Terrarchis ac Regibus, Præfectisque & Procuratoribus, & qui Prætorum finiſſimas Provincias regabant, juiſſis Corbulonis obſequi, in tantum formè modum aucta poteſtate, quem populus Romanus Cneo Pompeio bellum piraticum geſturo dederat.* Quare quantumcumque fuerit Imperium Germanico & Corbuloni conceſſum, Proconſulatu, qui ſupremi Imperii pars, quique præter Urbem in toto Orbe Romano agnoſcebatur, longè inferius fuit, quamquam idem Spanhemius ſcripſerit à Tiberiano diverſum non fuiſſe.

Tiberium porro, non verò Germanicum in hac expeditione Proconſulem fuiſſe, ipſemet Tiberius nos docet in Inſcriptione, quæ Viennæ in Gallia legitur, quæque ab Hervvarto cap. 248. ſuæ Chronologiæ refertur;

I V.

*Proconſulare
Tiberii Im-
perium à
Spanhemio
perperam in-
ſollicitum.*

V.

*Tiberius in
Inſcriptione
Viennæ
Proconſul
diæus.*

Dissertatio Hypatica ;

L. O. M.

T. L. C L A U D.

C E N S O R.

P. P R O C O N.

V. S. L. M.

Id est, Iovi Optimo Maximo, Tiberius Claudius Censor, Pontifex, Proconsul, votum solvit lubens merito. Tiberium tunc Viennam venisse colligitur ex Dione loco citato; Celticæ enim nomine, non tantum Germania, sed & Gallia intelligitur, ut testis est Cluverius lib. 1. de veteri Germania, & manifestè docet Velleius lib. 2. cap. 121. ubi de Tiberio dicit: *Concussis hostium viribus, classicis, peditumque expeditionibus, cum res Galliarum maxima molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis, quam pœnâ molisset, & Senatus, Populusque Romanus, postulante patre ejus (Augusto) ut æquum ei jus in omnibus Provinciis, exercitiis esset, quàm eras ipsi, decreto complexus esset: (etenim absurdum erat non esse sub illo qua ab illo vindicabantur, & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem, non judicari parem) in Urbem reversus jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Delmaticisque egit triumphum.* Quibus etiam verbis colligitur Proconsulare illud Imperium Tiberio absenti collatum fuisse, anno nempe Christi decimo; non verò undecimo, ut Marcus Antonius Capellus dissertat. de anno passionis Christi cap. 5. & Henschenius in explicatione veterum Catalogorum Pontificum arbitrati sunt; neque denique duodecimo, ut Petavius loco laudato, & Usserius in Annalibus veteris testamenti litteris mandarunt: Circa quem tamen annum mihi adhuc superest scrupulus, infra proponendus.

VI.

Dionis locus
de Proconsu-
latu Tiberii,
Suetonii
verbis illu-
stratur.

Sed redeo ad Dionis locum hucusque non intellectum. *Tiberius, & Germanicus, Proconsul in Celticam invasiones fecerunt.* Nullus vocem Proconsul ad Tiberium referri animadvertit, & tamen ex dictis aliter esse non potuit. Extat apud Suetonium ipso Caligulæ vitæ initio locus non absimilis: *Germanicus Cæsaris pater, Drusi, & Iunioris Antonia filius, à Tiberio patruo adoptatus, quaesturam quinquennio antequam per leges liceret, & post eam Consulatum statim gessit: Ubi Casaubonus rectè advertit, virgulam ante adverbium statim apponendam, licet in libris editis ante vocem Consulatum posita sit; historię enim fides, inquit stare non potest, si statim referatur ad Consulatum, cum inter Germanici Quaesturam, ejusque Consulatum.*

lulatum, quem non nisi anno Eræ Christianæ duodecimo gessit, anni sex interjiciantur. Significat igitur Suetonius, Germanicum, statim ut adoptatus est, Quæsturam gessisse. Nam cum quinquennio antequam per leges liceret, illud munus consequutus sit, quod & de Tiberio Dio lib. scribit, & ætas legitima Quæsturæ gerendæ, Augusti, & deinceps ævo, annus ætatis vicesimus quintus fuerit, quem admodum observavit Lipsius in Notis ad lib. 3. Annalium Taciti, tardiùs hoc munere Germanicus fungi non potuit: cum anno Eræ nostræ decimo nono, quo exeunte è vivis excessit, tricesimum quartum annum ageret, ut Suetonius scribit, & ex Tacito deducitur. Unde anno, quò adoptatus est Germanicus, undevicesimum circiter annum agebat, quò etiam Tiberius Quæsturam gesserat, ut habet Velleius: *Tiberius Quæstor fuit, unde-vice-simum annum agens.* Is Suetonis locus inducit, ut credam in præfato Dionis nullam verborum transpositionem inesse.

Hadrianum in Antonino adoptando Augustum sibi exemplar proposuisse, quæ in eà adoptione peracta sunt, manifestum faciunt, ostenduntque verum esse quod Tertullianus lib. 1. adversus Marcionem cap. 9. scripsit: *omnis res anterior posteriori normam præministravit.* Primum, utrique adoptioni peragendæ idem dies constitutus, nempe quintus Kalendas; illi Julias, huic Martias. Neque id casu factum; dies enim ille in quamdam religionem venerat ab eo tempore, quò Augustus, M. Antonius, & M. Lepidus anno Urbis Varoniano 711. se Triumviros, Reipublicæ constituendæ cum summo Imperio, quinto Kalendas Decembres in quinquennium renuntiabant; multòque magis ab anno Urbis conditæ 725. quò Augustus victis superiori anno Antonio, & Cleopatrà, *Minerva templum, & quod Chalcidicum vocatur, cum Curiam Iuliam, in honorem patris sui factam dedicavit, in eaque imaginem victoriam posuit quo Caesar nimirum ostendebat, Imperium se ex victoria esse adeptum,* inquit Dio lib. 51. pag. 459. Romani enim Victoriæ Numen, eamque conservatricem, ac custodem Imperii sui arbitrabantur. Electus ad eam dedicationem quintus Kalendas Septembris, ut discimus ex antiquo Calendario marmoreo, quod apud Gruterum pag. 133. extat, in quo ad eandem diem habetur annotatum: **ARA VICTORIÆ IN CURIA DEDICATA EST.** Stetit ea usque ad Imperium Constantii, qui anno 357. cum Romam venisset, iussit eam auferri, quò tamen mortuo Gentilibus adnitentibus restituta, iterumque Gratiani Augusti iussu amota. Qua de re legendi Annales Ecclesiastici. Secundò, Augustus Tiberium adoptando Tribunitiam Potestatem eidem contulit,

VII.
Tiberius &
Antoninus
eodem die
adoptati.

ulit, cumque aliquot post annos, non alio die quam V. Kalendas Septembris in Imperii consortium adscivit: sic & Hadrianus non tantum Antoninum V. Kalend. Martii adoptavit, sed & cum Collegam Imperii renuntiavit: *Adoptatus est quinto Kalendas Martias die, factusque est patri & in Imperio Proconsulari, & in Tribunitia Potestate Collega*, inquit Capitolinus in Antonino cap.4.

VIII.
Quo die Imperium Proconsulare Octaviano Augusto attributum.

Ex quibus, ut id obiter observem, datæ Augusto Tribunitiæ Potestatis, Imperiique Proconsularis attributi diem, conjectura assequi licet, anno Urbis conditæ 731. Augustus undecimum Consulatum gessit, quem trimestrem fuisse Suctonius docet, quem cum abdicasset: *Senatus Augusto hos honores decrevit, ut Tribunus plebis perpetuus esset ut Proconsulare Imperium semper haberet, neque id in Urbem intrans deponeret*, inquit Dio lib.54. pag.518. Diem, neque Dio, neque ullus alius ex Antiquis memorat, sed factum id quinto Kalendas Apriles sub Consulatus finem. Onuphrius tamen scribit Proconsulare Imperium Augusto delatum quinto Kalendas Julii, quo die, inquit, tanquam Imperii natalitio Tiberium postea adoptavit. Unde deducit eadem die ac mense, quod Tribunitiam Potestatem Imperatores consequuti fuissent, aliis tradidisse: quæ sententia diu invaluit, donec tandem viri eruditi hanc ejus conjecturam satis fundatam non arbitantes, eam tam quoad diem, quam quoad mensem rejecerunt, Tribunitiamque Potestatem Tito à Vespasiano, Trajano à Nerva, & sic de aliis, incerto die ac mense communicatam fuisse scribere. Sed tam ipsi, quam Onuphrius ad Augusti factum satis animum non attendentes, falsi sunt. Onuphrius quidem in mense, qui neque ab Augusto observatus, neque huic, abdicato Consulatu, Proconsulare Imperium, & Tribunitia Potestas tandiu dilata. Omnes verò alii in die falsi. Augustus enim mensem quidem neglexit, sed & is, & Antoninus ad diem quintum Kalendarum, quo eidem Augusto Triumviratus datus, Araque postea victoriæ ab eo dedicata, respexere: quam conjecturam vanam non esse, quæ suis locis dicemus, ostendent.

IX.
Antoninus cum Lucio & Marco adoptatus.

Tertio Hadrianus Antoninum adoptavit *ea lege, ut sibi ille duos adoptaret, Annum verum, & Marcum Antoninum*, inquit Spartianus in Hadriano cap.24. quod & in *Elío Vero* cap. 6. & Capitolinus in Antonino Pio cap.4. confirmant: nisi quod tam hic quam ille Marcum ante Verum nominant, & tamen idem Capitolinus in Marco cap.5. ait: *Antoninum Pium Hadrianus ea lege in adoptionem legit, ut sibi Marcum Pium adoptaret, ita tamen ut & Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret.* Quod & in vita ejusdem Lucii cap.2. repetit. Spartianus

seu de Consulibus Cesareis.

25

Spartianus autem in *Ælio* cap. 5. de eodem *Ælio Vero* loquens ait : *Ejus filius est Antoninus Verus , qui adoptatus est à Marco , vel certe cum Marco.*

Quartò sicuti Germanicus , quando à Tiberio adoptatus est , gratiâ ætatis factâ , Quæstor est designatus , ita & Marcus : octavo decimo ætatis anno adoptatus (Marcus) in secundo Consulatu Antonini jam patris sui , Hadriano ferente , gratiâ ætatis factâ , Quæstor est designatus , inquit Capitolinus in Marco cap. 5. qui tamen sequenti capite eandem Marci Quæsturam verbis explicat , quibus videtur indicare , hunc non anno 138. adoptatum fuisse ab Antonino , sed anno 139. eodemque Hadrianum demortuum ; ait enim de Marco loquens : *Hadriano Bæis absumpto , ævo justa implevit , & Gladiatorum quasi privatus Quæstor edidis munus , & infra : his à gestis adhuc Quæstorem & Consulem secum Pius Marcus designavit , & Cesaris appellatione donavit.* Consulatus hic Marci in annum Christi 140. competit. Quare anno superiori & Consul designatus , & Cesar nuncupatus , dum adhuc Quæsturam gereret ? Sed sicut Capitolinus Antoninum iterum Consulem designatum absolute Consulem vocat , ita & Marcum , qui anno 138. Quæstor designatus fuerat , Quæstorem absolute appellat. Mortuo itaque anno 138. Hadriano. Marcus quasi privatus Quæstor , id est , designatus Quæstor , *Gladiorum edidis munus.* Ex quo & magis nostra confirmatur sententia , Consules nempe designatos , absolute Consules vocatos fuisse , cum & Quæstores tantum designati solo Quæstorum nomine intelligerentur. Quod si adoptiones Antonini , Marci & Lucii Veri ad exemplum adoptionum Tiberii , Agrippæ , & Germanici factæ sunt , hæque eodem die ac anno peractæ , nullus dubitandi locus relinquitur , quin Capitolini locus de secundo Antonini Consulatu tantum designato explicandus sit.

Onuphrius tamen lib. 2. Fastorum pag. 224. Henricus Norisius Dissertat. de votis Decennial. cap. 3. uterque de Romana Antiquitate optimè meritis , hicque mihi summa necessitudine conjunctus , Marci & Veri adoptiones in secundo Consulatu ordinatio ejusdem Antonini , anno scilicet 139. factas scripsere , postquam superiori Antoninus ab Hadriano arrogatus fuisset ; idque duplici fundamento innixi. Primò , quod existiment , Consulatum secundum Antonini , in quo fuere factæ , ordinarium esse , non designatum. Secundò , quod Capitolinus dicat Marcum annum decimum octavum egisse , quando ab Antonino adoptatus est , quod & eodem capite repetit : *Cum post obitum Lucii Cesaris Hadrianus successorem Imperii quereretur ,*

X.

Marcus post adoptionem , ut alii Germanicus , Quæstor creatus.

XI.

Locum Capitolini de Marci ætate emendatus.

nec idoneus, utpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur &c. ac postea: *octavo decimo ergo ætatis anno adoptatus &c.* At prius illud fundamentum jam eversum, alterumque ex ipsomet Capitolino destruendum. Scribit is Marcum *sexto Kalendas Maias avo suo iterum & Augure Coss.* Christi scilicet 121. natum esse: quem diem etiam Natalem vetus Kalendarium à Petro Lambecio Bibliothecæ Cæsareæ Præfecto, viro clarissimo editum, & Inscriptio Romana exhibent. Imò & ex Dione colligitur non alio die, mense, ac anno Marcum ortum; ait enim eum die decimâ septimâ Martii, anno nempe Christi 180. obiisse, ac annos 58. menses 10. dies 22. vixisse, computato scilicet die bissextili illius anni, aliter dies tantum 21. reperirentur. Quapropter ex Dione Marcus natus est anno Christi 121. sexto Kalendas Maias, ideoque anno 138. quinto Kalendas Martias, quo adoptatus est, non nisi annum decimum septimum agebat, sexto Kalendas Maias ejusdem anni decimum octavum inchoaturus. Præterea idem Capitolinus in Marco cap. 7. ait: *Per viginti & tres annos in domo patris ita versatus, ut ejus quotidie amor cresceret, nec præter duas noctes per tot annos emanavit duabus vicibus.* Sed si ab anno Christi 161. dieque septima Martii, quo Antoninus Pius è vivis excessit, per viginti & tres annos retrocedas, ad annum Christi 138. pervenies. Supererunt tantum undecim dies, quos Capitolinus pro anno computasse non videtur quare Capitolinus ex Capitolino emendandus, legendumque in priori loco *decem & septem annos habens*, in posteriori verò, *septimo decimo ergo ætatis anno*, nisi, quod vero similis, Capitolinus ipse memoriâ lapsus sit. Sed quidquid sit, certum Marcum anno ætatis decimo septimo in secundo Consulatu designato Antonini, fuisse adoptatum. Idem Capitolinus in Vero cap. 3. de eodem loquens ait: *Fuitque privatus in domo Imperatoris viginti & tribus annis.* Sed hunc locum depravatum suspicor, ut parte 2. cap. 11. n. 16. videbitur.

XII.
*Marci &
 Lucii adop-
 tiones hoc
 anno factæ.*

Ex quibus evidens est opinionem Onuphrii, & sequacium, qui Hadriani morte anno 138. rectè consignatâ, Marci & Lucii adoptiones ab Antonino jam Augusto, anno sequenti factas volunt, nullo modo sustineri posse. Primò, quia in secundo Consulatu Antonini ordinario, ætas fuisse, falsum esse ostendimus. Secundò, quia in duobus Capitolini locis corruptis fundatur. Tertio, quia Marcus in sua adoptione Quæstor est designatus, & eo nomine in Hadriani funeribus Gladiatorum edidit munus, annoque sequenti, dum Quæsturam gereret, Consul est designatus; & tamen Onuphrius non nisi post Hadriani mortem Marcum designatum Quæstorem scribit, verbaque

verbaque Capitolini, quæ tunc Hadrianum adhuc vixiſſe evincunt, ſupprimi, hæc nempe, *Hadriano ſerente*, unde ipſemet, quàm parum firma eſſet ea opinio, agnovit. Senſit difficultatem Noriſius, quare eas quidem adoptiones anno 139. cum Onuphrio conſignavit, ſed Hadrianum ad ſextum uſque Idus Julias ejuſdem anni vitam produxiſſe ſcripſit; qui alter error eſt ex ſecundo Conſulatu Antonini tantum deſignato, perperamque intellecto ortus, de quo cap. ſequenti.

Sequitur ſecundò Baronium, licet diligentem Antiquitatum exploratorem, neque eundem ſecundum Conſulatum Antonini deſignatum intellexiſſe, neque harum adoptionum tempus rectè collocariſſe. Anno enim 139. num. 1. tradit Ælium Verum Cæſarem ſecundum Conſulatum Kalendis Januariis ejuſdem anni auſpicaturum, diem obiſſe: eodemque anno, qui ſecundum rectam Chronologiam tantum eſt 137. Antoninum adoptatum fuiſſe, ea lege, ut Lucium, & Marcum ipſe adoptaret: tum anno ſequenti 140. num. 1. refert, Camerino, & Magno Coſſ. ordinariis, Antoninum Pium honorarium Conſulatum adiiſſe, auctumque inſuper Tribunitia Potestate, Hadriano demortuo ſucceſſiſſe. Camerinus & Magnus anno 138. Conſules ordinarii fuere: Sed quia Baronius Eram Chriſtianam biennio antevertit, hunc annum 140. vocat. Verum valde fallitur tam in Ælii morte, quàm in hiſ adoptionibus conſignandis, & ſecundo Conſulatu Antonini explicando. Primum Conſulatum geſſit Ælius anno 136. qui Baronio eſt 138. cujus anni initio nondum Cæſar erat, ut colligitur ex Dione in Indice Conſulari, & ex duabus Inſcriptionibus, quæ extant apud Onuphrium lib. 2. Faſtorum pag. 223. quæ eodem anno dedicatæ ſunt, in quibus, ſicuti & apud Dionem, Ælius dicitur tantum Coſ. non verò Cæſar. Quò tamen titulo cohonestatus in iis fuiſſet, ſi Kalendis Januariis, quibus Conſul cum Pompeiano proceſſit, jam eam dignitatem adeptus fuiſſet. Imò ipſemet Ælius eodem anno 136. Epistolam ſcripſit, quam Kirmanus lib. 3. de funèribus Romanorum pag. 44. aſſert, cujus initio ſe Cæſarem, & in fine Conſulem; ſed ſine Cæſaris titulo appellat,

Ælius. Cæſar

Duobus. lib. ſannarū

Quintiliani. ſalutem

Is eſt titulus Epistolæ, quæ hiſ verbis concluditur.

Data. XIII. Kal. Julias in hortis

ſecilia Maxima

Ceionio Commodo &

Civica Pompeiano Coſſ.

XIII.
Tempus
adoptionis
Antonini, &
mortis Ælii
à Baronio
malè conſig-
natum.

XIV.
Tempus
adoptionis
& mortis
Ælii Veri.

Qua ex Inscriptione patet errasse Petavium in Chronico, quando scripsit Ælium anno 137. factum esse Cæsarem, cum duodecimo Kalendas Julias anni superioris jam Cæsar esset; qui tamen, cum in Consulatu suo exprimendo (vocabatur enim Ceionius Commodus) se Cæsarem non appellet, liquet Kalendis Januariis anni 136. quibus Consul processit, nondum fuisse Cæsarem. Spartianus in Ælio cap. 3. dicit Ælium adoptatum, Pannoniis ducem fuisse impositum, Laziusque lib. 2. Comment. Reipubl. Rom. cap. 5. refert inscriptionem, quam Taurini in Hungaria Pannoniæ superioris tractu extare dicit,

HADRIANO AUG. P.
P. TRIB. POT. XXI.
COS. III. IMP. II.
LELIUS CÆS. FIL.
TRIB. POT. COS.
PR. PROCOS. VIVIR.
SACRIS FACI. VII.

Dedicata est hæc Epigraphe anno Christi 137. post tertium Iduum Augusti, quo Hadrianus Tribunitiam Potestatem XXI. iniit. Quare errat Baronius, quando scribit Kalendis Januariis ejusdem anni, dum secundum Consulatum auspicaturus esset, obiisse, cum eodem anno, mense Augusto, post quem hanc inscriptionem dedicavit, adhuc in vivis esset. Unde cum ex Spartiano in Hadriano cap. 22. ipsis Kalendis Januariis perierit, nec gratias quidem in Senatu agere potuerit *Hadriano de adoptione*, sequitur Ælium Kalendis Januariis anni 138. demortuum; neque Antonini adoptionem ante hunc annum factam fuisse, cum non nisi post mortem Ælii Antoninus adoptatus sit, & gratiarum actiones, quas Ælius reddere non potuit, essent de ejus adoptione, non verò de secundo ejus Consulatu; quod Baronio errandi causa fuit; qui etiam non advertit, deputatos Imperio non Consules honorarios, sed ordinarios designari solitos fuisse: quod quidem de Ælio idem Spartianus loco laudato docet: & *quia erat deputatus Imperio, iterum Consul deputatus est*. Sed de Consulibus honorariis infra sermo erit.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Hadrianus mortuus est in secundo Consulatu Antonini tantum designato.

CÆsarum & Augustorum Consulatus designati errorum seminarium fuisse, quod nos permovit ut de his accuratius ageremus. Existimavit Norisius Dissertatione de votis decennialibus, cap. 3. uti jam insinuavimus, Hadrianum Imperatorem, in secundo Consulatu ordinario Antonini, anno nempe Christi 139. naturæ debitum solvisse, quod Capitolinus loco capite præcedenti laudato, illud indicare videatur. At hunc Authorem, de Consulatu Antonini designato tantum, intelligendum annus emortualis Hadriani magis confirmat: cum enim anno 138. demortuum planè certum; & tamen Antoninus non nisi anno sequenti Consulatum secundum gessit. Egregia est hanc in rem Inscriptio apud Onuphrium lib.2. Fastorum pagina 224.

I.
Annus mortis Hadriani Inscriptio-
ne probatus.

IMP. CÆSARI
DIVI HADRIANI
AUG. FILIO. DIVI
TRAIANI PARTHICI
NEP. DIVI NERVÆ
PRONEPOTI TITO
ÆLIO HADRIANO
ANTONINO. AUG. PIO
TRIB. POT. COS. DES. II.
S C R I B Æ
A R M A M E N T A R I

Dedicata est Inscriptio post sextum diem Iduum Juliarum quò Hadrianus obiit; cum in ea *Divus* nuncupetur, quod de Imperatore vivente, nondumque consecrato dici non potuisset; & præterea Antoninus Pius in ea vocetur Augustus, quod nomen ante Hadriani

D 3 mortem

mortem consecutus non est, ideoque anno Christi 138. dicitur in eadem Antoninus Consul designatus I. I. quem secundum Consulatum cum anno tantum 139. gesserit, sequitur eum anno antecedenti Consulem I. I. designatum fuisse, & ante adeptum Consulatum illum secundum ordinarium Hadrianum mortuum esse.

II. Idem colligitur ex tribus Numismatis, quæ apud Goltzium extant. *Nummis etiam probatur.* In uno legitur: IMP. T. ÆL. CÆSAR ANTONINUS TRIB. POT. DES. II. Cusum illud ante Hadriani mortem, cum in eo Antoninus non vocetur Augustus, sed tantum Imperator, quod nomen Imperii Collegis, qualis erat Antoninus, attributum fuisse, hic nummus ostendit, non minus quam alius à Carolo Patino viro clarissimo relatus, qui in una superficie Hadriani imaginem cum his verbis præfert: HADRIANUS AUGUSTUS, in altera vero Antoninum cum Imperatoris titulo: IMP. T. ÆLIUS. Ex his nummis colligitur anno 138. Antoninum non tantum Cæsarem, sed & Imperatorem, ac Consulem I. I. designatum, ipso adhuc vivente Hadriano, dictum fuisse, sed ex aliis duobus, in quibus Antoninus appellatur: IMP. T. ÆL. CÆS. HADRI. ANTONINUS AUG. PIUS P. M. TR. P. COS. DES. II. Hadrianum anno 138. mortuum fuisse planè evincitur: cum enim in utroque Antoninus dicitur Consul designatus I. I. liquet percussos esse ante annum 139. quo Consulatum secundum gessit; & præterea cum in iis Augustus vocetur, certum est ante præfatum annum 139. Hadrianum è vivis excessisse.

III. Inscriptionibus, & nummis, scriptores Græci consentiunt, inter quos Dio narratà Hadriani morte ait: *Vixit annos sexaginta duos, menses quinque, dies novemdecim. Regnavit annos viginti, menses undecimo.* Natus erat ex Spartiano in ejus vita nono Kalendas Februarias, Vespasiano septies, & Tito quinquies Coss. anno nempe Eræ Christianæ septuagesimo sexto, à quo anno & die, quo etiam Natale ejus consignatur in veteri Calendario à Petro Lambicio in Bibliotheca Cæsarea, ad diem sextum Iduum Juliarum anni Christi 138. interjiciuntur anni, menses, ac dies, quos Hadrianum vixisse Dio refert. Cui profectò in iis præsertim quæ ad Hadrianum spectant magna fides habenda, cum initio ejusdem vitæ scribat: *Apronianus pater meus, qui Cilicia præfuit, quique res ejus (Hadriani nempe) omnes certò cognovit, mihi singula recensuit.* Chryserus quoque Marci Aurelii libertus ac Nomenclator, qui in annum Christi 180. quo patronus ipsius obiit, opusculum suum deduxit: dicit Hadrianum imperasse annos XXI. menses X. dies XXVIII. Idem habet Clemens Alexandrinus

Alexandrinus lib. primo Stromatum, in quo & ait: à David uſque ad ſecundum annum Veſpaſiani M. CLXXIX. deinde ab eo uſque ad decimum annum Antonini, anni LXXVII. Incipit Clemens Imperium Veſpaſiani à die tertia Julii, quo Judaicus exercitus apud ipſum juravit, ut docet Tacitus libro ſecundo hiftoriarum, licet Scriptores Latini Natale ejus à Kalendis Juliis, uti notum eſt, deducant; incipit verò ejus annos à ſecundo illius Imperii, quo Hieroſolyma capta, anno nempe Chriſti ſeptuageſimo, à quo ad annum centeſimum quadrageſimum ſeptimum, tertiumque Julii diem, anni ſunt integri ſeptuaginta ſeptem, dieque decima Julii decimus Antonini Pii annus inchoatur, ſi Hadrianus anno 138. obierit; contra verò annus tantùm nonus, ſi ſequenti vivere deſierit, ipſeque Antoninus Imperium inierit. Scaliger in Animadverſionibus Eufebianis dicit ſe annum unum minùs invenire, quia non obſervat Clementem, qui mos multorum Antiquorum eſt, ultimum terminum, decimum nempe Antonini annum excludere. Explodendi itaque errores duo circa Hadriani Imperium. Primus, qui Scaligeri in Libris de Emendatione temporum eſt, Hadriani Imperium anno Chriſti centeſimo decimo ſexto auſpicatur: alter verò rectè quidem ejus initium collocat, ſed ejus mortem in annum centeſimum triceſimum nonum perperam differt, quarum opinionum fundamenta hic à nobis pœnitùs evertenda, ne Hadrianei Imperii initium & finis, quæ duo certiffima, ampliùs in controverſiam vocentur.

Opponunt qui communi ſententiæ adverſantur, Scriptores Latinos hiftoriæ Auguſtæ, qui annos viginti duos Hadriano attribuunt, quod eſſe non poteſt, niſi is anno centeſimo decimo ſexto imperare cœperit, aut ſaltem in ſecundo Conſulatu ordinario Antonini Pii obierit. Spartianus enim, qui Hadriani vitam in litteras miſit cap. 25. ait: *Imperavit annis XXI. menſibus XI.* Victor Schoti: *interiit anno Imperii abſque menſe viceſimo ſecundo.* Victor in Eplto me: *imperavit annis XXII.* Eutropius lib. 8. *Obiit ſexagenario major anno XXI. menſe X. die XXIX.* Scaligero has authoritates obiicienti Petavius lib. 11. de doctrina temporum capite 22. aliud non reſpondet: *neque Spartiano licet aſſentiri, qui cum Eutropio annos XXI. menſes XI. numerat, alioquin mortem Hadriani in annum Chriſti 139. prorogare neceſſe ſit.* Sed hæc reſponſio, quæ Scaligeri ſententiæ non obeſt, Noriſio favet. Quare ſolutio aſterenda, quæ utriuſque opinionem his authoritatibus malè inniti oſtendat. Spartianus itaque, cum ad mortem Hadriani ventum, ſcribit: *vixit annis LXXII. menſibus V. diebus XVII.* *Imperavit annis XXI. menſibus XI.* Natus erat Hadrianus,

IV.

Error Spartiani in annis vita, & Imperii Hadriani.

ut

ut jam à nobis ostensum ex ipsomet etiam Spartiano nono Kalendas Februarii anni Christi septuagesimi sexti. Quare si vera sunt quæ Spartianus scribit, mortuus est Hadrianus, non anno 138. aut 139. sed 148. quod nullus dixerit. Sicut igitur locus ille in annis vitæ Hadriani mendosus, ita & in annis ejus imperii. Si decem ex annis vitæ, & unum ex annis Imperii demas, rectè Spartianus Hadriani annos numeraverit, aliter vel librarius erravit, vel ipse pugnancia scripsit.

V.
Ejusdem
Spartiani
error in an-
nis Severi.

Quoad menses, alio modo à Dione, alio modo à Spartiano hîc numerantur. Is eos putat à die vigesimo quarto Januarii, cum quo concurrit nonus Kalendas Februarii, ad diem viceesimum quartum Junii, quò quinque menses quibus supra annos sexaginta duos Hadrianus vixit, absolvuntur, ac dies quibus supra menses quinque vixit, incipiunt. Ab eo enim ad decimum Julii, ejusdem Imperatoris emortualem, dies sunt septemdecim, ultimo termino exclusò. Dio verò eosdem menses more Romano numerat, à die nempe nono Kalendarum Februarii ad nonum Kalendas Junii, qui incidit non in diem viceesimum quartum, sed tantùm in diem viceesimum tertium mensis Junii, à quo die ad decimum Julii, inclusò utròque terminò, dies sunt novemdecim. Utraque numerandi ratio in legendis scriptoribus Antiquis præ oculis habenda. Non dispari ratione in Severi Augusti annis numerandis peccavit idem Spartianus, qui ejus Natale consignat *sexto Idus Apriles Erucio Claro bis, & Severo Consulibus*, anno nempe Christi 146. & quidem rectè quoad Consules: sed quoad diem erratum tam ab eo, quàm à Dione, qui in fine vitæ Severi scribit eum *tertio idus Apriles* natum esse. Nam ex veteri Kalendario Lambeciano constat Natale Severi die quarto Idus ejusdem mensis Aprilis contigisse. Præterea Spartianus scribit Severum vixisse annos octuaginta novem, quod tamen prorsus falsum, obiit enim anno Christi 211. pridie nonas Februarias, ut habet Dio. Ab anno autem 146. quartoque Idus Apriles, ad annum 211. ac pridie nonas Februarias, sunt tantùm anni sexaginta quatuor, menses novem, dies viginti quinque. Unde erravit & Dio, quando de Severo scripsit: *vixit annos sexaginta quinque, menses novem, dies viginti quinque. Erat enim natus tertio idus Aprilis.* Siquidem annum plus numerat, & Severi Natalem diem, uti diximus, malè collocat. Ex quibus Spartianum in annis Imperatorum numerandis non semel lapsum esse constat. Nec Eutropius, & uterque Victor, etiam quando idem communi consensu scribunt, eo accuratiores; quod non tantùm in Hadriano, sed & in Heliogabalo patet, qui licet

prope

ptope quadriennium imperarit , seu , ut Dio computat , *annos tres , menses novem , & dies quatuor* , nihilominus Victor Schoti ait : *tricesimo regni mense oppressus est.* Aurelius Victor in Epitome : *imperavit biennio , & mensibus octo.* Quod & Eutropius habet. Opponitur præterea contra communem sententiam hæc Inscriptio Hadriano in Transsylvania dicata quæ à Grutero pag. 252. & Lazio lib. 3. Comment. Reip. Rom. cap. 16. refertur.

V I.
*Explicatur
Inscriptio, in
qua anni
XXII. Impo-
rii Hadriano
tribunus tur.*

L. ANNIO FABIANO III. VIRO CAPITAL. TRIB. LEG. II.
AUG. QUÆSTORI. TURBANTIUM TRIB. PLEBIS
PRÆTORIS CURATORI VIÆ LATINÆ IMP. CÆS.
DIVI TRAJANI PARTH. FIL. DIVI NERVÆ
NEPOTIS. TRAJANI HADRIANI AUG. PONT. MAX.
TRIB. POT. XXII. IMP. II. COS. III.

Hanc Inscriptionem magnam speciem habere fatendum est ; nihil enim ad Imperatorum annos firmandos validius , quàm Tribunitia Potestas in eorum nummis , & Epigrammatis expressa , quæ eos exhibet ; cùm facilius à scriptoribus , vel librariis , quam à cuforibus , vel sculptoribus errari potuerit : at aliquas Inscriptiones ac nummos pseudographos reperiri , inter eruditos constat , quibus , si fides adhiberetur , tota Imperatorum perverteretur historia , & quæ certissima , falsa haberentur. Præfata tamen Epigraphæ ex alio capite rejicienda. Hadrianus in Campania , longissimè à Transsylvania distitâ , die decima Julii anni Christi 138. obiit : die decima verò mensis sequentis Tribunitiam Potestatem XXII. initurus erat. Quare Inscriptio ante decimum diem Augusti illius anni exarata , eoque adveniente , antequam de morte Hadriani in Transylvaniam nuntium pervenisset , dedicata. Cùm enim in Antonino , qui jam , uti Collegæ Imperii , Principatum obtinebat , & propter Hadriani infirmitatem , omnia administrabat , certa successio esset , mors illa tardiùs nunciata , & postquam relata , lapis qui confungi debuerat , integer relictus est , & in Eruditorum offendiculum ad nostra usque tempora perseveravit.

Hæc nostra solutio confirmatur ex simili , quam Henricus Norisius dissertat. de Numismate Licinii cap. 4. affert , ubi ex Grutero pag. 284. Inscriptioem recitat , in qua Ovinius Gallicanus , qui anno 317. Consul ordinarius fuit , dicitur tantùm *Præfectus Urbis* ; quem Magistratum cùm anno 316. ut ex Indice Præfectorum Urbis patet , gesserit , videtur colligendum eam Inscriptioem dicatam

V II.
*Inscriptio
vera , licet
cum historia
non conveniens.*

fuisse eodem anno 316. cum, si anno sequenti id contigisset, ejus Consulatus in ea appareret; erat enim dignitas infra Imperatoriam omnium maxima, quæ in virorum illustrium Epigraphis omitti non solebat: cum verò in ea Crispus, Constantini Magni filius, Cæsar appelletur, si Inscriptio vera sit, sequitur Crispum ante annum 117. Cæsarem nuncupatum fuisse, quod tamen falsum esse constat. Ad majorem claritatem eam Inscriptionem exhibeo.

FLAVIO. VALERIO. CRISPO.
 NOBILISSIMO. CÆS. FILIO.
 CONSTANTINI MAXIMI.
 ADQUE. INVICTI. SEMPER. AUG.
 ET NEPOTI. DIVI. CONSTANTII.
 OVINIUS. GALLICANUS. V. C.
 PRÆF. URB. ET JUDEX. SACRARUM.
 COGNITIONUM. DEVOTUS.
 —
 N. M. Q. E J U S.

Sed idem Norisius ex Libello de Præfectis Urbi rem totam aperit. Gallicanus, ut ibidem patet, designatus fuit Præfectus Urbi anno 316. pridie Nonas Augusti; anno 317. successorem accepit Septimium Bassum *Idibus Martii*. Quare eodem anno Kalendis Martiis, quibus Crispus nuncupatus Cæsar, Gallicanus Præfectus Urbi erat, quemadmodum in illa Inscriptione legitur; qui tamen in ea Consul non nominatur, quia prior parte illius anni nondum ab Augustis Constantino & Licinio, ordinarii Consules designati fuerant; in eo enim Libello de Præfectis habetur: *Consules quos iusservint DD. NN. Augusti. ex die XIII. Kal. Martii Gallicano & Basso*. Gallicanus priusquam delati Magistratus nuntium acciperet, Inscriptio illam in lapide sculpendam curaverat ut eadem Kalendis Martii die Natali Crispis Cæsaris, in hujus honorem publico loco dicaretur. Degebat id temporis Constantinus in Dacia apud Serdicam ubi die 16. Aprilis dedit *L. 6. ad L. Jul. de vi publica Cod. Just.* Quare cum die XIII. Kalendas Martias Gallicanum Consulem designaverit, ac publicaverit, is post dicam Crispo Epigramma, sui Consulatus nuntium accepit. Ita doctè Norisius præfatam Inscriptio-
 tantum

tantum veriffimum eſt, ſed præterea & utriuſque Epigraphis dedicatione colligitur & locorum diſtantiã, & novitatum ignorantiam non raro in cauſa fuiſſe, ut in Inſcriptionibus quædam aliquando legantur, quæ cum hiſtoria non conveniunt.

Denique hæc opponitur Inſcriptio quæ apud Onuphrium, Gruterum, alioſque extat.

VIII.
*Inſcriptio
Hadriani
mendosa.*

IMP. CÆSARI. DIVI. TRAJANI. PARTHICI. FILIO. DIVI.
NERVÆ. NEPOTI. TRAJANO. HADRIANO AUG. PONT.
MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. COS. III. P. P. ET
DIVÆ. SABINÆ. IMP. CÆS. T. ÆLIUS. HADRIANUS.
ANTONINUS. AUG. PIUS. PONT. MAX. TRIB. POT. II.
COS. DES. III. P. P. IMP. II. PARENTIBUS. SUIS.

Hæc Epigraphæ anno Chriſti 139. quo Antoninus Tribunitiam Potestatem ſecundam iniit, exarata, ſed uti exiſtimo, neglecta, rejectaque fuit, quod Sculptor in ea dupliciter erraſſet. Primò in nomine *Divi*, quod Hadriano præponi debebat, omittendo. Certè in omnibus Inſcriptionibus Antonini Pii, in quibus is dicitur filius Hadriani, præponitur nomen *Divi*, quod in præfata Inſcriptione èd minus prætermittendum videbatur, quod in eadem, Sabinæ Hadriani uxori illud tribuatur; nam Hadrianum conſecratum fuiſſe, ac inter Deos relatum, Numiſmata, & hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores indubitatum reddunt. Secundò in Tribunitia Potestate XXII. loco XXI. ſculpenda. Onuphrius lib. 2. faſtorum ait Epitaphium illud Sepulchro Hadriani fuiſſe appoſitum, ſed unde id accepit? Longè probabilius rejectum fuiſſe, aliudque loco ejus ſculptum, quod ad nos non pervenit. Gruterus ait Romæ in Burgo in domo Cardinalis Parisini præfatum Epitaphium legi, ac putari olim inſcriptum fuiſſe moli Hadriani Imperatoris, ſed vana conjectura. Denique idem Onuphrius loco *Trib. Pot. XXII.* ſcribit *Trib. Pot. XXI.* nullâ correctionis ſuæ, quod & ei familiare, mentione factâ. Quod ſi viris eruditis liceret, quilibet ſuo ſenſu Authores & Inſcriptiones corrumpere, nihilque certum in hiſtoria eſſet. Eandem Inſcriptionem cum Tribunitia Potestate XXI. inter ſuos nummos retulit Goltzius, non advertens Onuphrium eam mutilaſſe, neque ut extabat, retuliſſe.

Cùm itaque Sententia, quæ annos XXII. Hadriano Imperatori tribuit, tam infirma habeat fundamenta, neque ſuſtineri poſſit, niſi quis cum Scaligero Domitiani Imperatoris mortem in annum Chriſti 95. retrahat, aut Auguſtei Antonini Pii Imperii initium in annum 139. differat, quæ duo per ea tempora totam convellunt hiſtoriam,

IX.
Locus Spartiani à Caſaubono non intellexit.

prorsus est rejicienda, ac pro certo habendum, Hadrianum in secundo Consulatu Antonini tantum designato mortuum fuisse, & anno 117. Imperium auspicatum esse. Hoc si Casaubonus intellexisset, hæc Spartiani de Hadriano verba cap.26. ejus vitæ: *Natali suo ultimo, cum Antoninum commendaret*, (nempe Hadrianus) *præsertim sponte delapsa caput ei operuit*, non ita interpretatus fuisset, cum vota pro Antonino recens in filium adoptato nuncuparet; hæc enim explicatio nullo modo subsistere potest. Natus est Hadrianus die vigesima quarta Januarii, ac die decima Augusti Imperium suscepit; dies tamen Natalis Imperii ejus decimus quartus fuit, quod eodem excessu Trajani ei nunciatus fuisset, ut testis est Spartianus in Hadriano. Sed de quocumque Natali loquatur Casaubonus, perperam supponit aut Hadrianum in secundo Consulatu ordinario Antonini demortuum, aut hunc anno 137. fuisse adoptatum. Si enim de genuino, sequitur Hadrianum anno 137. Antoninum adoptasse, ac 138. die vicesima quarta Januarii vota pro illo nuncupasse. Si de secundo Natali loquitur, vota illa, die undecima Augusti anni 138. suscepta, ac Hadrianus anno sequenti vita functus; cum certum sit diem ejus emortualem decimum mensis Julii fuisse. Et videtur Casaubonus de Natali Imperii intelligendus, cum Antoninum recens adoptatum fuisse scribat. Hæc itaque vera horum verborum interpretatio. Hadrianus post Ælii Veri mortem, *diu anceps quid faceret Antoninum adoptavit*, ait Spartianus in Ælio Vero cap.6. cui Capitolinus in Antonino Pio cap.4. suffragatur dicens: *Ergo eum cum Hadrianus adoptare se velle publicasset, acceptum est spatium deliberandi utrum arrogari ab Hadriano vellet.* Antonini adoptio die vicesima quinta Februarii anni Christi 138. peracta. Quare cum Natale genuinum Hadrianus die vicesima quarta Januarii celebraret, Antoninum, quem jam adoptare destinarat, non verò quem jam adoptarat, ut perperam interpretatur Casaubonus, commendavit, ipseque decima Julii die ejusdem anni in fata concessit.

X. Denique idem secundus Antonini Consulatus designatus Carolum Patinum Numismatum doctrinâ valdè excultum decepisse videtur. Nummus Hadriani à Patino non intellexit. Affert hic in nummis Hadriani, tabulam, quæ Ægyptiorum ac Græcorum vota pro Imperatoribus fieri solita in Numismatis exhibet; inter quæ unum est, in quo Deo Providentia stans representatur cum his verbis ac litteris Græcis *πρωτοια* K. B. quæ sic vertit Patinus: *Providentia XXII*, annumque Hadriani vicissimum secundum significari dicit. At fallitur, licet enim litteris Græci numeros explicent, duzque

duæque illæ : quando interjecto puncto non dividuntur , vigintiduo significant : quando tamen illud intericitur , quod & in numeris , quibus utimur , etiam accidit , eæ non idem significatum habent. Quod & videre est apud Tristatum , ubi variis in nummis visuntur duæ litteræ Græcæ , quæ ob punctum interjectum eandem significationem non habent , ac si illud abesset. Eæ porro litteræ K.B. significare videntur nummum illum percussum esse anno secundo Hadriani Carthagine , vel in aliqua alia urbe , cujus nomen incipiat ab eadem Litera K. Et hæc satis de Consulibus designatis , qui in Nummis Latinis sæpè , in Græcis verò nunquam apparent.

CAPUT QUINTUM.

De suffectis Cesarum & Augustorum Consulibus.

Licet Augusti & Cæsares Consules ordinarii ut plurimum procederent , quodd id Consulatus genus nobilius esset , ac quidquid toto anno memoriâ dignum ageretur , eorum nominibus notaretur : Tamen aliquando etiam Consulatum suffectum gessere , ordinariisque subrogati sunt in aliquot reliqui anni menses. Neque enim minus illud dedignati sunt , quod Augustus anno urbis 711. Q. Pedio Collegâ Consulatum suffectum iniisset. Caligula ipso Imperii initio ; Nero verò anno , quo interfectus est , Consulatum suffectum gessere , ipseque Domitianus Cæsar , imperante Patre Vespasiano qui Titum sibi Collegam in suis Consulatibus semper adjunxit , toties Consul suffectus esse voluit , quoties Titus frater ordinarius processit , quæ omnia in Rationario Cæsareorum Consulum infra explicata habes. Ex aliis Imperatoribus quidam etiam alii ipso anno , quò Imperium iniere , Consules se in aliquot menses dixere , & proximis Kalendis Januariis Consules ordinarii processere. Tacitus historiarum libro primo refert Othonem Consulem se cum Titiano fratre in Kalendas Martias dixisse , & proximos menses Verginio destinasse , additque : *Ceteri Consulatus ex destinatione Neronis , aut Galba mansere.* Quibus verbis receptum tunc usum nos docet , de quo infra p. 2. cap. 1. n. 3.

Consulatus suffectus Neronis , qui inter gestos ab eo quintus ordine est , perperam ab Onuphrio , anno Christi sexagesimo septimo contignatus fuit , sub Consulatu nempe Fonteii Capitonis , & Julii Rufi : & ratio est , quia , ut docet Suetonius in

I.
*Consulatus
suffectus ab
Imp. ali-
quando as-
sumptus.*

II.
*Consulatus
suffectus Ne-
ronis expli-
catus.*

Nerone cap. 40. Nero è Græcia redux Neapoli in Campania motum Galliarum audivit, in quibus Vindex Imperium arripuerat. Quo nuntio ab eo accepto, die quo matrem occiderat, circiter nempe diem vicefimum primum Martii: *Urgentibus aliis super aliis nummis Romam prætrepidus rediit*, inquit idem Suetonius cap. 41. qui capite sequenti addit: *credens expeditionem necessariam, Consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus inivit Consulatum, quasi fatale esset non posse Gallias debellari nisi à Consule.* Quæ omnia non nisi anno Christi sexagesimo octavo contingere potuisse certissimum; nam cum Ziphilinus ex Dione scribat, Galbam, qui Vindicis hortatu in Hispaniis Imperium invaserat, regnasse menses novem, dies tredecim, constetque eum occisum die decima quinta Januarii anni Christi sexagesimi noni, liquet eundem die secunda, vel tertia mensis Aprilis ejusdem anni Christi 68. Imperatorem dictum fuisse, & mensem Martium, quo Nero Neapoli nuntium accepit de excitata in Gallis à Vindice seditione, (quæ causa fuit, ut Galba, *ubi supervenerunt Vindicis littera, non diu cunctatus*, ut ait idem Suetonius in Galba cap. 9. Imperium susceperit) alium non fuisse, quam qui anno 68. in cursu erat; si enim mense Martio anni elapsi è Græcia Nero rediisset, defectionemque Galliarum, & Hispaniarum tunc accepisset, Galba anno amplius integro ab Imperio capessendo abstinuisset, sicque vel Historici quæ tam longo spatio gesta fuissent, enarrassent, vel forte ipsa seditio dissipata fuisset.

III.
*Quo anno
 gestus fue-
 rit.*

Sed non nisi anno Christi sexagesimo octavo Consulatum hunc inivisse Neronem evincit nummus, qui apud Goltzium extat, in quo legitur: NERO CLAUD. CÆSAR AUG. GER. P. M. T. R. P. XIII. IMP. P. P. sumpsit Tribunitiam Potestatem XIV. Nero die 13. Octobris anni Christi sexagesimi septimi. Quare eo anno mense Octobri Consulatum illum quintum nondum inierat. Ultimum enim in nummis cum Tribunitiæ Potestatis currentis anno exprimi solitum fuisse certum. Sed quis sibi unquam persuadere poterit, Neronem anni sexagesimi septimi initio nuntium de excitata in Gallis à Vindice seditione, Hispaniarumque defectione accepisse, & non nisi post mensem Octobrem ejusdem anni expeditionem adversus eum parasse? Hanc enim suscepti Consulatus causam docet Suetonius. Nisi itaque proferantur nummi in quibus Tribunitia Potestas XIII. Neronis cum Consulata ejus quinto legatur, Onuphrii opinio, licet inter eruditos communis, non solum improbabilis, sed & incredibilis, mihi videbitur. Nec probabilior Baronii sententia, qui licet eundem Consulatum anno 68. consignet, cum tamen supponat

ponat Neronem anno præcedenti motum Galliarum audiviſſe, ac ſequenti expeditionem in eas deſtinariſſe, in eadem inconſuetudine delabitur. Ex quibus tandem omnibus ſequitur Neronem non niſi anno Chriſti ſexageſimo octavo è Græcia reducem eſſe, ideoque toto anno ſuperiori, Româ, Italiâque abſuiſſe, & Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum, non eo anno, ut Petavius in Chronico, Uſſerius in Annalibus veteris & novi Teſtamenti, & communiter viri eruditi exiſtimant, ſed anno Chriſti 65. ut Catalogus veterum Pontificum ab Henſchenio editus tradit martyrio Coronatos fuiſſe. Quod Conſulatus ſuffectus Neronis, niſi velle fallor, omnino demonſtrat.

Ex his intelligis quàm utilis ſit Conſulatum ſuffectorum ab Auguſtis geſtorum cognitio, eùm eorum ope graviffimæ aliquando difficultates ſuperentur: quos ideo è tenebris, quibus plerique circumfunduntur, educere operæ pretium eſt.

IV.
*Conſulatus
ſuffecti Ga-
lerii Maxi-
mini.*

Sic ex ſecundo Conſulatu ſuffecto Galerii Maximini, quem cum Galerio Maximiano VIII. anno 311. geſſiſſe docet Lactantius libro de moribus Perſecutorum cap. 35. eundem Maximinum anno 307. ſe ipſum Auguſtum nuncupaſſe detexi, quod Conſulatus is ejus Quinquennialibus additus videatur. Ex primo ejuſdem Maximini, Severo Collegâ, Conſulatu, cujus mentio apud Marianum Scotum anno 306. ubi de Conſtantii Chloriga morte loquitur, confirmari poteſt quod idem Lactantius contra communem omnium ſententiam ſcripſit, Dioecetianum & Maximinianum anno 305. abdiçaſſe; Caſares enim & Auguſti proximis poſt nuncupationem Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium inire ſolebant, qui cum anno 306. Conſtantio Chloriga & Galerio Maximiano novis Auguſtis debitus eſſet, non dubium quin Maximinus & Severus Conſules ſuffecti, anno quo illi ordinarii, proceſſerint, quinve idem Marianus ex aliquo optimo Authore illud hauſerit; licet in eo erret, quod eundem Conſulatum tanquam ordinarium obtrudat. Primi ſuffecti illius Maximini Conſulatus apud nullum alium Auctorem mentio: ſecundi apud Auctorem Chronici Alexandrini, licet non ſine errore his verbis: *Indict. XIII. Maximiano Herculio VIII. & Galerio Maximo.* Ea enim Indictio annum Chriſti 310. denotat. Præterea *Maximum*, loco *Maximini*, familiari Græcis Authoribus errore, eumque ſine numerali nota exhibet. Valeſius in Notis ad lib. 9. Eufebii cap. 11. oſtendere conatur eundem Maximinum ter ſe ipſum Conſulem ordinarium dixiſſe ſed poſt librum Lactantii de moribus perſecutorum in lucem emiſſum, hoc ejus opinamentum ruit, conſtatque

que non minus primum Maximini Consulatum, quàm secundum suffectum, tertiumque planè confectum esse.

V.
Conjectura
de Consulatu
suffecto
Constantini
ad.

Quinquennialiorum Regularum, de quibus infra, beneficiò, Consulatum suffectum à Constantino Magno anno 310. gestum, me è tenebris eruisse existimabam; erat enim is annus quintus Imperii ejus inchoatus, & per ea præsertim tempora Imperatores anno, quo Quinquennalia & id genus festa celebrabant, Consulatum capessere solebant, uti in Rationario Consulum Cæsareorum videre est. Quare hæc conjectura iisdem regulis, hisque fundamentis innixa. Primò *L. de Censu* data *XV. Kal. Febru.* relata in Codice Theodosiano subscriptos habet Consules Constantinum Augustum IV. & Licinium III. dataque est, ut docet Gothofredus in Chronologia ejusdem Codicis, anno 313. quo secundum communem loquendi modum Constantinus & Licinius tertium Consulatum gessere. Qua ex subscriptione inferebam, Consulatum suffectum Constantini, cujus communiter, sicuti & aliorum suffectorum ratio per ea tempora non habetur, hinc memorari. Verum quidem est eundem Gothofredum ibidem scribere, perperam huic legi adscriptum esse Constantinum Aug. IV. cum Licinio III. At ille de hoc Constantini Consulatu suffecto non cogitabat. Secundò Chronicon Alexandrinum Indict. XIV. Constantinum Augustum II. & Licinium, Consules proponit; quod tamen in eo peccare existimabam, ordinariorum loco eisdem exhibeat. In subsequenti ejusdem Constantini & Licinii Consulatus idem Chronicon Constantino unum amplius, quàm Licinio tribuit, ita ut anno 312. Consules proponat Constantinum III. & Licinium II. & sic deinceps eodem modo. Quod indicat, in probò aliquo scriptore ejusdem Chronici Authorem legisse Constantinum anno 311. Consulem fuisse. Tertio D. Augustinus *lib. contra Donatistas post collationem*, qui septimo ejus Operum tomo legitur, loquens de Judicio Melchiadis Pontificis Romani in causa Cæciliani anno 313. habiti, inquit: *Melchiades judicavit Constantino tertium, & Liciniano* (Licinius enim vocabatur Licinianus Licinius, ut videre est in Nummis) *iterum Consulibus, Nonis Octobris.* Ubi vides D. Augustinum Consulatum unum Constantino amplius, quàm Licinio tribuere. Consulatum enim à Licinio anno 311. gestum, quia à Kalendis Januariis, uti diximus, non initum, pro suffecto habet, ideoque non numerat. Neque ulla alia ratio assignari potest, cur anno 313. Licinium iterum tantum Consulem exhibeat. Quod si primum Licinii Consulatum non numeravit, multò minus secundum Constantini numerare debuit, cum is merè suffectus fuerit, prior vero Licinii Consulatus

ſulatus ordinarius communiter reputetur, quodd poſt diſiſionem Imperii anno 305. factam, alterutrius Conſulis nomen in altera Imperii parte anni initio ignoraretur; neque ideo Conſul Kalendis Januariis non publicatus, pro ſuffecto haberetur. Suſpicatur Baronius anno 313. num. 1. errorem iſtepiſſe in textum Auguſtini, cum Opatus lib. 1. & Zoſimus lib.2. tertium Conſulatum Licinii cum tertio Conſtantini connectant. Sed exiſtimabam textum illum purum eſſe, cum non ita facile à librariis in diſtionibus, qualis eſt *to iterum*, quàm in notis numeralibus peccetur. Sed poſtquam anno trecentefimo decimo tertio nullos Conſules ordinarios renunciatos fuiſſe in mentem venit, prætereaque Conſtantinum nullum Conſulatum ordinarium privatis collegis geſſiſſe, hanc conjecturam ſatis fundatam non eſſe arbitratus ſum. Quam tamen proponendam duxi, ut ea magis à viris doctis examinetur. Ex quibus tandem omnibus liquet Cæſarum & Auguſtorum Conſulatus ſuffectos ad nodos Chronologicos explicandos aliquando conferre, ideoque non negligendos eſſe.

C A P U T S E X T U M.

De Conſulatus ſuffectis Gallieni Junioris Cæſaris, & Aureliani adhuc privati.

Aurelianus, cujus tot præclara extabant facinora, à Valeriano Augusto, anno Chriſti ducentefimo quinquageſimo octavo in annum ſequentem Conſul designatus eſt in locum Gallieni & Valeriani, ut tradit Vopifcus in Aureliano, ubi capite undecimo, Valeriani ad Aurelianum Epistolam refert, in qua, ille dicit: *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem à die undecimo Kalendarum Iuniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te conveniſſe ſumptu publico.* Tum capite 13. ex libro Acholii, Actorum ejus nomine hæc habet idem Vopifcus: *Cum conſediſſet Valerianus Auguſtus in Thermis apud Byzantium, præſente exercitu, præſente etiam officio Palatino, aſſidentibus Memmio Fuſco Conſule ordinario, Babio Macro præſecto Prætorii &c. Valerianus Auguſtus dixit te Conſulem hodie deſigno, ſcripturus ad Senatum, ut tibi deponeret Scipionem, deponeret etiam faſces. Hæc enim Imperator non ſolet dare, ſed à Senatu, quando ſit Conſul, accipere.* Hæc verba: in locum Gallieni & Valeriani,

I.
Gallieni Junioris Cæſaris, & Valeriani Junioris Conſulatus ſuffectus hætenus ignotus.

F

Cimædium

Cimmerium chaos, ac nodus Gordius Casaubono, Salmasio, pluribusque viris doctissimis visa; unde eorum explicatio in Notis ad Vopiscum, aut ubi se offerebat occasio, ne quidem ab eis tentata. Ille verò, qui difficultatem non pertimere, cum ab ea se se expedire non possent, Consules ordinarios suo loco moverunt, & giganteo ausu, ut ita dicam, contra cœlum pugnarunt, ordinem temporum intervertentes. Hic lapis, in quo Eruditi offenderunt, labyrinthusque Cretico non absimilis, de quo cum virgilio lib. 5. *Æneidos*, versu 118. jure dixeris.

*Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cœcis iter, ancipitemque,
Mille viis habuisse dolum, quæ signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.*

*Autores
qui eundem
Consulatum
explicarunt.*

Filium Ariadneum, quò inde emergi possit, me subministratum spero, si prius laterculos Consulatum, qui Gallieno imperante, Fastis nomen dederunt, eorumque, qui à celeberrimis scriptoribus, hujus difficultatis occasione conficti sunt, proposuero. Quinque magni viri hunc nodum solvere suscepere Onuphrius Panvinus, Cæsar Baronius, Dionysius Petavius, Carolus le Cointe, & Henricus Norisius; reliqui Scriptores, vel horum vestigia secuti, vel dissimulatâ difficultate Consules per hæc tempora ordinarunt. Quia verò neque Onuphrius, neque Norisius Fastos, uti alii tres, perverterunt, quin contra rectè eos digesserunt, horum sententiam in vera Consulatum serie indicare sufficiet.

Vera Consulatum series

Anni Christi

253. *Vibius Volusianus Aug. II.*

M. Valerius Maximus.

254. *Valerianus Aug. II.*

Gallienus Aug.

255. *Valerianus Aug. III.*

Gallienus Aug. II.

*Gallienus;
junior Cæsar
dicitur.*

Hoc anno Gallienus Junior Gallieni Augusti filius, qui & Publicus Licinius Cornelius Saloninus Valerianus dictus reperitur, Cæsarea dignitate exornatus est, ut infra videbitur.

256. *M. Valerius Maximus.*

Acilius Glabrio.

257. *Valeria*

257. *Valerianus Aug. IV.*
Gallienus Aug. III.

His Consulibus Ulpius Crinitus & Aurelianus, qui postea Imperator fuit, in locum Valeriani & Gallieni Augg. subrogati sunt ex Onuphrii sententia, cui complures viri eruditi adhæsere, quæ mox tamen à nobis evertetur.

Sententia Onuphrii circa annum Consulatus suffecti Aureliani.

258. *Aurelius Memmius Fuscus.*
Pomponius Bassus.

His Consulibus Valerianus Augustus in Thermis apud Byzantium Aurelianus cum Ulpio Crinito in annum sequentem Consules designavit, suffectos nempe à die undecimo Kalendarum Juniarum, in locum Gallieni & Valeriani, Gallieni nempe Junioris Cæsaris, & Valeriani Gallieni Augusti fratris ejus patruum Consulum pariter suffectorum, quod hætenùs ignoratum, quodque ex sequentibus liquebit.

Hoc anno Aurelianus Consul designatur in sequentem.

259. *Fulvius Emilianus.*
Pomponius Bassus II.

Hoc anno Gallienus Junior Cæsar & Valerianus ejus patruus Emiliano & Basso suffecti sunt, his verò Crinitus, & Aurelianus, ut infra demonstrabitur. Est hic annus quintus Imperii Cæsaris Gallieni Junioris, qui ad decennialia celebranda eum Consulatum capessit.

Hoc anno Gallienus Junior Cæsar Consul suffectus fuit.

260. *Cornelius Secularis II.*
Julius Donatus.

Hoc anno ex Norisii sententia, capto Valeriano, septimo Imperii ejus anno, Gallienus alia collegia Consulum, quàm quæ à Patre Valeriano ordinata fuerant, pro arbitrio designavit, Consulatumque Aureliano, antequam illum iniret, abrogavit. Quæ opinio ex dicendis corruet.

Sententia Norisii circa annum Consulatus Aureliani.

- 261. *Gallienus Aug. IV.*
Petronius Volusianus.
- 262. *Gallienus Aug. V.*
Pompeius Faustinus.
- 263. *Nummius Cleonius Albinus.*
Maximus Dexter.
- 264. *Gallienus A. g. VI.*
Amulius Saturninus.
- 265. *Licinius Valerianus II.*
Lucillus Casomius Macer.
- 266. *Gallienus Aug. VII.*

Sabinillus.

267. Ovinus Paternus.

Arcefilaus.

268. Ovinus Paternus II.

Marinianus.

Hoc anno occiso Gallieno Claudius nono Kalendas Apriles Imperator acclamatur, ut testis est Pollio in Claudio cap.4.

II.

Prætor Con-
sulum ordi-
natio.

Hæc vera Consulium ordinariorum series, eorumdem verò Consulium læterculi tres sequentes depravati ac rejiciendi.

CONSULES Secundùm Baronium.	CONSULES Secundùm Petavium.	CONSULES Secundùm Carolū, lc Cointe.
256. Valerianus Aug. Maximus.	253. Volusianus II. Maximus.	255. Volusianus II. Maximus.
257. Valerianus Aug. II. Gallienus Aug.	254. Valerianus II. Gallienus.	256. Valerianus II. Gallienus.
258. Valerianus Aug. III. Gallienus Aug. II.	255. Valerianus III. Gallienus II.	257. Maximus Glabrio.
259. Maximus Glabrio.	256. Maximus Glabrio.	258. Valerianus II. Gallienus II.
260. Valerianus I V. Gallienus III.	257. Valerianus IV. Gallienus III.	259. Valerianus IV. Gallienus III.
261. Fuscus Bassus.	258. Memmius Fuscus Pomponius Bassus.	260. Æmilianus Bassus.
262. GALLIENUS IV. VALERIANUS CÆS.	259. GALLIENUS IV. VALERIANUS CÆS.	261. Secularis Donatus.
263. Gallienus V. Faustinus.	260. Æmilianus Bassus I I.	262. Fuscus Bassus.
264. Albinus Maximus.	261. Gallienus V. Volusianus.	263. GALLIEN. IV VALERIA. CÆS.
265. Gallienus VI. Saturninus.	262. Gallienus VI. Faustinus.	264. Gallienus V. Faustinus.
266. Valerianus I I. Lucillus.	263. Albinus Dexter.	265. Albinus Dexter.
267. Gallienus VII. Sabinillus.	264. Gallienus I V. Saturninus.	266. Gallienus VI. Saturninus.
268. Paternus Arcefilaus.	265. Valerian. Cæsar II. L. Cæsonius Macer.	267. Valerianus II. Lucillus.

seu de Consulibus Cesareis.

45

269. Paternus II. Marinianus.	266. Gallienus VIII. Sabinillus.	268. Gallienus VII. Sabinillus.
	267. Paternus Arcefilaus.	269. Paternus Arcefilaus.
	268. Paternus II. Macrianus.	270. Paternus I I. Macrianus.

Ex his tribus Scriptoribus, unus Petavius annos Christi cum Consulibus rectè connectit, quia Eram Christianam à Consulatu Caii Cæsaris & Æmilii Pauli, quemadmodum fieri debet, auspiciatus est: Baronius verò, & Carolus le Cointe, quia Annales suos malè inchoarunt, eandemque Eram biennio anteverterunt in præfatis laterculis modò tribus, modò duobus, modò anno uno à recta via deflectunt; unde magna in eorum Annalibus per hæc præsertim tempora perturbatio, quæ in Baronianis ad Dioclerianum, in Cointeis ad Constantinum usque propagatur. Baronius Gallieno Aug. IV. & Valeriano Cæsari, Petavius Gallieno Aug. IV. & eidem Valeriano, Carolus le Cointe Gallieno etiam IV. & Valeriano Cæsari Crinitum & Aurelianum suffectos fuisse scribunt: Quare præfata Vopiscici verba de Gallieno Imperatore & Valeriano ejus fratre: quem porperam jam tum Cæsarem fuisse supponunt; intelligunt, cum tamen is de Gallieno Juniori Cæsare, & Valeriano ejus patre loquatur: Quorum Consulatum, sicuti & Criniti ac Aureliani, qui utrique subrogati fuere, loco suo unde tandiù exularant, reposuimus, ejus rei nunc ratio assignanda, ne amplius idem Vopiscici locus Lectores in errorem inducat, & Consulatus suffectus tanquam ordinarius in Fastos intrudatur. Anno itaque Christi ducentesimo quinquagesimo octavo secundum rectam Chronologiam, sine qua in vanum hîc laboraretur, Valerianum Augustum in Oriente fuisse docent acta Martyrum, variaque Martyrologia, in quibus plures Martyres sub Gallieno in Occidente passi dicuntur, Valeriani nomine non expresso. Quod non accidit, quemadmodum Baronius anno ducentesimo sexagesimo primo: sub Consulari Memmii Fufei & Pomponii Bassi rectè observat, quod cessante Valeriano fuerint illi martyrio coronati, cum Gallienus, capto à Persis Patre, mox persecutionem cessare jufferit. Sed quia solus Gallienus, Valeriano in Oriente cum exercitu agente, in Occidente imperaret. Dum itaque Valerianus Augustus anno 258. Bytantii esset, in undecimum Kalendarum Juniarum anni sequentis diem, Crinitum & Aurelianum Consules suffectos, in locum Gallieni Cæsaris, Gallieni Imperatoris filii, ac Valeriani

eiusdem Gallieni Imperatoris fratris, Consulum pariter suffectorum, designavit.

IV.

*Valerianus
filius Valeriani,
& Valerianus aliter
filius Gallieni
inter se differ-
si.*

Hoc vel sola Valeriani, Gallieni, ac Salonini nominum explicatio ostendit, quorum ambiguitas gravissimos Scriptores decepit, utque eos in unum confunderet, efficit: Et nihilominus diversarum personatum nomina hæc sunt. Valerianus Junior filius erat Valeriani Augusti, ac Gallieni Imperatoris frater, aliâ tamen quàm is matre genitus, ut testis est Pollio ipse ejus vita. Dicitur in nummis tam apud Goltzium, quàm apud Occonem P. L. I. C. VALERIANUS CÆS. Valerianus verò Gallieni Imperatoris filius, modò Gallienus, modò Saloninus à Cornelia Salonina Augusta matre, modò Valerianus dicitur in nummis ejus apud Goltzium: P. LIC. COR. SAL. VALERIANUS N. C. PRINCEPS JUVENTUTIS, id est; *Publius Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Nobilissimus Cæsar, Princeps juventutis.* Ubi vides tam fratrem Gallieni, quàm ejus filium vocari Publium Licinium Valerianum, sed ejus filium tantum Saloninum appellari. Huic frater erat, qui etiam Saloninus Gallienus ac Quintus Julius Saloninus Gallienus in nummis apud Goltzium dicitur, de quo mentio apud Pollionem lib. de triginta Tyrannis capite 21. qui de consecratione Pisonis Romæ facta loquens ait in Senatu dictum fuisse: *Divinos honores Pisoni decerno, Patres conscripti. Gallienum & Valerianum & Saloninum Imperatores nostros esse confido.* In Augustorum consecratione de eorum successoribus mentionem fieri solitam, ex verbis in Aureliani Augusti consecratione dictis, & à Vopisco in ejus vita cap. 41. relatis colligo: ibi enim dicitur: *Decerno igitur divinos honores: id quod vos omnes existimo esse facturos, nam de Imperatore deligendo ad eundem exercitum censeo esse referendum.* Quare qui in Pisonis, unius ex triginta Tyrannis consecrationis decreto nominantur Principes, non alii sunt, quàm quibus parère Romani decreverant, Gallienus scilicet Augustus, Valerianus ejus filius, qui & Gallienus Junior dictus, & Saloninus hujus frater uterque Cæsar. Nam Valerianus Gallieni frater nondum Cæsar erat, quando paulo post Valerianum in servitutem abductum, Piso summæ virtutis vir, qui Imperium sumpserat, interfectus est.

*Vo
Tres Valeriani, ac tres
Gallieni.*

Sed ad omnem ambiguitatem magis vitandam, observandum tres fuisse Valerianos, ac tres etiam Gallienos, nempe Valerianum Augustum, Valerianum Juniorem hujus filium, qui frater erat Gallieni Imperatoris, ac Valerianum Saloninum ejusdem Gallieni Imperatoris filium. Tres pariter Gallieni fuere, Gallienus Augustus Valeriani Augusti filius, Gallienus Junior, & Gallienus minor ejusdem Gallieni

Gallieni Augusti filii, qui & uterque Saloninus dictus. Quare errat Spanhemius, qui dissertatione sextâ de præstantia & usu numismatum tres quidem Valerianos rectè distinguit, sed duos tantùm Gallienos Patrem & filium natu minorem perperam numerat, cùm uterque Gallieni Imperatoris filius & Gallienus & Saloninus diceretur. Et quidem de minori Gallieni filio quin Gallienus dictus sit, difficultas esse non potest, cùm ita in nummis apud Goltzium dicatur. Sed nec de Gallieno Juniori ejus fratre negari potest; ita enim eum vocat Pollio in Valeriani, Gallieni Augusti fratris vita: *Saloninus filius etiam Gallieni, qui & Gallienus dictus est.* Imo Gallieni Augusti, & hujus Gallieni Salonini vita ab eodem Pollione inscribitur: *libellus Pollionis Gallieni duo.* Tum in Salonino Gallieno ait: *multi eum Gallienum, multi Saloninum in historiis prodiderunt: qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum ferunt, & avi Gallieni.* Gallieni etiam nomine eum indigitat Zonaras in Annalibus, & quod rem planè evincit, ipse Valerianus Augustus in Epistola quam Antonino Gallo Consuli scribit, à Vopisco in Aureliano cap. 8. relata, non alio eum nomine vocat: *culpam me familiaribus Listeris, quod Postumio filium meum Gallienum, magis quàm Aureliano commiserim: cùm utique & severiori & puer credendus fuerit & exercitus.* Casaubonus verba hæc de Gallieno Augusto interpretatur, sed parùm eruditè; hic enim qui anno quinquagesimo ætatis, ut Aurelius in Epitome docet, periit, natus erat annos circiter triginta quinque, quando Imperium inivit, ideoque nullo modo dici puer poterat, sicuti Gallienus & Saloninus, qui tam à Pollione, quàm à Vopisco puer vocatur. Ille siquidem in libro de triginta Tyrânis cap. 3. de Postumio loquens confirmat quæ Vopiscus habet, Saloninum nempe Postumii curæ commissum fuisse: *hic vir in bello fortissimus (nempe Postumius) in pace constantissimus, in omni vita gravis, usque adeo ut Saloninum filium eidem Gallienus in Gallia positum crederet, quasi Custodi vitæ, & morum, & actuum Imperialium institutori.* Quando itaque Valerianus Augustus apud Vopiscum in Aureliano cap. 11. ait: *Consulatum eum eodem Ulpio Crinito in locum Gallieni & Valeriani sperare te convenit.* Manifestum est hoc in loco Gallieni nomine non aliùm quàm Saloninum intelligi, qui non tantùm à Pollione, sed & ab ipso Valeriano Augusto Gallienus, ut jam diximus, appellatus fuit.

Gallienus itaque Junior à Valeriano avo, & Gallieno patre Cæsar dictus est, ut uterque Victor nos docet; idque anno Christi ducentesimo quinquagesimo quinto. Lib. enim 2. Codicis Justiniani est, *4. de transactionibus l. 11.* dicitur *PP. XV. Kalend. Decem. Valeriano*

VI.
Imperium
& mors
Gallieni Junioris.

& Gallieno A.A. utrisque II. Coss. inscribitur verò : Imp. PP. Valerianus, Gallienus A.A. & Valerianus nobilis Caesar Caiano militi. Is Valeriani & Gallieni Consulatus cadit in præfatum annum Christi 255. Verum quidem est Valerianum dici tertium Consulem cum Gallieno II. sed plerumque Consulatus suffecti, qualis primus fuit Valeriani Augusti, per hæc tempora præmittuntur. Ante hoc tempus nulla in Codice Justiniano Valeriani Cæsaris mentio; quod facit, ut credam eum hoc anno dictum esse Cæsarem, quamvis & anno præcedenti ea nuncupatio fieri potuerit, cum Consulatus suffectus, ab eo, anno 259. gestus, ejusque Quinquennialibus destinatus, demonstret eum alterutro anno eam dignitatem obtinuisse, annoque quinto, vel ineunte, vel exactò, Quinquennalia edidisse. Nec mirum quod in ejusdem legis, aliarumque, quæ sequentibus annis in eodem Codice leguntur, titulo, dicatur Valerianus; cum, uti ostendimus, modò Valerianus, modò Saloninus, modò Gallienus nuncupatus reperiatur. Galliis imperavit ad annum usque ducentesimum sexagesimum primum, quo à Postumio, qui in nummis Postumus dicitur, interfectus est; Pollio enim in duobus Gallienis sub Gallieni & Volusiani Consulatu, qui in eum annum incidit, refert, Gallos Postumium ad Imperium vocasse, quare quod Aurelius Victor in Epitome scribit: *Gallienus in locum Cornelii filii sui (id est Gallieni Cæsaris) alterum filium subrogavit*, non nisi eodem anno 261. fieri potuit. Corruptus est autem Pollionis locus in Salonino Gallieno cap. primo, ubi de eo ait: *transfisse decennium Imperium Gallieni satis clarum est: quod idcirco addidi, quia multi eum Imperii sui primo anno perisse dixerunt*. Cum enim ex dictis anno Christi 261. à Postumio interfectus fuerit, manifestum sit legendum esse *sexennium*, aut fortè *septennium* loco decennii. Corrigendus & obiter alius ejusdem Pollionis error. Is in duobus Gallienis cap. 4. & in libro de triginta Tyrannis cap. 3. ait, per annos septem Postumium in Galliis imperasse; cum tamen Tristanus tomo tertio pag. 162. nummum ejusdem Postumii referat, in quo legitur: P. M. TR. P. VIII. COS. III. PP. Quare nonum Imperii annum attigit, imò & decimum. Extat enim ibidem nummus alter, in quo cernitur Victoria stans, pede dextro globum calcans, & in uno ex genibus clypeum tenens, in quo scriptum: VOT. XX. id est, *vota vicennalia*. Decimum itaque Imperii annum inchoavit, rectèque ab Eutropio lib. 9. ac Orofio lib. 7. cap. 22. scriptum, eundem per annos decem imperasse. Quæ annotare placet, ut pateat quantum à minoribus Historiæ Augustæ Scriptoribus in Chronologia peccatum fuerit, hancque Nummographià destitutam imperfectam esse.

Gallienum

ſeu de Conſulibus Caſareis.

Gallienum Juniorem inter divos à patre relatum fuiſſe, patet ex nummis in quibus legitur: DIVO VALERIANO CÆS. vel DIVO CÆS. VALERIANO. Quod ſi ante mortem ab eodem Gallieno patre Auguſtus nuncupatus fuiſſet, titulus hic in nummis poſt Apotheoſim percuffis non prætermitteretur. Quare non niſi ſubditorum, populorumque amore aut adulatione, Auguſti nomen ei attributum videtur. Extat enim nummus Græcus apud Occonem, in quo Gallienus Junior Auguſtus dicitur. Verum quidem eſt Auctorem hunc ad Valerianum ejus patruum illum referre, ſed perperam, ut reſtè Spanhemius diſſertat. 6. de præſtantia & uſu Numiſmat. & Inſcriptio manifeſtè arguit: ΠΥ. ΛΙΚ. ΣΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΥ, ΣΕΒ. id eſt, *Publius Licinius Saloninus Valerianus Auguſtus*. Immo magna mihi ſuſpicio eſt Inſcriptionem, quam Petrus Joſfredus vir clariffimus, à quo Alpium Maritimarum hiftoriam jam habemus, niſi ſereniſſimo Sabaudiz Duci totus addiſtus eſſet, mecum communicavit, de eodem Gallieno Juniori intelligendam eſſe.

VII.
An Gallienus Junior fuerit Auguſtus.

CORNELIÆ SALO
NINÆ
SANCTISSIM. AUG.
CONJUG. GALLIENI
JUNIORIS. AUG. N.
ORDO CEMENEL-
CUR. ANT. AURELIO
JANUARIO. V. E.

Extat ea in territorio Nicienſi, à duobus viris harum rerum peritis, ejuſdem viri clariffimi beneficiò deſcripta; cùm enim in ejus hiftoria Nicienſi non videretur pura, eundem rogavi, ut eo proſus, quo extaret modo, exarandam curaret, quod & pro ſua erga me benevolentia præſtitit. In ea Gallieni Junioris nomine, Gallienus pater non videtur intelligendus; is enim in nulla Inſcriptione dicitur *Junior*; neque nomen hoc diſtinctivum alii quàm minori natu tribui ſolet: alioquin Gallienus Pater, & Gallienus filius eâ notâ potius confuſi quam diſtincti fuiſſent. Sed illud epithetum filio, non patri tributum fuiſſe, docent hæc Pollionis verba de Salonino Gallieno: *fuit hætenus ſtatua in pede montis Romulei, hoc eſt, ante Sacram viam, intra templum Fauſtina adveſta ad arcum Fabianum, qua haberet in-*
G *ſcriptum*

Scriptum. GALLIENO JUNIORI, SALONINO *additum.* Verum est in libris editis legi MINORI; sed præter quam quod Gruterus in Notis, dicit Manuscripta, quæ in Bibliotheca Palatina vidit, habere *Juniori*, ipseque idem vocabulum in textu reposuit, inter utrumque in sensu de quo agitur, non videtur esse differentia. Non levis tamen difficultas, quomodo Gallieni Junioris uxor Cornelia Salonina vocari potuerit, cum Gallieni Augusti Coniux, ipsius Gallieni Junioris mater, eodem nomine appellaretur, ut videre est in nummis apud Goltzium & Occonem. Ad quam respondendum existimo uxorem Gallieni Junioris à marito nomen illud mutuatum esse, sicut videmus Faustam Constantini Magni uxorem mariti nomine flaviam dictam fuisse, ut legitur in nummis. Corneliæ enim nomen etiam ipsa Gallieni Augusti uxor usurparat; cum, ut Tristanus ostendit, græca ea fuerit, & in Nummo græco, quem profert, CHRYSOGONES cognominetur: imò Valeriani Junioris Gallieni Augusti fratris uxor in nummo apud eundem Tristanum dicitur CORNELIA SUPERA. Aded verum est Corneliæ nomen, Gallienorum & Valeriani uxoribus familiare fuisse. Gallienum tamen Cæsarem Juniorem nullos genuisse liberos certum videtur, cum Numismata eum valde juvenem exhibeant, nullibique de iis mentio. Sed hanc epigraphem Eruditis magis discutiendam relinquo.

VIII. Nec quis porro dicat Valerianum Cæsarem, de quo in laudatâ lege Codicis Justiniani, aliisque nomen illud præferentibus, Gallieni Junioris patrum esse, non verò ipsummet Gallienum Juniorem; nam idem Valerianus Junior ante Valeriani Augusti captivitatem, Cæsaream dignitatem non obtinuit, quod manifestè deducitur ex litteris à Valero Cadusiorum Rege ad Saporem Persarum Regem scriptis, & à Pollione in Valeriano cap. 5. relatis. Ille ut ad reddendum Valerianum inducat, ita ad eum scribit: *Age ut prudentem decet: nec fortuna te inflet, quæ multos decepit. Valerianus & Filium Imperatorem habet, & nepotem Cæsarem. Et quid? habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus insurget.* In Epistola verò ad eundem Saporem ab Artabalde Armeniorum Rege missâ, ibidemque cap. 6. relata idem Rex ait: *Valerianum & filius reperiet & nepos, & duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hispania, & omnis Italia, & omnes gentes, quæ sunt in Illyrico, atque in Oriente & in Ponto.* Quid clarius? omisissetne uterque Rex Valerianum Juniorem, si tum Cæsar, sicuti nepos fuisset? Ex quibus etiam certum redditur quod supra Num. 6. diximus Quintum Julium Gallienum, alterum Gallieni Augusti filium, qui Cæsar in Nummis apud

Valerianus
Junior ante
patris capti-
vitasem Cæ-
sar non fuit.

apud Goltzium dicitur, ante annum Christi 261. eam dignitatem non obtinuisse; cum capto Valeriano Augusto, ex ejus nepotibus unus tantum Cæsar esset. Verum quidem est eundem Pollionem in Valeriano Juniori de eo scribere: *a patre absente Cæsar est appellatus, à fratre, ut Celestinus dicit, Augustus.* Sed præfatis Epistolis major fides habenda; nam eundem Pollionem de ejusdem Valeriani Junioris rebus parum edoctum fuisse, ipsemet in duobus Gallienis cap. 14. ostendit, ubi de ejusdem Valeriani morte loquens ait: *quem multi Augustum, multi Cæsarem, multi neutrum fuisse dicunt: quod verisimile non est. Siquidem capto jam Valeriano, scriptum invenimus in Fastis VALERIANO IMPERATORE CONSULE. Quis igitur alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater? Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate, vel ut ceperunt alii loqui de majestate.* Quibus verbis satis significat se ea etiam de Valeriano Juniore ignorasse, quæ certissima sunt; quod nempe Cæsar & Augustus fuerit; qua de re nummi nos dubitare non sinunt. Neutiquam igitur ille audiendus, quando scribit Valerianum Junio-rem à Valeriano Augusto Patre Cæsarem appellatum esse.

Difficile tamen, quò postea annò, Cæsar & Augustus Valerianus Junior dictus sit, invenire. Inscriptio, quam refert Onuphrius lib. 2. Fastorum pag. 255. quæque in Antiquo Arcu Veronæ etiam hodie visitur, dedicata pridie nonas Decembris, in qua secundus ejus Consulatus exprimitur, nullâ Cæsareæ dignitatis mentione factâ, videtur significare Kalendis Januariis anni 265. quò Consul ordinarius processit, nondum illum fuisse Cæsarem. Is enim titulus in folenni Inscriptione, non videtur prætermisus.

FX.
Quo anno
Valerianus
Junior Cæsar
ac Augustus
dictus sit.

COLONIA. AUGUSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA.
VALERIANO II. ET LUCILLO. CONS.

MURI. VERONENSIVM FABRIC. EX DIE. NON. APRILIUM
DEDICATI. PR. NON. DECEMBR. JUBENTE. SANCTISSIMO.
GALLIENO. AUG.

N. INSISTENTE. AUR. MARCELLINO. V. P. DUC. DUC.
CURANTE.

JUL. MARCELLINO.

Mos erat ut, in Consulibus exprimentis non alii iisdem attribuerentur tituli, quàm qui ipsis initio dignitatis compete-
bant; quo ex principio capite 3. N. XIII. ostendimus Alium Verum initio annò

136. quò Consul ordinarius processit, nondum Cæsarem fuisse. Et rectè id quidem; cùm ipsemet Consulem se, non verò Cæsarem in subscriptione dicat: Sed Sculptorum imperitia hoc probationis genus nobis eripuit: non semel enim accidit, ut in Consulibus ordinariis memorandis, Cæsaris, simileve titulos taceant. Patet hoc in Inscriptione ab Onuphrio lib. 2. Fastorum pag. 254. relatâ, in qua legitur:

DEDIC. ID
APR. IMP
CÆS. ANT
PIO IIII. ET
M. AUR. ALE
XANDRO
COS

Facta ea dedicatio Idibus Aprilis anni Christi 222. quo Heliogabalus Aug. IV. & Alexander Severus, Cæsar Consules ordinarii fuerunt; is enim jam ab anno præcedenti Cæsar erat, eoque anno pridie nonas Martias eidem Heliogabalo occiso in Imperio successerat. Non mirum tamen quod in præfata Inscriptione non dicatur Augustus, licet quando ea posita est, eam jam dignitatem obtineret, quia quæ post Consulatum adeptum acquirebantur, in actis publicis memorari non solebant, sed non nisi Sculptoris errore factum, ut in ea Cæsar non dicatur; quemadmodum rectè in aliis Inscriptionibus, in quibus ejus Consulatus exprimitur. Infirmitas itaque argumentum, quod ex sola Inscriptione Veronensi deduceretur ad probandum Valerianum Juniorem ante annum 265. Cæsarem non fuisse; eoque magis, quò Pollio loco laudato dicat, scriptum invenisse in Fastis. VALERIANO IMPERATORE CONSULE, ubi pariter incertum an Imperatoris nomen eidem tribuatur ob Cæsaream, vel ob Augusteam dignitatem, cùm post Marcum Aurelium, pluresque Augustos simul imperantes, Imperatoris nomen tam Cæsaribus, quam Augustis datum sit, licet antea Collegis quidem Imperii, Cæsaribus verò minimè tribueretur. Patet id in hac Inscriptione, quæ apud Goltzium extat: IMP. Q. JULIO FILIO GALLIENI AUG. & SALONINÆ AUG. ubi vides Julium Saloninum Imperatorem vocari. Sic Alexander Severus in nummis Græcis dicitur Imperator ante adeptum Imperiû. ΑΤΤ. Κ.Μ. ΑΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. id est, Impera-

tor Cæsar Marcus Aurelius Alexander. Sic Volusianus, Galli filius qui prius Cæsar, quàm Augustus fuit, *Imperator Cæsar* in nummis dicitur: neque de hoc quæstio esse deberet, nisi à viris doctis titulum Imperatoris Cæsaribus denegatum fuisse quotidie in literas mitteretur. Nihil itaque certi de tempore, quò Valerianus Junior & Cæsar & Augustus dictus est. Augusti tamen titulum tardiùs ei attributum videtur sicuti & Cæsaris, neutrumque anno, quo Consul processit adhuc obtinuisse. In Codice enim Justiniano lib. 9. tit. 16. L. 4. ad *Legem Corneliam de Sicariis* dicitur *PP. XIII. Kalend. Feb. Valerio & Lucillo Coss.* ubi loco *Valerio*, legendum *Valeriano*, qui cum in ea subscriptione neque Cæsar, neque Augustus dicatur, apparet eundem titulum nondum tunc assecutum fuisse. At uno vel altero decoratum fuisse existimo anno 277. quò Gallienum Augustum Quindecennalia celebrasse eo anno in Rationario fastorum dicitur. Nuncupationes enim eas in hujusmodi festivitatis fieri solitas fuisse infra ostendimus. Cum igitur in nummo apud Goltzium titulus Augusti, & Tribunitia potestas sine numerali nota Valeriano Juniori detur, liquet non diù illum ea dignitate potitum, quamvis quod revera eam obtinuerit, & nummus apud Tristanum, in quo Cornelia Supera ejus uxor, Augusta dicitur, & duo alii similes, qui in Bibliotheca Cæsarea extant, ac denique hæc Epigraphe, ab eodem Goltzio relata, demonstrent. **IMP. C. P. LIC. VALERIANUS P. F. AUG. P. T. R. P. C. O. S. II.** His positis manifestissimè patet Valerianum eum, de quo loquitur Vopiscus in loco controverso, non esse Valerianum Juniorem Valeriani Augusti filium, cum constet ante ejusdem Valeriani Augusti captivitatem, Gallienum Juniorem, Cæsarem fuisse, in Galliis sub Postumii cura imperasse, & non minùs Gallienum Juniorem, quàm Valerianum & Saloninum appellatum esse: Valerianum verò Juniorem, neque Cæsarem fuisse, neque in aliqua Imperii parte administrationem aliquam obtinuisse. Quare retineant Fasti Consules suos ordinarios, Consulatus Gallieni, & Valeriani, de quo Vopiscus, pro suffecto, sicuti revera fuit, in posterum habeatur, annoque Christi 259. consignetur. Neque Fasti amplius sollicitentur, cum nihil adduci possit, quod ostendat per Gallieni Imperii tempora aliter eos ordinari debuisse, & quicumque eosdem reformare tentarint, totam seriem temporum perverterint, seseque in inextricabilem labyrinthum induxerint, quod demonstrandum restat. Illud enim magis ostendet Pollionis mentem nos assecutos fuisse.

Existimavit Onuphrius libro secundo Fastorum pag. 263. Gallie-

X.
*Confutatur
 opinio Onu-
 phrii circa
 locum Vopif-
 ci.*

num & Valerianum, de quibus Vopiscus, alios non esse, quàm Gallienum & Valerianum Augustos; huncque locutum fuisse de tertio Consulatu ordinario Gallieni filii sui; de suo verò quarto, anno 257. ab utroque gesto; ideoque Crinitum & Aurelianum in eum annum Consules designasse eosque sibi ac filio subrogasse. Sed præterquam quod ipsa Vopisci verba Valerianum Augustum de se ipso locutum non fuisse apertè indicant, quomodo is anno 256. designationem eam coram Memmio Fusco Consule ordinario, quod docet idem Vopiscus, facere potuit, cum idem Memmius non nisi anno Christi 258. Consul ordinarius fuerit? Deinde cur Valerianus Gallienum primo loco nominaret, qui non nisi secundò Consul esse poterat? Onuphrii itaque explicatio, licet multis viris doctis probata, penitus rejicienda, utpote quæ vim verbis Vopisci inferat.

XI.
*Confutatur
 opinio Baro-
 nii circa eun-
 dem locum.*

Vidit difficultates has Baronius, & quàm infirma Onuphrii solutio esset; quare aliam viam iniiit, certòque sibi persuasit, Valerianum Augustum, dum Byzantii esset anno Christi 258. qui ipsi est 261. Crinitum & Aurelianum in locum Gallieni Augusti IV. & Valeriani hujus fratris in annum sequentem Consules designasse, ita ut Gallienus Aug. IV. & Valerianus ejus frater Consules ordinarii fuerint, & in omnes Fastos error irrepserit, dum in his Volusianus jungitur cum Gallieno IV. Et Valeriani Gallieni Imperatoris fratris loco, Volusiani nomen legitur; qui Valerianus, inquit Baronius, Volusianus etiam potuit cognominari. Sed hâc ratione tantùm abest, ut difficultatem sustulerit, ut contrà Fastos Consulares prorsus perverterit: Memmium enim Fuscum, & Pomponium Bassum, qui non nisi ante Fulvium Æmilianum, ac Pomponium Bassum, prætereaque ante Cornelium secularem, & Julium Donatum Consulatum gessere, ut Vopiscum ad sensum suum traheret, immediate ante Gallienum IV. & Valerianum ejus fratrem Consules collocavit. Nec hîc errorum finis. Consulatus dein ordinarios, tam Emiliani & Bassi, quàm Secularis & Donati tanquam falsò appositos & adscititios rejecit. Itaque verum quidem est, Valerianum Gallieni Augusti fratrem Consulem fuisse anno post Consulatum Memmii Fusci & Pomponii Bassi, sed falsum eum Consulem fuisse ordinarium, sicuti & Gallieni Augusti Collegam. Consulatum enim tantùm susceptum gessit cum Gallieno Juniori, qui ideo primo loco nominatur, quia Cæsar erat, & in Galliis imperabat; præterea Valerianus is alius prorsus est à Volusiano, qui cum Gallieno IV. Consul ordinarius processit. Nam, ut optimè observat Norisius dissert. de votis decenalibus

nalibus cap. 5. Valerianus cognomen erat Licinæ familiæ, ut tam ex nummis Valeriani Senioris, quàm Gallieni Augusti, ac ipsiusmet Valeriani Junioris patet. At Volusianus fuit ex familia Petronia, & imperante Gallieno bis præfectus urbi fuit, ut ex Indiculo præfectorum urbis à Cuspiniano publicato intelligitur. Deinde, ut idem Norisius ibidem probat, Æmilianus & Bassus Consules ordinarii fuere, quemadmodum in omnibus antiquis tabulis Victorii Aquitani, Prosperi, Idacii, Fragmenti Consularis apud Bucherium, in Chronico Alexandrino, & præfato Indiculo præfectorum Urbis legitur. Contra verò Gallieni IV. & Valeriani Cæsaris Consulatus non solum in nullis Fastis comparer, sed Pollio in Gallieno cap. primo Gallienum cum Volusiano conjungit, ait enim: *Gallieno igitur & Volusiano Coss.* Denique tot extant Rescripta in Codice Justiniano, tum *Æmiliano & Basso Coss.* Tum etiam Seculari II. & Donato Coss. data, ut iis recensendis tempus tereretur. Videri tamen possunt citata à Norisio, loco præfato. Profecto pro principio Chronologico haberi debet Consules omnes, quibus vel Justiniani, vel Theodosiani Codicum, leges subscribuntur, ordinarios esse, non verò suffectos, contra quòd Baronium peccasse, ideo minus mirum videri debet, quod ipsemet Onuphrius, cui tantum Fasti Consulares debent, ad eundem lapidem offenderit, Consulatumque Probi Imperatoris & Paulini, qui libro 8. Codicis Justiniani *Titulo 56. de revocandis donationibus l. 2.* legitur, expunxit.

Petavius tot egregiis operibus in lucem editis clarus, existimans ratiocinio Baronii obsisti non posse, aliam quidem viam ab eo iniiit, sed tamen non minus offendit: Gallienum enim IV. & Valerianum Cæsarem, Valeriani Augusti filium, Consules ordinarios anno 259. obtrusit, iisque Crinitum & Aurelianum subrogatos docuit. Tum anno 261. Gallienum V. & Volusianos Consules ordinarios edidit; sicque octo Gallieno Augusto contra omnium Fastorum, Numismatum, & Codicis Justiniani fidem, Consulatus assignavit. De fastis liquet eos Gallieno septem tantum Consulatus tribuere, de Codicis Justiniani Rescriptis ostendit idem Norisius. Extat enim *Lex 3. de ordine Iudiciorum*, quæ dicitur, *PP. Gallieno Aug. V. & Faustino Coss.* Rursus in eodem Codice laudatur *lex 7. de probationibus PP. Gallieno VII. & Sabinillo Coss.* At Petavius, qui octo Consulatus Gallieno perperam attribuit, scribit Gallienum VI. & Faustinum, & rursus Gallienum VIII. & Sabinillum, loco *Gallieni V. & VII.* adversatur & nummis eadem sententia; apud Goltzium enim unus inscriptus est *T R. P. XIII. COS. VII. & alter: T R. P. XV. COS.*

XII.
*Consulatur
 opinio Pe-
 tavii circa
 eundem lo-
 cum.*

COS. VIII. Si enim anno Imperii decimo quinto, quem Tribunitia Potestas XV. exhibet, Consul tantum VII. Gallienus dicebatur, constat profectò octavum ejus Consulatum commentitium esse, & non nisi ad hanc difficultatem superandam excogitatum. Quia verò idem Petavius unum Consulatum intrusit, Gallieni nempe IV. & Valeriani Cæsaris, cogitur alium è Fastis expungere, placuitque inter alios Consulatum Secularis & Donati rejicere, licet, uti diximus, in variis Codicis Justiniani Rescriptis legatur. Ac denique Æmiliani & Bassi Consulatum, qui cum anno Christi 259. connecti debet, in annum sequentem differre; sicque seriem temporum pervertere.

XIII.
*Consulatur
 opinio Cointii
 circa eundem
 locum.*

Carolus Cointius doctissimus Annalium Ecclesiasticorum Francorum Conditor, difficultatem hanc in Tomi primi Chronologico apparatu, fusiùs reliquis pertractavit, existimavitque eam solvi posse, si rectè statuatur sextus Valeriani Augusti annus, quo Romanis contra Persas infeliciter dimicantibus is in captivitatem abductus est. Addit difficultatem in eo tantum sitam esse an primus Valeriani Augusti annus numerari debeat ab anno Christi 255. quò cum purpuram sumpsisse arbitratur, vel ab anno 257. quò Gallum & Voluianum periisse dicit; ac dein subjungit: *Sperabamus controversiam sublatam iri nominatis Consulibus, qui sexto Valeriani Imperatoris anno à Pollione consignantur, sed tantum abest, ut id Fasti Consulares præstent, quin potius rem magis intricatam reddunt, cum necessario vel Fusci Consulatus, vel quartus Gallieni removendus sit è loco suo, ut alter alterum excipiat juxta mentem Vopisci, cujus auctoritas ipsis Valeriani literis suffulta in hac causa ceteris anteponi debet.* Postea pluribus probat adhærendum esse sententiæ, quæ bellum Persicum in annum Christi 263. sextumque Valeriani rejicit; ideoque Fusci Consulatum, quem anno Christi 260, in Fastis adscribi dicit, anno 262. reponendum esse, concluditque his verbis: *Nullum Chronologia detrimentum fiet, si tria Consulatum paria, qua tertium Gallieni Consulatum, sive annum Christi 259. subsequuntur, hoc ordine collocentur, ut Æmilianus & Bassus anno Christi 260. Secularis iterum & Donatus anno 261. Bassus iterum & Fuscus anno 262. respondeant.* Jactis fundamentis adedò ruinosis, molem superstructam corruiere necesse est. Supponit Cointius Baronium rem acu, ut aiunt, tetigisse, quando scripsit Gallienum & Valerianum, quibus Crinitus & Aurelianus subrogati fuere, alios non esse quàm Gallienum Augustum, & Valerianum ejus fratrem, licet Gallieni & Valeriani Consulatus, de quo Vopiscus loquitur, suffectus tantum sit. Præterea Consulatum controversum pendere ab anno sexto Valeriani Augusti; aliquos Consules à

les à Pollione, ſexto Valeriani anno, conſignatos fuiſſe; ejuſdem Valeriani Auguſti Imperium numerari poſſe vel ab anno Chriſti 255. vel ab anno 257. ac denique bellum Perſicum in annum 263. rejciendum eſſe, quæ omnia à veritate aliena non niſi cum in errorem inducere potuere. Jam demonſtravimus Gallienum & Valerianum à Vopiſco memoratos alios non eſſe, quàm Gallienum Junio-rem Caſarem & Valerianum ejus Patruum, cumque Conſulatum ſuſ-ſectum tantùm fuiſſe, quo ſolo Cointij opinio penitèſ evertitur. Sed quam connexionem cum ſexto Valeriani Auguſti anno Conſulatus controverſus habet? nonne tota difficultas pendet ab anno, quo Valerianus Auguſtus Crinitum & Aurelianum Conſules designavit, & à cognitione Gallieni & Valeriani, an nempe hi duo Auguſti eſ-ſent, an Conſules ordinarii, vel ſuſſecti? Nam ſive anno eam deſig- nationem ſequenti, ſive biennio poſt, Valerianus captus ſit, hoc ni- hil prorsus ad rem, cum tam eo capto, quàm adhuc imperante, Cri- nitus & Aurelianus Conſulatum inire potuerint. Denique nullos Con- ſules cum anno Aureliani Auguſti ſexto, Pollio conjungit. Unde quæcumque à Cointio ſupponuntur, nihil ad difficultatem faciunt.

Quod ſi ea pendeat ab anno adepti à Valeriano Auguſto Imperii, ut ſibi perperam vir doctiſſimus perſuaſit, profectò malè hunc aſſecu- rus eſt. Nam Valerianum anno 253. circa menſem Junium purpu- ram ſumpſiſſe, eodemque Gallum & Voluſianum interfectos fuiſſe, pro comperto eſſe debet; licet Petavius & Labbeus in Chronicis, aliique viri Erudiſſimi non niſi anno ſequenti Imperium ejus auſ- picentur. Certa enim per hæc tempora reſtituendæ Chronologiæ via, mors ejuſdem Gallieni Auguſti, quem conſtat anno 268. ante nonum Kalendas Apriles, quo Claudius ejus ſucceſſor Imperator ac- clamatus eſt, ut habet Pollio in Claudio cap. 8. occiſum fuiſſe, an- nosque ferè quindecim imperaſſe. Hoc enim docet Euſebius lib. 7. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 28. *Gallienus, Imperio per quindecim continuos annos adminiſtrato, Claudium ſucceſſorem reliquit*, quod Textus græ- cus magis exprimit Γαλλιένου ὃ ἐφ' ἑλοῖς ἐνιαυτοῖς πεντηκαίδεκα τὴν ἀρ- χὴν κεκατηκότος, Κλαύδιος κατέβη διαδόχος: id eſt, ut Chriſtophor- ſonus optimè vertit: *Gallienus ubi quindecim annos integros gubernaf- ſet, &c.* Quod & Porphyrius in vita Plotini confirmat, ut alibi oſtendemus, cum diuturnitas Imperii Gallieni, trium qui eum præ- ceſſere Imperatorum; Chronologiæ cardo ſit: Si itaque à menſe Martio anni 268. Quo Gallienus interfectus, per quindecim annos retrocedas, pervenies ad annum Chriſti 253. quo circa menſem Ju- nium cum Valeriano Patre Imperium ſuſcepit, ideoque Gallus, &

XIV.

Ab annis Imperii Gal- lieni pendet anni aliquos aliorum Im- peratorum.

H

Voluſianus

perempti sunt. Quorum Imperium cum Dexippus à Georgio Syn-
cello pag. 366. citatus octodecim mensium fuisse dicat, claret eos il-
lud arripuisse sub finem anni 251. Eò enim major fides eidem Dexip-
po habenda, quò is tempore Gallieni, ut discimus ex Pollione in
duobus Gallienis cap. 13. floruerit, & historiarum Augustarum Scriptores
dicant Gallum & Volusianum biennium imperasse numero nempe
rotundo loquentes, vel biennium non expleste, ut rectè Eutropius
& Eusebius in Historia. Præterquam quod nisi hoc dicatur, nec Gal-
lienus quindecim annos imperarit, nec Chronologia per hæc tem-
pora rectè ordinari poterit. Duplex porro illa Epocha Valeriani &
Gallieni, quam Cointius à Baronio mutuatus est, quæque Gallum
& Volusianum annos quatuor regnasse supponit, commentitia est,
uti à viris doctis jam observatum. Denique cum summo Chronolo-
giæ detrimento Consulatum Maximi & Glabronis è loco movit,
& ante Valeriani I I I. & Gallieni I I. Consulatum, qui subsequi
debet, statuit. Tum Consulatum Memmij Fusci & Pomponii Bassi
biennio moratur, utque immediatè præcedere possit Gallieni Augu-
sti IV. ac Valeriani Cæsaris Consulatum, duo par Consulatum eidem
anteponit, nempe Æmilianum & Bassum, tum Secularem & Dona-
tum, sicque omnia miscet.

XV. Vix dici potest quantum rectè Chronologiæ præjudicium hæc
Fastorum Consulatum perversio afferat. Posset id pluribus exemplis demon-
perverso strari, sed unum vel alterum afferre contentus ero. Divus Cyprianus
quàm detri- in Actis Passionis suæ dicitur passus *Tusco & Basso Coss.* Quod con-
mentosa firmat Chronicon Alexandrinum. Cadit is Consulatus in annum
Chronologia. Christi 258. Sed cum Baronius eum anno Christi 261. illiget, Cy-
 prianum tertio post ejus mortem anno vivum supponit, ac marty-
 rium passum, licet capto jam Valeriano persecutio cessasset. Sanctus
 Fructuosus Tarracoenfis Episcopus dicitur in Actis Martirii sui à
 Bollando & Henschenio viris de universa Ecclesia benemeritis, die
 21. mensis Januarii relatis, passus *Valeriano & Gallieno Imperatoribus*
Æmiliano & Basso Coss. decima septima Kal. Februarii, die Dominico,
 & dicuntur socii cum eodem Fructuoso ad supplicium *producti XII.*
Kal. Februarii, feriâ sextâ. Dies decimus septimus Kal. Februarii
 non potest cum die Dominica concurrere, nec duodecimus Kal. Fe-
 bruarii cum feria sexta, nisi currente Cyclo Solis 16. & litera Do-
 minicali B. Et tamen anno 261. quo Fusci & Bassi Consulatum, ac
 Sancti hujus Episcopi martyrium Baronius consignat, curtebat Cy-
 clus Solis 18. litera Dominicalis F. sicque non dies Dominicus, sed
 dies Mercurii, non feriâ sextâ, sed feriâ secundâ fuisset, Quare non
 frustra

frustra diximus ipſum Cœlum ac Sydera, Gallieni & Valeriani Conſulatus occasione fuiſſe impetita. Mirari autem ſatis non poſſum, cur Petavius in Chronico, ejuſdem Fructuoſi martyrium in annum 259. quem Gallieni IV. & Valeriani Cæſaris Conſulatu notat, conjece- rit, cùm Scaliger in Prolegomenis librorum de Emendat. Tempor. pag. 19. hunc quidem annum ac præfatas ferias examinet, & Baro- nius Conſulatum Tuſci & Baſſi ex Actis à Surio relatis, proferat. Quare idem Tuſci & Baſſi Conſulatus cum anno Chriſti 259. indi- ſolubiliter connectitur, quò vel ſolò opiniones Baronij, Cointii, & Petavii penitùs convelluntur. Reſtat ſententia Noriſii ſequenti capite examinanda.

C A P U T S E P T I M U M.

Tam Gallieni Cæſaris, & Valeriani, quàm Criniti, & Aureliani Conſulatus reapsè geſtus eſt, unde altera In- ſcriptionis Forojuſienſis interpretatio deſumitur.

Henricus Noriſius, qui Diſſert. de Votis Decennialibus cap. 5. & 6. Faſtos per Gallieni, & ſequentium Imperatorum tempora, accuratè digeſſit, ubi Baronii, Petaviique opiniones quoad Gallie- ni & Valeriani Conſulatum confutavit (Caroli enim le Cointe Ar- nales Eccleſiaſticos Francorum non viderat) in hanc tandem descen- dit ſententiam: *Video quidem, inquit, in laudatis à Baronio Actis designatos fuiſſe à Valeriano Imperatore Conſules ordinarios, Gallienum & Valerianum, ſuffectos verò à die vicesima ſecunda Maii Crinitum & Aurelianum. Verùm neſtquam illi Conſulatum inière. Etenim ſi Aurelianus anno Domini ex Baronio 262. vel 259. ut vult Petavius, Conſulatum ſuffectum geſſiſſet, anno primo Imperii iniens Kalendis Ia- nuariis Conſulatum ordinarium, dictus fuiſſet Conſul II. Rurſus cum Capitolino procedens Conſul anno 274. Conſul III. fuiſſet. Denique an- num poſtremum Imperii quartum Conſul clauſiſſet. At in omnibus Faſtis tertium tantum Aureliani Conſulatum legimus. Ac Paulo poſt: itaque cùm Aurelianus ad Imperium elatus ter Conſulatum ordinarium geſſe- rit, & à Baronio ac Petavio Conſul III. dicatur quod laudata Inſcrip- tio demonſtrat. (loquitur de ea, quam in hujus Diſſertationis præfa- tione ex Onuphrio retulimus) ſit conſequens, ut Valeriano imperante, Conſulatum ſuffectum non geſſerit. Quod inde derivaviſſe exiſtimo, quia eodem anno, victo ac capto in Perſide Valeriano Auguſto, Gallianus ſo-*

I.
Conſulatus
Gallieni In-
rioris, ac
Aureliani
reapsè geſt.

lus Imperium consecutus, alia Collegia Consulium pro arbitrio designavit. Ita Consulatus antequam illum iniret, Aureliano abrogatus. Estimatur itaque Norisius Gallienum & Valerianum Consules ordinarios designatos fuisse, sive intelligat cum Baronio, Petavio, & Cointio, Gallienum Augustum, & Valerianum Juniorem ejus fratrem, sive cum Onuphrio Gallienum & Valerianum Augustos. Nam hæc Vopiscus verba ad Aurelianium dicta, *Consulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum sequentem à die undecimo Kalend. Ianuarum in locum Gallieni & Valeriani sperare te convenit*, omnes huc utque interpretati sunt, vel de Gallieno Augusto, & Valeriano ejus fratre, vel de eodem Gallieno & Valeriano ejus patre. Sed utraque interpretatio ex dictis reiicienda, cum præterquam quod de Gallieni & Valeriani Consulatu suscepto Vopiscus loquatur, ille alius non est, quàm Gallienus Junior Cæsar, alterque, quàm Valerianus ejus patruus, qui quando pater à Persis captus, nondum Cæsar erat.

II.
Ostenditur
Aurelianum
revera Con-
sulem susce-
pisse.

Præterea ex his, quæ idem Vopiscus in Aureliano habet, evidenter colligitur, gestum illum Consulatum ab Aureliano reapse fuisse; ibi enim cap. 12. referuntur litteræ Valeriani Augusti ad Præfectum Prætorij scriptæ, quibus ei injungit, ut sumptus ad eum Consulatum suppeditet: *Aureliano, cui Consulatum desulimus, ob paupertatem, quæ ille magnus est, cæteris major, dabis ad editionem Circensium, Aureos Antonianos trecentos, argenteos Philippeos mimuculos tria millia &c.* tum cap. 14. refertur gratiarum actio Aureliani ad Valerianum: *ago gratias bonitati tue, & accipio Consulatum quem das &c.* Denique capite sequenti horum sumptuum occasione Vopiscus scribit: *vidimus proximè Consulatum Furii Placidi (quem nempe is anno 273. cum Claudio Tacito postea Imperatore gessit) tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari Aurigis, sed patrimonia viderentur &c.* Factum est enim, ut jam divitiarum sit, non hominum Consulatus. Quod si Aureliani Consulatus cassus fuisset, idem Vopiscus, qui de eo tam diversa refert, id non tacuisset; eo magis, quod de Placidi Consulatu, qui revera gestus est, ejusdem Consulatus Aureliani occasione loquatur, & quod post eundem aliasque dignitates ab Aureliano gestas, memoratas scribat. *His igitur tot ac talibus præjudiciis, muneribusque fultus, Claudianis temporibus tantus enituit, (nempe Aurelianus) ut post illum, Quintillo quoque fratre ejus interempto, solus teneret Imperium.* Sed Consulatus ordinarius à Valeriano, Gallieni Imperatoris fratre, anno 265. gestus litem dirimit; idem enim Consulatus, tam in fastis, quàm in Nummis apud Goltzium & alios, ac Inscriptionibus, editur cum numerali nota II. eodem modo quo in
Inscriptione

Inſcriptione Capite præcedenti num. 9. à nobis relata legitur: cujus rei ratio alia eſſe non poteſt, quàm quod antea Conſulatum ſuffectum gesserat cum Gallieno Juniori Cæſare; cùm inter omnes conveniat unicum eum tantùm Conſulatum ordinarium iniſſe. Neque credibile eſt quod ibidem habet Noriſius, Valerianum Auguſtum anno ſeptimo Imperii, Chriſti nempe 260. præfatam Conſulum designationem feciſſe, eodemque anno viſtum ac caſtris exutum in Perſarum poteſtatem veniſſe, nam licet verum ſit, eundem Valerianum ſeptimum Imperii annum, quod Numiſmata, tam græca, quàm latina apud Goltzium oſtendunt, inchoaſſe, nondum tamen liquet, an anno 259. quo idem ſeptimus Imperii annus cœpit; an ſequenti, quo abſolutus eſt, captus fuerit; prætereaque anno 260. Memmii Fulſcus, coram quo Conſule ordinario, ut habet Vopifcus, ea designatio facta, eam dignitatem non gerebat. Nec ſatisfacit reſponſio Noriſii dicentis Memmium Fulſcum Conſulem ordinarium appellari, *non quaſi eodem anno, eo Magiſtratu fungeretur, ſed quod ante biennium, illum gesserat.* Nam licet verum ſit aliquando Conſulem dici, qui aliàs Conſul fuit; imò Ablavium, qui anno 331. Baſô Collegâ Conſul fuit, à Sidonio lib. 5. Epist. 8. Conſulem vocari, quando refert diſtichum quod adverſus Conſtantinum idem Ablavius Palatinis foribus clam appendit anno viceſimo ejuſdem Imperatoris, qui in anno Chriſti 326. abſolvitur, nihilominus fruſtra ad eum Vopifci locum hæc evaſio adducitur.

Neque etiam urget, quod dicit idem Noriſius, quod ſi Aurelianus Conſulatum ſuffectum ante adeptum Imperium geſſiſſet, anno primo Imperii iniens Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium, dictus fuiſſet Conſul II. cùm tamen in omnibus Factis is Conſularis ſine numerali nota edatur. Nam Seculo, quo Aurelianus vixit & imperavit, Conſularis ſuffecti ſæpè in nummis & Inſcriptionibus prætermittentur, ordinariorumque tantùm ratio habebatur. Decius ante adeptum Imperium Conſul ſuffectus fuerat, factuſque Imperator Conſularis duos ordinarios geſſit: unde in nummis apud Goltzium dicitur: TRIB. P. COS. I. L. Eſt hic primus Imperii ejuſ annus. In duobus: TR. P. II. COS. III. Sunt hi percuffi anno 251. quo Conſulatum tertium geſſit, & Tribunitiam poteſtatem II. abſolvit. In quatuor denique legitur: TR. P. III. COS. III. Ubi vides tres Imperii Deciani annos inchoatos, ejuſque tres Conſularis expreſſos. Et nihilominus in duabus Inſcriptionibus, anno ejuſ Imperii tertio, (quem præfata numiſmata inchoaſſe manifeſtum faciunt, licet aliqui viri eruditi contrarium arbitrati fuerint,) exaratis, dicitur

III.
Conſularis
ſuffecti in
nummis &
Inſcriptionibus
ſæpè
omiſſi.

tantum Consul II. Extat una apud Gruterum pag. 273. in qua Decius dicitur: TRIB. POT. III. COS. II. dedicata ea anno Christi 251. quò Decius Consul III. processit; ideoque si suffecti ratio habita fuisset, Consul III. dicendus esset. Extat alia non dissimilis in Urbe Vencienci sub Archiepiscopo Ebredunensi, quam mecum communicavit Petrus Joffredus V. C. Serenissimi Sabaudia Ducis institutioni præpositus, quæ cum ad rem nostram faciat, hîc exhibetur.

I M P C Æ S.

C. MESSIO QUIN
TO TRAJANO DE
CIO PIO FEL. INVIC
TO AUG. P. M. TRIB
POT. III. COS. II.

P. P.

CIVIT VINT.

Vides in ea Epigraphæ, quemadmodum & in ea, quam Gruterus refert, ac in nummis citatis, Consulatus suffecti Decii nullam rationem haberi, alioquin diceretur is COS. III.

IV.
Consulatus
suffecti Do-
mitiani ali-
quando ne-
glecti.

Imò & præcedentibus seculis Consulatus suffecti, tam in nummis quàm in Inscriptionibus, non raro neglecti. Scribit quidem Norisius loco laudato: *Domitianus Consul XVII. utique inscribitur, quamvis sexies Consulatum suffectum gesserit.* Sed vir doctissimus non observarat, non solum apud Dionem, quò nullus ex Antiquis in Consulibus recensendis exactior, eorum omnium mentionem non haberi, sed neque etiam in aliquibus Domitiani nummis eosdem memorari. Exhibeo hîc ex eodem Dione seriem Consulum, qui Domitiano imperante, anno nomen dedere, in qua eidem Imperatori Consulatus tantum XII tribuuntur, & ex suffectis duo recensentur, quatuor omittuntur. Nihil dico de Chronico Alexandrino in quo ejusdem Imperatoris Consulatus tantum quatuordecim leguntur, cum Dio sufficiat.

S E R I E S

S E R I E S

CONSULATUUM DOMITIA-
NI EX DIONE.

USITATA CONSULUM
DOMITIANI.

Anni Christi

- 80. Titus Aug. VIII.
Domitianus Cæsar III.
- 81. M. Plautius
M. Annius Pollio.
- 82. Domitianus Aug. IV.
T. Flavius Sabinus.
- 83. Domitianus Aug. V.
Eutropius Rufus I I.
- 84. Domitianus Aug. VI.
Junius Sabinus.
- 85. Domitianus Aug. VII.
Aurelius Fulvius.
- 86. Domitianus Aug. VIII.
Cornelius Dolabella.
- 87. Domitianus Aug. IX.
Volusius Saturninus
- 88. Domitianus Aug. X.
Minutius Rufus.
- 89. Aurelius Fulvus I I.
Sempronius Atratinus.
- 90. Domitianus Aug. XI.
Cocceius Nerva II.
- 91. Ulpus Trajanus
Acilius Glabrio.
- 92. Domitianus Aug. XII.
Volusius Saturninus I I.
- 93. Pompeius.
Cornelius Priscus.
- 94. Nonius Asprenas
M. Arricinius.
- 95. Domitianus Aug. XIII.
Flavius Clemens.

- 80. Titus Aug. VIII.
Domitianus VII.
- 81. M. Plautius Sylvanus.
M. Annius Verus Pollio.
- 82. Domitianus VIII.
T. Fl. Sabinus.
- 83. Domitianus I X.
Rufus II.
- 84. Domitianus X.
Junius Sabinus.
- 85. Domitianus XI.
Aurelius Fulvius.
- 86. Domitianus XII.
Dolabella.
- 87. Domitianus XIII.
Saturninus.
- 88. Domitianus XIV.
Rufus.
- 89. Fulvus I I.
Atratinus.
- 90. Domitianus XV.
Cocceius Nerva I I.
- 91. Ulpus Trajanus
Acilius Glabrio.
- 92. Domitianus XVI.
Saturninus I I.
- 93. Pompeius Conlega.
Cornelius Priscus.
- 94. Asprenas
Arricinius.
- 95. Domitianus XVII.
Flavius Clemens.

Anno Christi octuagesimo primo, Idibus Septembris, Tito Ves-
pasiiani

V.
 Aliquos
 nummi Do-
 mitiani à
 Scaligero &
 Petavio non
 intellihi.

pasiani filio demortuo, Domitianus frater successit, annoque sequenti Consularum ordinarium de more cepit, octavum quidem, si omnes suffecti, quos antea gesserat, computentur; sed quartum tantum, si ex suffectis duo duntaxat, ut facit Dio, numerentur. Scaliger in Animadversionibus Eusebianis ad numerum 2096. cum sibi persuasisset, Consulatus suffectos in nummis semper memoratos fuisse, hæc scribit: *Domitianus fuit Consul VI. Patre Collega VIII. nono anno ipse Vespasiani. At in nummis Domitianus VI. Cos. Imp. & Aug. vocatur: IMP. CÆSAR DOMITIANUS AUG. P. M. TR. P. COS. VI. ubi non solum Imperator est sexto Consulatu, sed etiam Divi Vespasiani Filius; ergo Vespasiano Divo facto, hoc est mortuo, sextum Consulatum gerebat. At contra: CÆS. DIVI F. DOMITIANUS COS. VII. PRINCEPS JUVENTUTIS. Hic non est Augustus, neque Imperator septimo Consulatu, sed Princeps Juventutis, sub Tito arbitror. At hic est Imperator & Aug. IMP. CÆSAR DOMITIANUS AUG. TR. POT. COS. VII. DES. VIII. P. P. Ego ut ille ait, hac juxta ignarissimos intelligo. Petavius libro undecimo de doctrina Temporum cap. 17. ubi eisdem nummos refert ait: *Ceterum in nummis Domitiani, quadam obscura sunt, qua merito Scaligerum moverunt in Animadversionibus ad annum 2096. Et postquam eisdem exhibuit, subjungit: nihil hic habeo quod dicam, nisi mendosas illas Epigraphas videri, quæ cum Tribunitia Potestate Consulatum VI. copulant, ac scribendum omnino COS. VII. Utrumque ex hoc labyrintho, positâ præfatâ Consulatum dispositione, expedire facile est. In nummis, in quibus Domitianus dicitur COS. VII. PRINCEPS JUVENTUTIS, omnes Consulatus ejus suffecti numerantur: cumque annus Christi octuagesimus, Titi VIII. & Domitiani VII. Consulatu in Fastis usitatis notetur, claret eo vel sequenti anno ante Idus Septembres nummos illos cufos. In quibus Domitianus dicitur AUG. COS. VI. Hi anno Christi octuagesimo quarto percussi. In quibus denique vocatur COS. VII. DES. VIII. Hi annum octuagesimum quintum exhibent. Ex quibus omnibus deducitur Consulatum suffectorum omissionem tam in Inscriptionibus, ac nummis quam etiam in Fastis, non obstare, quin ubi certis testimoniis constat, Consulatum suffectum ab eo qui Consul ordinarius procedit, gestum fuisse, exprimi debeat in Chronicis, vel Annalibus. Unde minus consequenter Baronius, Petavius, aliique viri docti locuti sunt, qui cum Consulatum suffectum Aureliani admiserint, primum tamen Consulatum ejus ordinarium sine iterationis nota memoraverunt. Qui quidem loquendi modus à Norisio reprehendus**

hendendus erat, neutiquam verò ex eo deducendum, Aurelianum, antequam Imperio potiretur, Consulatum susceptum non gessisse.

Nec adeo mirum videri debet, in Fastis nullis suscepti Aureliani Consulatus mentionem esse, cum Macrini Augusti Consulatus ordinarius ab omnibus recentibus Fastorum Scriptoribus & forsitan etiam ab Antiquis, Dione excepto, prætermittus fuerit. Ille anno Christi 217. Caracalla occiso, *die que Severi Natalis erat*, inquit Dio lib.78. Imperator à militibus creatus fuit. Cadit natale illud, ut ex Calendario Lambeciano patet, in quartum Idus Apriles. Unde Macrinus, ut Capitolinus in ejus vita cap.2. testis est, *se nunc Severum, nunc Antoninum, cum in odio esset omnium, & hominum & militum nuncupavit*. Ex nummis apud Goltzium colligitur eum se cum Diadumeniano filio in aliquot ejusdem anni menses Consulcm designasse, eundemque Diadumenianum Cæsarem dixisse, ac in annum sequentem Consulcm, susceptum tamen, ut videmus, se ipsum verò Consulcm ordinarium designasse. In uno legitur: *Imp. Caf. M. Opel. Sev. Macrinus Aug. Pontif. Max. Tr. P. Cos. P. P.* In altero verò: *M. Opel. Antonin. Diadumenian. Caf. Pontif. Cos. Des. IT.* Hi nummi anno 218. quò Macrinus Imperium suscepit, Consulatumque susceptum cum Diadumeniano filio gessit, percussit. Mirum tamen mihi accidit Macrinum, qui in omnibus ferè Numismatis, tam græcis, quàm latinis, quorum plurimi supersunt, Severus dicitur, in nullo Antoninum appellari; contra verò Diadumenianum in omnibus ferè eo nomine vocari: cum Capitolinus in ejus vita doceat, ipsum modò Severum, modò Antoninum se se nuncupasse, & Chronicon Alexandrinum, Cassiodorus, Auctor fragmenti Consularis apud Bucherium, aliique Antiqui Antoninum & Adventum Consules ordinarios edant: qui quidem Antoninus alius non est à Macrino, licet Onuphrius lib.2. Fastorum, omnesque post eum anno 219. Antoninum Diadumenianum, & Adventum Consules ordinarios exhibeant. Qui error hîc evellendus. Nam Dio, qui tunc vivebat, in Indice Consulari habet: *M. Opelius Macrinus Aug. & Adventus*. Tum lib.78. scribit à plerisque Macrinum reprehensum fuisse, quòd Adventum *non modo Senatorem, sed etiam Collegam in Consulatu & Præfectum Urbis creasset*. Dein lib.79. dicit innovata esse plura ab Heliogabalo successore ejus, & inter hæc quòd *Consulatus Macrini loco, qui jam ante gestus erat, nomen suum substituit*, cum nec eum profus attigisset; ac denique quòd initio Imperii annum indicavit *per Adventi Consulatum, quasi qui solus illum gessisset*, adeo à Macrino Heliogabalus abhorrebat. Ex quibus manifestissimè cla-

VI.
Consulatus
ordinarius
Macrini re-
stituitur.

ret, Antoninum patrem, non Antoninum filium, seu Macrinum, non Diadumenianum Advento Collega nomen anno 219. dedisse, omnesque recentiores Chronologos in illius anni Consulatu edendo errasse; maxime omnium Scaligerum in Canone Chronico Eusebii, ubi habet: ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟΣ ΚΑΙ ΣΑΡ, υ, ΛΑΟΥΤΕΝΤΟΣ. Id est, *Diadumenianus Caesar, & Adventus*; nam Antiqui Fastorum Conditores Antoninum quidem cum Advento, sed nunquam Diadumenianum cum eodem Advento proposuerunt, licet ex Antonini nomine, quò Diadumenianus in nummis semper vocatur, ansam arripuerint scribendi eundem Diadumenianum Consulem ordinarium fuisse. Quare rectè Petavius lib. 11. de doctrina temp. cap. 29. tradit: *neque Consules, neque annos Christi Eusebius adnotarat, & qui Consules in Græca Ferragine adunxit Scaliger, contra Eusebii mentem illos adscripsit.* Qua de re videndus etiam Combesius, vir eruditissimus in Notis ad Georgium Syncellum. Anno itaque 219. Macrinus II. & Adventus Consules ordinarii processere, ac post aliquot menses Diadumenianus illis susceptus est; nummi enim duplicem Macrini & Diadumeniani Consulatum exhibent, uti ille in quo legitur: *Imp. Caf. M. Opel. Sev. Macrinus Aug. Pontif. Max. Tr. P. II. Cos. II. P. P.* Idem legitur de Diadumeniano, qui cum in nummis Consul II. non vocetur, nisi cum Augusti titulo, liquet dignitatem Augusteam illi anno 219. à patre attributam, eamque ob rem secundum Consulatum susceptum. Quid mirum igitur si in nullis fastis Consulatus suscepti Aureliani mentio habeatur, cum id genus Consulatus sæpe in nummis, Inscriptionibus; fastisque Consularibus præmittatur, recentisque omnes Chronologi Consulatum ordinarium Macrini omiserint, ejusque loco Diadumenianum Consulem tantum susceptum nobis exhibuerint, nec sat certum sit, an antiqui Fastorum Conditores, quando Antoninum, vel cum numerali nota, vel sine ea, & Adventum profiterentur, Macrinum, qui nunquam in nummis dicitur Antoninus, vel Diadumenianum qui eo semper nomine in iisdem appellatur, intelligant; licet Macrinum Consulem ordinarium fuisse certum indubitatumque haberi debeat. Atque ex ipsiusmet Macrini nummo, qui apud eundem Goltzium extat, lucet Consulatus susceptos ejus ætate neglectos fuisse; in eo enim legitur: *Imp. Caf. M. Opel. Sev. Macrinus Aug. P. M. Tr. P. II. Cos. P. P.* Sumpsit secundum Consulatum Macrinus Kalendis Januariis anni Christi 219. Tribunitiam vcrò Potestatem II. quarto Idus Apriles, qui ejus, sicuti & Severi dies natalis erat; & tamen eo in nummo non dicitur Consul II. quia nempe suscepti nulla in eo ratio.

Onuphrius,

Onuphrius, qui hunc Conſulatum ſuffectorum neglectum non animadverterat, eâdem, quâ Noriſius ratione permotus, quod ſcilicet Aurelianus ille, qui cum Pomponio Baſſo, anno Chriſti 271. Conſul ordinarius fuit, in nullis ſactis cum iterationis nota legatur, arbitratus eſt, non Aurelianum Auguſtum, ſed privatum quemdam ejuſdem nominis Pomponii Baſſi Collegam fuiſſe; ſecundum verò Aureliani Conſulatum, quem cum Julio Capitolino, anno 274. geſſit, ideo cum iterationis nota legi, quia ante adeptum Imperium Conſulatum ſuffectum idem Aurelianus geſſerat. Quæ explicatio Calviſio, aliisque quibuſdam viris doctis placuit; ſed prima Conſulatum Cæſareorum regula, quæ docet Imperatores proximis poſt ſuſceptum Imperium Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium iniſſe, illius opinionis vanitatem oſtendit, ſicuti & uſus Auctorum Chronicorum Conſularium, qui Auguſti, vel Cæſaris nomen exprimeret non ſolent. Obſervat quidem Noriſius loco laudato in Chronico Canone Eufeſbii apud Scaligerum diſertè legi: *Aurelianus Auguſtus, & Baſſus*. Sed ſuperiori capite Scaligero hac in re nullam adhibendam fidem oſtendimus. Ex quibus tandem omnibus conſe- quens eſt, Aureliani, ſicuti & Decii primum Conſulatum ordina- rium cum nota Numerali I I. in poſterum efferri debere; cùm in Chronicis, & Annalibus claritas quærenda ſit, ambiguitasque vi- tanda, ac Conſulatum tertium in Inſcriptione Foroſulienſi cum quarta Tribunitia Potestate copulatum dici poſſe tertium in ordine ad ſuffectum, quem Aurelianus, ante adeptum Imperium geſſerat; licet, ut verum fatear, prior explicatio præferenda videatur, quod, uti diximus, per hæc tempora ſuffecti Conſulatus memorari non ſo- lerent. Quod niſi alterutri explicatiõni à nobis allatæ acquieveris, præclaram Epigraphem, cui nec temporum ſævitia, nec hominum malitia quidquam integritatis adhuc eripuit, falſam aſſerere cogèris, reclamantibus hiftoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, nummiſ, & Inſcrip- tionibus aliis, in quibus Cæſarum & Auguſtorum Conſulatus deſig- nati abſolutè præferuntur, quod antea ignotum, me demonſtraſſe exiſtimo.

VII.
*Primus Con-
 ſulatus or-
 dinarius
 Aureliani
 cum nume-
 rali nota
 præferri de-
 bet.*

CAPUT OCTAVUM.

Consulatus designati, & suffecti ab honorariis valde diversi.

I.
*Explicatur
Consulatus
honorarius.*

Baronius, qui anno 140. num. 1. Consulatum secundum designatum Antonini Pii, honorarium existimavit, ejusdem generis suffectos fuisse pariter credidit; ex eo enim quod Dio lib. 46. scribat Plautianum ornamenta Consularia à Severo Augusto accepisse, idem Baronius anno 205. num. 1. scribit: *Hoc anno primum à Severo factum est, ut Consulatus suffecti cum ordinariis numerarentur, sicque ea ratione Plautianus, qui suffectum egerat Consulatum, hoc anno creatus Consul ordinarius, II. Consul positus est.* Et tamen Plautianus non suffectum, sed honorarium Consulatum egerat. Quare manifestum est, Baronium utrumque honoris genus confudisse. In eadem sententia fuit Carolus Cointius, qui tomo primo Annalium Ecclesiasticorum Francorum, suffectum Aureliani adhuc privati Consulatum, honorarium vocat. Sed Consules honorarios, suffectos, & designatos valde inter se differre, tam certum, quàm quod certissimum. Post constitutum enim Imperium Romanum tria Consulatum genera fuere distinctis nominibus appellata, ut observavit Onuphrius lib. 1. Fastorum pag. 61. Qui Kalendis Januariis cum Magistratum inibant, Consules ordinarii appellabantur: qui iis abdicantibus in aliquot reliquos anni menses subrogabantur, Consules suffecti dicebantur, & tam isti, quàm priores, postquam ad illud munus deputati erant, Consules designati vocabantur, & aliquibus prærogativis potiebantur, horumque tanta autoritas erat, quanta illis ab Imperatoribus concedebatur. Sed præter utrosque, tertium Consulatum, seu, ut communiùs vocabantur, Consularium genus erat, ut ea dignitas ad plures pervenire posset, ab Augusto excogitatum, & longo tempore intermissum, à Constantino Magno postea restitutum. Hi licet Consulatum nunquam adepti essent, Consulares tamen viri, ex Imperatorum indulgentia & privilegiis appellabantur, ornamentis & prærogativis omnibus Consularibus eis concessis. Vocabantur & *Codiceillares*, ut videre est apud Almannum in Notis ad historiam arcanam Procopii pag. 6. ubi & ex lib. 3. ejusdem Procopii de bello Gothico, vir Consularis vocatur: *ὑπατος καλλιέρως μόνον*, id est, *Consul nomine tenuit*. Sæpius tamen, ut probat idem Almannus, vocabantur,

tur, ἀνὸς ἕνα τῶν, Id est, ex Consulibus, Exconsul enim apud recentiores Imperatores Orientales, idem fuit quod veteribus vir tēporibus Consularis. Frequens de iis in Græcis Auctoribus post Constantinopolim conditam mentio. Nam cūm Constantinus Urbem illam condidit, Senatu illustravit, & Consulatū denuò more veteri annum fecit: quæ causa fuit, ut plures postea Consularibus ornamentis honorati fuerint. Rectè tamen observat Combefisius in Notis ad Theophranem, vocem ἕνατος non semper in Auctoribus græcis significare Consulem, sed quandoque *eximium, præcipuum, Proceres*, & huiusmodi, quomodo, inquit, Psellus passim indigitatur, ἕνατος φιλοσόφων, id est, princeps philosophorum. Quod non rarò Authorum Græcorum Interpretes decipit.

Concessorum Consularium Insignium formulam Cassiodorus lib. 6. variarum refert, in qua legitur: *Sed nunc sumitis ista felicius, quando nos habemus labores Consulū, & vos gaudia dignitatum. Palmata siquidem vestra, nostra probantur esse victoria, & prosperrima conditionis eventū, vos in pace ingenuitatem ceditis famulis, cūm nos securitatem demus per bella Romanis. Atque ideo per illam Indictionem Consulariū te decoramus Insignibus. Pinge vastos humeros, vario colore palmata: validam manūm victoriam scipione nobilita: lares proprios etiam calcis auratis egredere; sellam Curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende: ut in otio subjectus merearis, quod nos per maximos labores assumimus imperantes.* Sed habitus Consularis notitiam ex Vopisco in Aureliano deducere possumus; ibi enim cap. 13. ait Valerianum Augustum hæc verba in Aureliani designatione ad Consulatū edidisse: *Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis, coronas m'vales quatuor, vallares quinque &c. Togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam,* (togæ pictæ & palmatæ ac trabæ prætorum Consulū vestes fuere, quæ an inter se invicem differrent, & in quo nondum satis liquet) *subarmalem profundum,* (quæ cūm postrema ex vestibus Consularibus recenseatur, admodum probabile reputat Dufresnius V. C. Dissertat. de Numismat. inferioris ævi num. 5. eam esse, quæ cæteris superfundebatur, dicitur *profundum*, quod ex purpura, ac saturata esset) *Sellam eboratam: nam te Consulem hodie de signo.* &c. Atque hic vestitus Consulibus ordinariis, suffectis & honorariis communis erat.

Imò, ut ibidem Dufresnius num. 8. observat, *Consulares fœmina,* quemadmodum ab Ulpiano Consulū uxores vocantur, eodem ac simili pene habitu, quò Coniuges ornabantur. Quod colligit ex Iconismo, qui in vetustissimo Dioscoridis Codice MS. habetur in Bi-

II.
Idem vestitus Consulū honorariis ac ordinariis.

III.
De fœminis Consularibus.

bliotheca Cæsarea, & à Petro Lambecio, viro eruditissimo lib. 2. de eadem Bibliotheca describitur. Ibi Juliana Olybrii Augusti filia, & Arcobindæ Consulis uxor, fascia ampliori collum, & humeros amplectente, & pectus attingente exornata conspicitur, in hoc à Consulari fascia diversa, quòd ista muliebris sinistro brachio non aptetur; in Diptychis enim Leodiensi & Bituricensi, ab Alexandro Vvithemio descriptis, ubi habitus Consularis univèrsus planè conspicitur, Consules tunicis palmatis, & togis pictis induti apparent, cui superfunditur fascia latior collum ambiens, cujus pars dextra strictior, à dextro humero rectà circa pectus ultra genua descendit, ipsamque humerum, ac brachium dextrum circumvolvens, sinistrum humerum amplectitur, explicans sese latiorque sensim effecta, ac circa dorsum delapsa, rursus à dextro latere per umbilicum transversum agitur, & infimam sinistri brachii partem, quâ manui illud conjungitur, involvit, reliquâ fasciæ parte retrò pendulâ, ut magis idem Dufresnius explicat.

IV.
Ornamenta
Consularia
matronis
quibusdam
concessa.

Nam non tantum feminis Cæsarum sanguine, aut affinitate conspicuis, verum etiam aliis matronis Romanis Consularia ornamenta concessa fuisse, doctè ostendit Spanhemius dissertat. 7. de usu & præstantia Numismat. ex Lampridio aliisque veteribus Auctoribus. Hic enim in Heliogabalo de eo Imperatore ait: *Fecit & in calle Quirinali senaculum, idest, mulierum senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis, solemnibus dumtaxat diebus, & si unquam aliqua matrona Consularis conjugii ornamentis esset donata: quod veteres Imperatores affribus detulerunt, & his maxime, qua nobilitatos maritos non habuerant, ne immobilitasa remanerent.* Hujus exemplum præbet sub ejusdem Imperatoris Principatu mater Hieroclis, foedissimi cujusdam mancipii, quam Dio refert in excerptis Valesianis pag. 776. militari satellitio in Urbem deductam, inter Consularium matronas habitam fuisse: hoc nempe quod aiebat Lampridius *Consularis conjugii ornamentis decoratam.* Hinc maritalia etiam Matronarum decoramenta apud Tertullianum libro 2. de cultu fœminarum: *aut quid minus habere infelicissima illa publicarum libidinum famina, quas si qua leges à maritalibus & matronalibus decoramentis coercebant.* Ulpianus l. 12. D. de senat. notat, nuptas prius Consulari viro, postea ad inferiores nuptas devolutas, impetrasse rarissimè, *ut in Consulari maneat dignitate, ut scio Antoninum Augustum Iulia Mommaea consobrina sua indulgisse.*

V.
Ornamenta
triumphalia
quibusdam
privatis con-
cessa.

Neque mirum iis, qui Consulatum, aut ordinarium, aut suffectum non gessissent, ornamenta consularia concessa fuisse, cum & insignia triumphalia, postquam constituto Imperio, triumphii decus, quod

maximam

maximum erat, Imperatores sibi retinere, iis qui nunquam triumpharant, sed qui rebus egregie gestis summam gloriam consecuti erant collata fuerint, supplicationes nempe, appellatio Imperatoris, Laureæ Corona, Prætexta seu trabea triumphalis, sceptrum, statua, sacrificia, & cætera triumphantium insignia; licet curru intra urbem non veherentur, neque consuetam pompam agerent, sed iis, uti in sacris, publicisque locis, ludis, ac solennibus diebus, & una cum eo pingi habitu & in statuis sculpi possent. Suetonius in Augusto cap. 38. de iisdem viris triumphalibus loquens, ait: *Nec parcius in bellica virtute honoranda supra triginta ducibus iustos triumphos, & aliquantò pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.* Idem in Tiberio de hujus triumpho anno Eræ Christianæ duodecimo gesto loquens, ait: *A Germania in Urbem post biennium regressus, triumphum, quem distulerat, egit, prosequentibus etiam Legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat.* Denique Herodianus lib. 7. cap. 3. de Maximino Thrace Imperatore ait: *Igitur quam plures exercitibus, aut Provinciis prepositos, Consulares, Triumphalesque viros levissimâ, tenuissimâque calumniâ attactos, corripere de improvviso jubebat.* Sed hac de re plura Lazius lib. 9. Comment. Reip. Rom. cap. 3. Onuphrius Comment. in triumphos & Ovationes, aliique.

Ex omnibus Consulatus honorariis, nullus celebrior, quàm qui à Clodovæo Francorum Rege gestus. Ejus apud Gregorium Turo-nensem lib. 2. historię cap. 38. mentio. Narrato enim prælio Vocla-densi, in quo Alaricus Visigothorum Rex anno 507. cæsus est, ait: *Igitur ab Anastasio Imperatore Codicillos de Consulatu accepit, & in Basilica beati Martini tunicâ blasteâ indutus est, & Chlamyde, impo-nens vertici diadema. Tunc ascenso equo, argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii, & Ecclesiam Civitatis est, presentibus popu-lis, manu propria spargens, voluntate benignissima erogavit, & ab ea die tanquam Consul, & Augustus est vocatus. Quæ pecuniarum ef-fusio *ὑπαρσία*, seu munus Consulare ab Antiquis dicitur, Consulatus-que nota est. Cadit is Consulatus in annum 508. quo apud Marcel-lini continuatorem Celer & Venantius, ille Orientalis, hic Occiden-talis, ut inquit Onuphrius, Consules exhibentur: Neque enim ullis in Fastis, eo, vel sequentibus annis, Clodovæus Consul dicitur: Quod occasionem præbuit Baronio existimandi eum, oblatum ab Anasta-sio Imperatore hæretico Consulatum respuisse. Si enim acceptavit, inquit, cur non est inditum tanti Regis nomen Consularibus Fastis? Sed leve hoc fundamentum ad rem tam disertè ab Antiquo Historico affirmatam negandam. Nam, ut observat Sirmundus in Notis ad Panegyricum*

V I.
Clodovæus
ab Anasta-
sio Consul
renunciatus.

Panegyricum Aviti Imperatoris, hujus Consulatus memoriam nulli Fasti retinuerunt, & tamen ex Panegyrico in hujus dignitatis auspiciis à Sidonio Apollinari recitato, & duabus Inscriptionibus, quæ adhuc extant, de eodem Consulatu minimè ambigendum constat, etiam si anno 456. quo illum Avitus gessit, omnes Fasti Vararem & Joannem Consules ordinarios exhibeant. Silentiumque Fastorum non obesse tribus aliis exemplis idem Simondus demonstrat. Legitur in Divi Pauli Basilica Davivæ & Basilicæ Sotorum, Epitaphium, in quo eæ depositæ dicuntur: CONSULATU JOANNIS AUG. qui mortuo Honorio Ravennæ anno 424. invasit Imperium; & tamen Joannem hunc inter Consules nulli Fasti recipiunt. In titulo Equitii Romæ Eutychiei cujusdam Epitaphium est, in quo Consules comparantur THEODOSIUS AUG. III. & EUG. P. N. id est, *Eugenius Princeps noster*, is nimirum, qui occupato Argobasti factione principatu in Italia anno 392. dominabatur, editoque Consulatu Collegam se Theodosio Augusto dixerat, cum à Theodosio in Oriente dictus esset Abundantius; quem Consules omnes Fasti agnoscunt, de Eugenio tacent. Denique in Inscriptione Trevirensi, quæ Scaligerum lib. 5. de emendat. Tempor. ubi eam refert, aded torsit, Honorio VIII. Consuli Collega tribuitur, non Theodosius III. ut in omnibus Fastis, sed Constantinus, qui in Galliis, quas invaserat, tum regnabat, & Consulatum anno quadringentesimo nono ediderat, cum Honorio, ut Olympiodorus Thebæus scribit, concordiam, Imperiique societatem affectans. Quare ex Fastorum Silentio Clodovæi Consulatus minimè everti potest. Qui etiam si ordinarius fuisset, non ob id tamen Regis nomen in Fastis & Actis publicis Clodovæo datum fuisset, quod Theodorici Gothorum Regis anno quadringentesimo octuagesimo quarto Consulatus ordinarii exemplum satis ostendit. In Codice enim Justiniano libro octavo, Titulo 4. Unde vi l. 12. subscribitur: *Dat. V. Kalend. April. Constantinop. Theodorico & Venantio Coss.* Unde Cassiodorus, qui eidem Regi à Secretis & Epistolis fuit, dum in Chronico anni 184. Consules describit, eundem Regem non appellat, sed tantum ait: *DN. Theodericus & Venantius.* Verum est Anonymum à Cuspiniano primum in lucem editum his verbis eum Consulatum consignare: *D. N. Theodorico rege & Venantio V. C. Coss.* Sed in eo errat, sicuti quando his verbis Leonis Junioris Consulatum his verbis profertur: *Domino Leone Juniore Aug. Coss.* Et hæc Forsan causa cur Theodericus quando postea Italiæ imperavit, iterum semetipsum Consulem non designavit.

Calvisius in opere Chronologico scribit, Anastasium Clodovæo
Triumpho

triumphi Inſignia , potius quàm Conſulatum obtuliſſe. Sed verba, quibus utitur Turonenſis , hanc ejus conjecturam vanam eſſe oſtendunt ; ut enim Valeſius in Notis ad Marcellinum lib.8. pag. 350. eruditè obſervat , ſolebant Imperatores ad eos , quibus dignitatem aliquam conferebant , Codicillos mittere , & cum iis ejuſdem Inſignia. Themiftius orat.4. eos vocat : *σφραγιδες δέλτους* , id eſt , *Codicillos aſſeratos* , Iſidorus Peluſiota Epift.5. lib. 2. *δέλτους ἐξαιφάντων* , id eſt , *Codicillos eburneos* , & Libanius *γραμματῖς* appellat in orat. Conſulari ad Julianum , ubi ait : *abſurdum enim judicas , ſicim Codicillos ipſe manu ſua tradat iis ; qui Provinciâs reſturi ſunt &c.* Carolus le Cointe in variis Annalium Eccleſiaſticorum Francorum locis dicit , hæc verba : *Codicillos de Conſulatu accepit* , intelligenda eſſe de Imperio. Quæ opinio cæteris probabilior , cùm Gregorius Turonenſis dicat , poſt acceptos Codicillos de Conſulatu Clodovæum Auguſtum vocatum fuiſſe ; quod & Rorico Monachus lib. 4. ac Numiſmata filiorum ejuſdem Clodovæi apud Broderovum tractatu de monetis gallicis , in quibus ii poſt patrem regnantes Auguſti vocantur , confirmant : ita ut ſicut Imperatores , poſtquam Imperium adepti erant , Conſulatum capeſſere ſolebant , vel ſuffectum , ipſo anno , quo ad eam dignitatem eveſti fuerant , vel ordinariuum , proximis Kalendis Januariis ; ſic Clodovæus in Regno ſuo Conſul honorarius proceſſerit. Et licet non niſi poſt Juſtinum Juniorem idem fuerit Conſul qui Imperator , & Conſulatus ab Imperio diſtinctus non fuerit , cùm contrâ antea munus illud non minus à privatis , quàm ab Imperatoribus gereretur , tamen cùm ab eo tempore Clodovæum Auguſtum vocatum fuiſſe affirmet Turonenſis , hujus Conſulatus non videtur aliam fuiſſe rationem.

Conſul itaque honorarius Clodovæus fuit ; qui Conſules , ut jam diximus , Codicillares vocabantur , & privilegiis omnibus ac honoribus fruebantur , quæ competebant iis , qui eam dignitatem geſſiſſent , quod de Quæſtura , ac Præfectura non minus quàm de Conſulatu dicendum. Quam in rem extat Novella Juſtiniani 70. ubi ait : *Novimus quod antiquitus erat quadam Præfectura figura , quam honorariam vocabant , Codicillis ab Imperio ſuper ea collatis : hanc autem ita nominabant , ut nihil aliud niſi purum honorem iis quibus præbebat , conferret.* Evagrius , qui hiftoriam Eccleſiaſticam ſcripſit , eo honore donatus fuerat ; in ejuſdem enim hiftoriæ calce ait : *Mauritius Tiberius nobis Præfecti codicillos miſit.* Quem locum Chriſtophorſonus Interpres omninò pervertit , ut videre eſt apud Valeſium , tam in Notis ad Evagrium , quàm in Præfatione ejuſdem hiftoriæ , ubi egregia

K de

VII.

Conſulatus Clodovæi perperam à Calviſio explicatus.

VIII.


Clodovæi Conſulatus honorarius tantum.

de hac Præfectura habet; sicut & Alemannus in Notis ad cap. 2. historiæ arcanæ Procopii. Eodem itaque modo, quo Evagrius Turo-
nensis, intelligendus, quando de Clodovæi Consulatu loquitur: fru-
straque Baronius hujus nomen inter Consules ordinarios quærebat;
si enim Clodovæus Consul ordinarius fuisset, uti Theodoricus Go-
thorum Rex antea fuerat, Marius Episcopus Aventicensis, seu Lausa-
nensis, qui in Aduis nobili genere natus erat, & in Aventicensi
Episcopatu, Gunthramno Francorum Regi subjecto, annos viginti
& menses octo exegit, ut ostendit Petrus Franciscus Chiffetius in
Præfatione ejus Chronici, ejus mentionem fecisset; & tamen anno
507. Venantium & Celerem Consules proponit, annum sequentem
formula *post Consulatum Venantii*, & annum 509. Importuno Con-
sule notat, quia nempe Consulatum Anastasii Augusti III. & Ve-
nantii Decii, qui in annum 507. competit, omisit. Quare cum Ma-
rius eo sæculo, quo Clodovæus, vixerit, & inter Consules ordina-
rios illum non recensuerit, patet Consulatum ejus tantum honora-
rium fuisse. Cæterum variæ quidem leges ab Anastasio Imperatore
datæ, in Codice Justiniano leguntur, nulla tamen Consulibus an-
norum 508. & 509. consignata reperitur. Unde hæc opinio nec in-
de infirmari, nec confirmari potest.

IX.
*A quo tem-
pore Consu-
latus hono-
rarii nume-
rati.*

Et hæc satis de Consulibus honorariis, quos tam à designatis,
quàm à suffectis distinctos fuisse, quæ diximus satis ostendunt, res-
que extra omnem controversiam esse debet. Quoad locum Dionis, de
quo hujus capituli initio, certum est eum non aliud docere, nisi Se-
verum Imperatorem in Plautiani sibi amicissimi, cujusque filiam
Caracallæ filio in uxorem dedit, gratiam statuisse, ut qui Consula-
ribus ornamentis insigniti fuerant, si deinde Consulatum inirent,
Consules II. dicerentur. Clarissima sunt Dionis verba, qui de Cæ-
sare Octaviano Q. Pedio Collegâ, Consule suffecto creato loquens
ait: *ac tametsi jam ante Consularibus ornamentis decoratus fuerat,*
(nempe Octavianus) *non tamen hunc suum Consulatum secundum num-
capavit. Idque in simili re in omnibus deinceps usque ad nostra tempora
observatum est. Primus enim omnium Severus Imperator cum Plautia-
no honores Consulares tribuisset, eumque deinde in Senatum adscrip-
tum, Consulem faceret, iterum Consulem esse dixit. Idque exemplum
alii deinceps sequuti sunt. Porro Consulatus suffectos, cum quibus
Baronius honorarios confundit, numeratos fuisse, ex eo patet, quod
Claudius, qui cum Caio Caligula, hujus Imperii anno primo Con-
sul suffectus fuerat, cum Consulatum ordinarium iniiit, Consul II.
dictus*

dicitur eſt , ſicuti & Veſpaſianus , qui quia ante Imperium Conſularum ſuffectum egerat , ut ait Suetonius in ejus vita cap.4. cum factus Imperator Conſulatum ordinarium cepſſit , Conſul II. in Faſtis , Numinis , & Inſcriptionibus nuncupatus eſt , Cujus rei non deſunt alia exempla . Et hæc de Conſulatibus deſignatis & ſuffectis , à Cæſaribus & Auguſtis geſtis .



P A R S S E C U N D A .

De Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus ordinariis , horumque Regulis .



REPlicato tertio Aureliani Auguſti Conſulatu , in Inſcriptione Foro-Julienſi memorato , majus nunc aliquid audendum , quærendaque ratio , non tantum cur is Imperator , non plures aut pauciores , quam tres Conſulatus ordinarios , ſed & reliqui omnes , tam Cæſares , quam Auguſti deſerminatum Conſulatum numerum inierint , cujuſque in particulari cauſâ assignatâ . Res quidem denſiſſimis tenebris circumfuſa , ideoque huc uſque intentata ; ſed Regularum à nobis obſervatarum beneficiô in manifeſtam lucem , uti ſperamus , proferenda . Sex hæc ſunt , quarum uſum & praxim , eorundem Conſulatum Rationarium infra exhibendum oſtendet .

I.
Proponuntur ſex Conſulatum Cæſareorum regula.

Prima Regula , Imperii aſpicium . Secunda , Quinquennialium , & id genus feſtorum celebratio . Tertia , Cæſarum & Auguſtorum in eadem dignitate Collegium . Quarta , Expeditiones militares . Quinta , Triumphus . Sexta , Ludi Seculares , aliæque actiones , majori pompâ & ſolemnitate fieri ſolita . Quas ob ſex cauſas Conſulatus à Cæſaribus & Auguſtis ſumptus , ut ſigillatim videbitur .

II.

C A P U T P R I M U M .

Imperii aſpicium , prima Cæſareorum Conſulatum regula .

IAm à viris doctis obſervatum , novos Principes proximis poſt ſuſceptum Imperium Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium

I.
Triplex Imperii Romæ

K 2 inire

ni admini-
strati forma.

inire solitos fuisse. Sed id magis nunc explicandum, nihilque, si fieri valet, prætermittendum ex iis, quæ primum Cæsarum aut Augustorum Consulatum, aut qui aliquo modo ita appellari potest, illustrent. Quamobrem animadvertendum triplicem fuisse administrandi Imperii Romani formam. Prior ab Augusto introducta ad Marcum usque Aurelium, annunquæ Christi centesimum sexagesimum primum continuata, in quâ vel soli Augusti & Imperatores Rempublicam Romanam administrabant; vel iidem cum uno Imperii Collega, qui non tantum Tribunitiâ potestate, & Proconsulari extra Urbem Imperio potiebatur, sed & non minus quam Augusti ipsius Imperatoris nomine exornabatur. Erant & alii Cæsares, quorum aliqui Tribunitiâ potestate exornati, alii non item, neutri tamen Imperatorio nomine appellati. Secunda Imperii Romani forma à Marco Aurelio cœpit, & in Constantio Chloro, & Galerio Maximiano desit. In ea fuere plures Augusti simul eodem tempore regnantes. Marcus enim, statim ut Imperium adeptus est, Lucium Verum non Collegam Imperii, quam ipsemet dignitatem gesserat, sed Augustum dixit, ut docet Spartianus in Hadriano cap. 24. ubi de Marco Aurelio, & Lucio Vero loquens ait: *Hi sunt qui postea duo pariter Augusti primi Rempublicam gubernarunt.* Item in Ælio ejusdem Lucii patre cap. 5. *Ejus filius est Antoninus Verus, qui adoptatus est à Marco. Verus cerè cum Marco aequale gessit Imperium. Nam ipsi sunt qui primi duo Augusti appellati sunt; & quorum Fastis Consularibus sic nomina præscribuntur, ut dicantur non tantum duo Antonini, sed duo Augusti, tantumque huius rei & novitas, & dignitas valuit, ut Fasti Consulares nonnulli ab his sumerent ordinem Consulatum.* Sub Severo autem primum tres Augusti visi, ipsemet nempe Severus ac Caracalla, & Geta ejus filii, quorum simultaneum Imperium à Tertulliano Imperii triplex virtus appellatur. Præter Augustos in hac secunda regiminis forma, Cæsares etiam fuere, ex quibus aliqui Tribunitia potestate decorati, alii eo honore non affecti, utrique tamen, Imperatorio nomine donati, licet non statim, sed post aliquod tempus, quàm ad eam dignitatem evecti fuerant. Id patet ex nummis & Inscriptionibus, in quorum nonnullis ii, Cæsares tantum, in aliis Cæsares, & Imperatores dicuntur; verbi gratia, Caracalla in quibusdam Numismatis dicitur, Μ. ΑΥΡΗΛ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CΕΟΤΗΡΟC. ΚΑΙC. id est, *Marcus Aurelius Antoninus Severus Cæsar*, in aliis, ΑΥΤ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CΕΒΗΡΟC ΚΑΙC. Id est, *Imperator Antoninus Severus Cæsar*. Sic Geta, Π. CΕΠΤΕΙΜΙΟC ΓΕΤΑC ΚΑΙCΑΡ ΤΡΑΤΟC ΤΟ Β. Id est, *Publius Septimius Geta Cæsar Consul I I.* In aliis

aliis legitur : Α Τ Τ Ο C . Π . C Ε Π Τ . Γ Ε Τ Α C . Κ Α Ι C . Id est, *Imperator Publius Septimius Geta Cæsar*. Fuere & in hac secunda administrationis Imperii forma Collegæ , quemadmodum in Priori, sed paucissimi ; hucusque enim unicum Commodum Marci Aurelii filium Proconsulari Imperio , antequam Augusteâ dignitate donaretur , positum fuisse reperi ; idque quinquennialium & id genus festorum beneficio , ut infra suo loco dicitur. Quanto porrò tempore Cæsares postquam eam dignitatem consecuti fuerant , Imperatores vocari tardarent , mihi adhuc incompertum. Nec mirum eos Imperatores vocatos fuisse , cum ii , qui in prima regiminis forma Cæsares, Collegæ Imperii , & Imperatores tantum erant , in hac secunda dicti sint Augusti. Quare ex æquo utrorumque dignitas aucta. Tertia denique Reipublicæ Romanæ administrationis forma à Constantio Chloro & Galerio Maximiano Augustis anno Christi trecentesimo quinto inducta, tunc quippe Imperium inter multos , quasi hæreditas quædam divisum , antea enim licet plures simul imperarent , nulla tamen facta fuerat ejus divisio , cum nec Provincias , nec Legiones Augusti inter se partiti essent. Eusebius libro octavo cap. 13. Diocletiani & Maximiani Herculi abdicatione narratâ , ait : *Vix hæc gesta fuerant , cum Imperium Romanum totum in duas partes divisum est ; quod quidem nunquam antea factum esse memoratur*. Hanc Imperii divisionem ægerrimè tulit Roma, unde Porphyrius in Panegyrico carmine ad Constantinum Magnum , ita cum alloquitur.

*Et reparata jugans mæsti divortia mundi
Orbes junge pares : det leges Roma volentes
Principe te in populos.*

De hac divisione plura Valesius in præfatum Eusebii locum ; ante eum enim , nec ea , administrationis forma, sicuti nec huc usque prima licet Collegarum Imperii notitia utilissima satis explorata. Hæc tertiâ formâ durante , non solum plures Augusti , uti in præcedenti , & plures Cæsares visi , sed etiam Nobilissimi , qui infra Cæsares erant , inducti. Eo Honore Aniballianus à Constantino Magno, uti habet Zozimus lib. 2. donatus , qui addit eam dignitatem ab eodem Constantino inventam. Non loquor hîc de aliis dignitatibus, uti Despotæ, Sebastophori & Sebastocratoris , quia eæ , Fastis Consularibus Romanis jam abolitis , institutæ sunt ; ideòque ad rem nostram non faciunt.

Claudius , qui anno Christi quadragesimo primo , rei Romanæ præesse cœpit , primus ex Augustis hunc morem invexit , ut ii primis post intum Imperium Kalendis Januariis Consules ordinarii

K 3 procederent;

II.
*A Claudio
initio Imperii
Consulatus
suscepimus*

procederent; quod postea in triplici administrati Imperii forma à nobis explicata, ut plurimum observatum fuit, licet non defuerint, uti Alexander Severus, Caracalla consors Imperii à Patre renunciatus, Licinius, Galerius Maximinus, aliique quidam, qui eum morem non servarint. Idem factitatum à Cæsaribus, Collegisque Imperii, ut percurrenti factos liquebit. Imò Consularis dignitas nota erat quæ ostendebat ali eos in spem Imperii, & ad illud destinari. Quod disertis verbis docet Spartianus in *Ælio Vero* cap. 5. ubi postquam narravit Consulem eum creatum fuisse, in annum nempe 136. addit: *& quia erat deputatus Imperio, iterum Consuli designatus est.* Nuncupatus est itaque *Ælius Verus* Cæsar anno, quo Consulatum primum ordinarium gessit, at propter Cæsaream dignitatem, qua eo anno ornatus est, iterum Consul ordinarius sequenti fuit. Quoad Nobilissimos, hòc etiam tandem honore, sicuti Cæsares, donati: inter quos primus fuit Varronianus, Joviani Imperatoris filius, qui anno 364. Patris Collega anno nomen dedit; cum enim ut docet Themistius in orat. Consulari, quam Kalendis Januariis eidem Imperatori in Urbe Ancyra Consulatum ineunti dixit, Jovianus Varronianum patrem sibi in Consulatu Collegam adsciscere decrevisset, isque dum iter faceret, obiisset, Varronianum filium suum sibi loco ejus adjunxit, qui quidem admodum parvulus erat: *cujus vagium*, inquit Ammianus lib. 25. ubi de Joviano Consulatus possessionem ineunte loquitur, *pertinaciter reluctantis ne in Curuli sella veheretur ex more, id quod mox accidit, portendebat*, brevitatem nempe Imperii, cum paucos post menses idem Imperator obierit. Ab eo tempore, qui Nobilissimi pueri, Consules etiam designati sunt, eorumque nomen in Fastis expressum hoc modo: *Honorius N P. & Evodius.* Qui in consortium Imperii à patribus vocati fuerant, non tantum anno sequenti Consules ordinarii procedebant, sed illis etiam è vita abeuntibus, quasi novum Imperium inchoarent, proximo post eorum mortem anno, Consulatum iterum edebant, quod Factorum dispositio manifestum facit. Observatu quoque dignum Gallienum, patre in captivitate adducto, ubi solus regnare cœpit, Consulatum iniisse, & Constantinum Magnum, victo Licinio, Constantiumque ejus filium, fratribus mortuis, Magnentioque debellato, ubi uterque Monarchiam inchoavit, uti in novi Imperii initio, rursus Consulatum suscepisse: Quod Augusti exemplo factum videtur, qui ubi solus imperare cœpit, Consulatum capessit. Ad hæc Tyranni, qui Imperium usurparunt, quod sæpius contigisse, historiarum Augustarum scriptores docent, ut magis illud firmarent, se in annum sequentem Consules designare

seu de Consulibus Casareis.

81

signare solebant. Sic Magnentius, qui anno 350. die XV. Kal. Februarii, occiso Constante, Imperatorem in Gallis se dixerat, anno sequenti cum Gaisone collegâ Consul processit, quemadmodum Libellus de Præfectis Urbi, nos docet. Cujus rei alia exempla prima parte cap. 8. Num. VI. attulimus. Denique ex Imperatoribus ac Tyrannis aliqui, exemplo Trajani, non nisi secundo Imperii anno tra-beam Consularem sumpserunt, uti Constantius & Constans, Constantini Magni filii, aliique quidam. Ac nescio an semper cum Imperio Consulatus ordinarius à Senatu deferretur, cum Sidonius in Panegyrico Aviti, qui in Galliis levatus Imperator, à Romanis & evocatus & susceptus fuerat, ad Senatum loquens dicat :

*modò principe surget
Consule, nempe patre, collatos cornere fasces
Vos juvat, & sociam, sceptris mandasse Curulem.*

Porro hujus moris rationem assignare non adeo facile. Plinius in Panegyrico Trajani, qui de more Prædecessorum proximis post susceptum Imperium Kalendis Januariis annum aperire noluerat, illam indicare videtur; cap. enim 58. ait: *Contigit ergo privatis aperire annum, Fastosque referare: & hoc quoque reddita libertatis indicium fuit, quòd Consul alius, quàm Caesar esset. Sic exactis Regibus cepit liber annus. Sic olim servitus pulsa, privata Fastis nomina induxit.* Consulatus itaque assumptione Imperii possessionem inibant Imperatores, ideoque sub Trajano, qui illum recusavit, visa fuit restituta Respublica, quæ nata erat, quando privatis mandatus Consulatus fuit. Res autem ita se habebat: novi Imperatores quando purpuram sumebant, vel unum ex suffectis Consulatus, jam eo anno privatis destinatum, in se transferebant, quod quidem rarius contigit; vel Consulatum ordinarium sequentis anni, licet aliis etiam destinatum, adventantibus Kalendis Januariis inibant. Cæteri Consulatus ex Prædecessoris destinatione manebant, uti ex Tacito parte 1. cap. 5. num. 1. ostendimus. Hinc est quod idem Plinius cap. 57. de Trajano ait: *Consulatum recusasti, quem novi Imperatores destinatum aliis in se transferebant.* Ex quibus patet Imperatores illos, qui initio Imperii Consules huncupantur quando post Kalendas Januarias Consules processere; si prioris Consulatus nullum vestigium extet, eundem iniisse paulò post ejectionem ad Imperium. Sic v. g. Macrinus Augustus dicitur in Nummis Consul I L. licet primi ejus Consulatus nullus meminerit, alterque inter Eruditos in controversiam vocatus sit. Juxta eam tamen regulam res facilè deciditur. Adepto Imperio,

III.

*Hujus moris
ratio obscura.*

perio Consulatum suffectum arripuit, seque in annum sequentem, Christi nempe 219. Consulens ordinarius designavit. Verum quidem est Onuphrium lib. 2. Factorum difficultatem hanc aliter explicare, ac dicere Macrinum antequam ad Imperium promoveretur, Consulens suffectum fuisse, anno 218. quo Imperator dictus est, secundum Consulatum pariter suffectum suscepisse, annoque sequenti non ipsum, sed filium Diadumenianum Consulens ordinarius processisse. Sed non ferenda hæc explicatio; licet enim incertum sit, an primum Consulatum ante, vel post initum Imperium capessierit, certum tamen solitos non fuisse Imperatores, qui suffectum tantum Consulatum antea gesserant, novum Consulatum suffectum post adeptum Imperium assumere, ac ordinarium negligere. Sed hac de re pluribus supra actum.

IV.
Usus & utilitas hujus Regula.

Hæc prima Consulatum Cæsareorum regula sic explicata ad Imperatorum initium, quorum Natalitius Imperii dies ignoratur, rectè constituendum, non rarè utilis esse poterit; licet enim se ipsa solà id certò præstare non possit, cum aliis tamen adminiculis sufficiens est. Sic Petavius in Chronico, Valeriani & Gallieni Imperium anno 254. malè inchoasse, existimandi locus; quòd eo anno uterque Consul ordinarius fuerit: is enim Consulatus indicat anno præcedenti eos electos Imperatores, ac subsequenti de more novorum Principum Consules processisse. Ex ea igitur regula dubium illud nascitur, & ex dubii discussione veritas emergit; docent siquidem historici Romani annos quindecim Gallienum imperasse, ac anno 268. ante nonum Kalendas Apriles interfectum fuisse. Unde colligimus anno 253. Imperatorem creatum, alioquin quatuordecim tantum annos imperasset. Sic etiam initium Imperii Maximiani Herculi malè à quibusdam viris doctis anno 285. collocari, Consulatus ab eodem anno 287. gestus ostendit, & Tribunitia ejus Potestas in Inscriptionibus expressa, ut infra videbimus, evincit. Sic denique errasse comperimus eos, qui Eusebium aliosque Antiquos sequuti scripsere Decium non integro biennio regnasse, qui que ideo anno Christi 250. Imperium arripuisse volunt. Nam cum eo anno Gratò Collega Consul ordinarius in fastis legatur, magna nobis ingeritur dubitatio, ne Consulatus is post initum Imperium de more novorum Principum ab eo susceptus fuerit: reque in examen vocata, Decium anno 249. Imperatorem dictum fuisse nobis constat. Hujus regulæ utilitatem usus magis confirmabit.

CAPUT SECUNDUM.

Quinquennalia, & id genus festa, de quibus generatim agitur, secunda Consulatum Casareorum regula.

Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, & id genus festa magnâ pompâ ab Imperatoribus Romanis celebrari solita, huc usque valdè obscura; licet iisdem duo magni viri, alter in Gallia, alter in Italia, quorum neuter alterius opus viderat, non parvam lucem affuderint, Carolus nempe Dufresnius Dissertatione de Numismatis inferioris ævi, & Henricus Norisius è familia Augustiniana Dissertatione singulari de votis decennialibus. Cùm ea solennia à Cæsaribus, vel Imperatoribus Consulari trabeâ indutis, quod nemini hætenus observatum, peragi solerent; indeque secunda Consulatum Casareorum regula deducatur, penitiores earumdem festivitatum recessus perscrutari nobis incumbit, ac ostendere quantum sacra, profanaque historia, per quinque circiter sæcula, accuratâ earum cognitione illustrari possit. Et primò quidem quod ad earum institutionem spectat, ea certa & indubitata. Dio enim lib. 53. docet Octavianum Augustum septimum Consulatum gerentem, anno nempe Juliano 19. Romani Orbis Imperium in decennium capeffisse: *Ei cum primum decennium exivisset, aliud quinquennium, atque eò circumactò rursus aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito aliud iterum decretum est: ita ut continuatis decenniis, per totam vitam Imperii summam obtinuerit.* Scribit Censorinus cap. 21. de die Natali id contigisse *ex ante diem decimum sextum Kal. Februarii.* Ovidius verò libro primo Fastorum, Idibus Januariis. Sed ut rectè observat idem Norisius cap. primo, magis credendum vetustæ Inscriptioni Narbonensi Augusto dicatæ, & à Grutero pag. 229. relatæ, in qua legitur.

I.
Origo Quinquennialium
& id genus festorum.

Primum Imperii Augusti decennium.

VII. QUOQUE. IDUS. JANUAR. QUA. DIE. PRIMUM.
IMPERIUM. ORBIS. TERRARUM. AUSPICATUS.
EST. THURE. VINO. SUPPLICENT. ET.
HOSTIAS. SINGULAS. IMMOLENT.

Qua de re videndus etiam Usserius in Annalibus Veteris &
L Novi

novi Testamenti anno mundi 3977. ubi Monarchiæ Romanæ eo die inchoatæ primordia accuratè explicat. Datū tunc Octaviano *Augusti* cognomen, omneque populi, senatūque Imperium ad eum translatum.

II.

*Imperium
Augusto in
Quinquen-
nium dati.*

Anno Juliano vigesimo octavo, cum primum Imperii decennium ad exitum jam tenderet, Augustus in aliud quinquennium, suum sibi principatum prorogavit: & M. Agrippæ, cum ælia ferè eadem quæ sibi, tum Tribunitiam potestatem ad idem quinquennium dedit, ut testis est Dio lib. 54.

*Datum &
in alterum
quinquen-
nium.*

Dein anno Juliano tricesimo tertio, Agrippæ in aliud quinquennium Tribunitia potestas ab Augusto prorogata. Ita Dio lib. 54. qui de potestate eidem Augusto in alterum quinquennium data non loquitur; sed cum jam decennium & quinquennium transacta essent, hanc ei hoc anno attributam, minimè dubirandum.

Eodem anno, Lepido Pontifice Maximo demortuò, Augustus in ejus locum Pontifex Maximus factus est, quemadmodum Suetonius in Octavio cap. 31. & Dio lib. 54. testes sunt, idque *pridie Nonas Martias*, ut in lib. 3. Fastorum indicat Ovidius.

*Datum &
in tertium
decennium.*

Anno Juliano 38. Augustus, ut docet Dio lib. 55. altero decennio ad finem jam accedente Reipublicæ constituendæ potestatem quintò in Decennium ex Senatus Consulto accepit. Eodem anno annum à Julio Cæsare ordinatum, sed postea negligentia conturbatum, atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit, & in ea ordinatione sextilem mensem è suo cognomine nuncupavit. Ita Suetonius in Octavio cap. 3. & Dio lib. 54.

Eodem anno Romæ secundus civium census actus est, ut ex An-cyrani lapidis fragmentis, quæ apud Gruterum pag. 230. extant liquet.

Herodes Templi Hierosolymitani à se instaurati Encœnia celebra- vit ipso regni (à Senatu primùm accepti) die Natali, quem anniver- saria hilaritate solitus erat colere; ubi Rex boves trecentos, alii pro suis quisque facultatibus victimas innumeras Deo maectaverunt. Ita Josephus lib. 15. Antiquit. cap. ult. qui cum asserat Herodem anno Regni sui *decimo octavo*, ab exitu nempe Antigoni numerato, Judæis consilium suum de instaurando Templo hierosolymitano proposuisse, & materiam ad tantum opus aggrediendum necessariam per aliquod tempus comparasse, manifestè deducitur magnificum illud ædifi- cium anno Juliano vicesimo octavo, quo in aliud quinquennium Principatum Augusto prorogatum, ædificari cœptum esse. Anno enim nono Juliano ineunte Antigonus victus, & Hierosolyma ab Herode capta, annusque 28. Herodis, anno Juliano 26. inchoatus. Ex quo constat præfato anno quo Augusto potestas in novum quinquennium continuata

continuata templi Hierosolymitani jacta fuisse fundamenta , quod magis alias examinabitur.

Anno Juliano quadragesimo nono, qui cum Eræ Christianæ quarto concurrir, tertio jam decennio completo , in quartum decennium Augustus Imperium suscepit. Ita Dio lib. 55. addens , eum Tiberium adoptasse , ac Tribunitia potestate ad annos decem data, eum in Germaniam ablegasse , eique Germanicum Drusi fratris filium adoptandum dcd. sse.

*Quartum
decennium
Imperii Au-
gusto tribu-
tum.*

Denique anno Juliano quinquagesimo octavo , qui Christi decimus tertius erat , idem Augustus Reipublicæ administrationem in decennium jam quintum accepit, Tiberio potestas Tribunitia prorogata , Drusoque hujus filio potestas Consulatus tertio anno , etiam non gestâ Præturâ petendi concessa , ut author est Dio lib. 56. At non diù supervixit Augustus , die enim decima nonâ Augusti anni sequentis in fata concessit. Porro ineunte singulo decennio vota pro ejusdem incolumitate nuncupabantur , & decennio evoluto solvebantur & in proximum decennium iterabantur ; atque hinc decennalia Imperatorum originem duxisse tradit Dio lib. 53.

*III.
Quintum
decennium
Imperii Au-
gusto tribu-
tum.*

Quam ob causam posteriores quoque Imperatores , etsi non ad certum tempus , sed per omne visa spatium iis Imperium deferatur , tamen singulis decenniis festum pro ejus renovatione agunt , quod hodie etiam fit. Norisius loco laudato dicit Cæsarum quinquennalia exordium sumpsisse , ex eo quod Augustus exacto priori decennio in quinquennium rursus Imperium regendum suscepisset , altero ejusdem quinquennii anno , ex Dione lib. 54. *L. Domitio & P. Scipione Coss. V.C. 738. Agrippa Ludos quinquennales propter ejusdem Principatum dedit.* Sed Ludi illi Aëtiaci erant anno Juliano decimo octavo propter Aëtiacam Victoriâ decreti , de quibus idem Dio lib. 53. Et tamen non nisi anno Juliano decimo nono, uti diximus, Romani Orbis Imperium Augusto in decennium concessum. Deinde Ludi illi sub Domitii & Scipionis Consulatu ab Agrippa editi incidunt in annum Julianum tricessimum, quô præfatum Imperium Augusto prorogatum non est ; sed tantum anno Juliano vicesimo octavo , & tricesimo tertio, quemadmodum jam à nobis observatum. Ludi itaque ii ad rem istam non faciunt. Neque alia Quinquennialiorum , quàm Decennialiorum origo. Quæ iis annis , quibus Imperium Augusto prorogatum , acta fuisse, insinuavi , quod animadverterim reliquos Imperatores in Quinquennialibus , & id genus festis , eadem quæ Augustum , proportionem servatâ , præstitisse ; hisque annis Tempia ædificata , vel dedicata, nova oppida extructa, filios in Imperii consortium vocatos , Edicta in fa-

*Quinquennialia Imp-
perii non
ducunt à lu-
dis quinquen-
nialibus
Aëtiacis.*

vorem Religionis, vel boni publici emissa, aliaque id genus præstita: quæ omnia cum ad hæc solemnia relationem habere, nullus hætenus observasset, obscura remansere, quasi ceremoniæ nullius utilitatis, licet, ut infra demonstrabimus, historia, Chronologiaque, ex iis summa emolumenta hauriat.

IV.
Quinquennialia, & huiusmodi festa generatim explicata.

Hæc itaque Solemnia festa erant, quæ incipiente, vel finiente Quinquennio, die nempe primo anni quinti, vel sexti Imperii celebrabantur cum sacrificiis, votis solemnibus, ludis Circensibus, & scenicis, ac munere gladiatorio. Atque ante Commodi Imperatoris tempora, uti observavit Onuphrius lib. 1. Fastorum pag. 175. dicebantur decennialia prima, vel secunda, vel tertia, quæ decimo, aut vicesimo, aut tricésimo Imperii anno celebrabantur. Post Commodum verò Decennialia, quæ primo, Vicennialia, quæ secundo, Triennialia, quæ tertio Imperii decennio fiebant dici cœpta. Quinquennialia semper prima, secunda, tertia, quarta, & quinta appellata. In ipsis Imperii auspiciis vota pro Imperatoris salute in Decennium suscipiebantur, annoque Imperii quinto solvebantur, aliaque nuncupabantur in sequens Quinquennium. Quo fit ut in Numismatis Pupieni, Bolbini, Maximini, Volusiani, Decii, Pertinacis, Galli, & aliorum legatur: VOTIS DECENNALIBUS; licet nullus eorundem Imperatorum quintum Imperii annum attigerit, imò ex iis quidam paucos tantum vixerint menses. Quare ea verba aliud non designant, quam vota, quæ in ipsis Imperii auspiciis in decennium suscipi solebant. Vota autem Quinquennialia vel Decennialia in hæc ferè verba ad Aram Jovis Capitolini concipiebantur: *Preces posco Iupiter, uti soles, volens propitius in decennium N. Augusto; quod si faxis: tunc tibi votum Bove aurato vovemus esse futurum. Ludis Circensibus vovemus esse futurum. Ludis gladiatoris vovemus esse futurum &c.* Ut videre est apud Onuphrium & Norisium locis laudatis. Ex epistolis porro Plinii Junioris, præsertimque centesimâ primâ, & centesimâ secundâ libri decimi colligitur ea vota tam in exercitibus, quam Provinciis nuncupata fuisse. Is enim Trajano Imperatori scribit: *Vota Domine priorum annorum nuncupata alacres lætique persolvimus, novaque rursus curante Commilitonum & Provincialium pietate suscepimus, precati Deos ut te, remque publicam florentem, & incolumem ea benignitate servarent quam super magnas plurimasque virtutes præcipuâ sanctitate obsequi Deorum honore meruisti.* Plinio Trajanus respondit: *Solvisse vota Diis immortalibus te præeunte pro mea incolumitate cum Provincialibus latissimo consensu, & in futurum nuncupasse libenter mihi Secunde carissime cognovisti*

litteris tuis. Ex quibus & liquet in iis votis longam vitam Imperatori, securitatem Imperio, domui Augustæ amplitudinem, exercitui virtutem, Senatui fidelitatem, pacem mundo, & victoriam adversus hostes, quod ex posteriorum Imperatorum nummis evidentiùs deducitur, populos petiisse.

Augustorum Decennalia in nummis Antonini Pii primùm sculpta visuntur, num in decessorum Principum Numismatibus eadem Vota signata fuerint, infra dicam, Quinquennalia in nummis Postumi, qui anno 261. Imperium in Gallis arripuit primùm apparent. Spanhemius enim Dissertatione 7. de usu & præstantia Numif. nummum Postumi exhibet, in quo legitur: **QUINQUENNALES POSTUM. A U G.** Sed ea post Constantini Imperium in Nummis Cæsarum frequentissimè occurrunt.

Tradendi nunc aliqui canones, quibus tutò in hac materia huc usque parum cognita, & non nisi jejune ac exiliter tractata, dirigi possimus. **PRIMUS CANON.** *Quinquennalia, Decennalia, & id genus festa, modo anno quinto ineunte, modo anno quinto exeunte, vel anno decimo incipiente, vel eodem completo, indiscriminatim celebrantur.* Hoc nos docet Series Consulium Cæsareorum. Imperatores enim ac Cæsares, uti infra ostendetur, annis quibus hæc sollemnia edere decreverant, Consules procedebant, post Commodum quidem, ferè semper; ante eum verò, non rarò, ut infra in Rationario Consulatum Cæsareorù observare est. Quare cum in Fastis iidem Imperatores aut Cæsares, modò anno Imperii quinto, modò anno Imperii sexto Consules legantur, manifestum est ea sollemnia (quæ brevitatis causâ, solo in posterùm Quinquennialiorum aut Decennialiorum nomine indicabimus, cum eadem omnium par ratio sit, eodem anno quinto vel ineunte, vel finiènte peracta fuissè. Hoc probationis genus licet hætenùs ignoratum, eorundem Fastorum dispositio ostendit esse validissimum. Ex quo sequitur Onuphrium libro primo Fastorum pag. 175. ubi tradit hæc sollemnia, die primo undecimi anni Imperii, seu expleto Quinquennio, vel Decennio fuissè celebrata, valde errasse, decennialiaque, ac Vicennialia Imperatorum non nisi fortuitò re-ætè ordinasse, cum regula fallaci usus fuerit, & unâ eademque semper ratione ea digesserit. Id Onuphrius Sirmondo persuaserat; is enim hos Sidonii de Imperatore Majoriano in Epigrammate, quò ab eo trium capitum remedium postulavit, versus explicans.

*Multos purpura vestiat per annos
Sic lustro Imperii perennis æto,
Quinquennalia fascibus dicentur.*

L ;

Hinc,

V.
Quinquennialiorum
Canon primus.

Hinc, inquit Sirmundus, videre est *Quinquennalia*, *Decennalia*, & cetera id genus non ineunte, sed peracto ultimi anni circulo celebrari consueffe. Quod docet etiam locus Marcellini lib. 15. Qui infra n. XII. à nobis explicabitur. In eadem sententia Scaliger lib. 5. de Emendat. temp. fuit, sicuti & Norisius, nisi quod hic capite quarto Dissertat. de Votis Decennialibus docet Caracallam primum Romanorum Principem statum Vicennialium tempus antevertisse, annoque Imperii vicesimo celebrasse; *Qua*, inquit Norisius, *ineunte anno XXI. veteri more celebrari debuerant*. Sed licet verum sit Caracallam anno Christi 217. anno Imperii vivente Patre suscepti vicissim inchoato vicennalia edidisse, quemadmodum videre est in Rationario Consulatum Cæsareorum, non inde tamen sequitur ex ejus decessoribus plures non idem præstitisse. Contrario errore peccavit Valsius in Annotationibus in Orationem Eusebii de Laudibus Imperatoris Constantini in ejus Tricennialibus habitam, ubi ait: *Imperatores Romani Quinquennalia, Decennalia, ac Vicennalia sua celebrabant die primo quinti, decimi, aut vicesimi anni Principatus sui. Quippe hæc vocabula nihil aliud significant, quam Natalem Imperii, qui quinto quoque anno, ac decimo recurrente, maxima pompa ac festivitate celebrabatur.*

VI.
A quibus
hæc festa ce-
lebrata.

CANON SECUNDUS. *Quinquennalia, & id genus festa non solum ab Augustis, sed etiam à Collegis Imperii, ac à Cæsaribus, non tamen à Nobilissimis Pueris celebrata.* De prioribus nulla difficultas esse potest: illud solum observandum bis eisdem ea festa celebrasse, si viventibus Patribus in consortium Imperii adsciti fuissent, iis enim defunctis quasi novum Regnum inchoarent, proximis Kalendis Januariis Consulatum sumebant, & evoluto quinquennio, *Quinquennalia* edebant. In hoc arcanum Bulengerus libro tertio de Romano Imperatore capite primo, non penetrat, quandò scripsit: *Marcellinus Comes Theodosius octava, nona quinquennia celebravit, Theodosius Junior decennalia. Non satis video, qui Theodosius Major octava, & nona quinquennalia celebravit, cum vix triginta annos ad Imperii gubernacula sederit. Augustus certe octava quinquennia potuit agere, non alius.* Sed perperam, Theodosius enim Junior, qui anno 402. in Imperii consortium ab Arcadio patre adscitus est, quique ad annum usque 450. imperavit, nona quinquennia edere potuit; sed Bulengero, qui hæc solemnia ab anno tantum 408. quò patri demortuo successit, repetebat, id impossibile videbatur; quod tamen consuetudinem tulisse, exempla in Fastis ordinandis adducenda ostendent.

Quoad Imperii Collegas, in prima & secunda regiminis Imperii Romani

Romani forma eodem Imperii Proconſularis Quinquennalia & Decennalia edidiſſe Faſtorum diſpoſitio oſtendit. Titus enim, verbi gratia, qui anno Chriſti ſeptuageſimo primo Tribunitiâ poteſtate à Veſpaſiano Patre donatus, & in conſortium Imperii vocatus eſt, anno 76. ac rurfus anno 80. Conſul proceſſit, ad Quinquennalia nempe & Decennalia agenda. Quod & de Trajano videre eſt in Rationario Cæſareorum Conſulatum. Major difficultas de Cæſaribus in eadem prima regiminis forma. Sed eos hæc ſolemnia, licet cum minori pompa; celebræſſe certum. Domitianus enim, qui ſub finem anni Chriſti ſexageſimi noni dictus eſt Cæſar, anno ſeptuageſimo tertio Conſul ordinarius fuit. Et Nero, qui anno Chriſti 51. eadem dignitate ornatus eſt, anno ſexageſimo ejuſdem Eræ Conſul ordinarius proceſſit, qui Conſulatus non niſi Quinquennialibus, & Decennialibus, dicari. Unde ſicuti Imperatores ipſo Imperii initio, ſinguliſque poſtea Quinquenniis, donativum militibus dabant, ut infra videbitur, ſic & Cæſares. Illud docet de Nerone Tacitus libro 12. ubi poſtquam retulit Principem Juventutis eum appellatum fuiſſe, ſubjungit: *Additum nomine ejus donativum militi, congiarium plebi & ludicro Circenſium, quod acquirendis vulgi ſtudiis edebatur.* Nec enim major ratio, cur tunc donativum illud militi fecerint, uti Auguſti, non verò quinto anno, eorum exemplo. Sed id de Nobiliſſimis pueris dici non poteſt, ut eadem faſtorum diſpoſitio manifeſtum facit. Honorius enim, verbi gratia, qui duodecies Conſul ordinarius, dum imperaret, proceſſit, nullum ex iis Conſulatibus geſſit, qui Quinquennialibus, aliisque Feſtis Imperii Auguſtei non reſponderit, ut examinanti patet. Quare nobiliſſimi Pueri hac in re, ſicuti & in multis aliis, Cæſaribus inferiores.

TERTIUS CANON. *Quinquennalia, Decennalia ve legitimo tempore facta eſſe intelliguntur, ſi utroque termino incluſo, quinque vel ſex anni, decem vel undecim, inchoati nempe, numerentur. Extra tempus verò ordinarium facta colliguntur, ſi ab ultimis Quinquennialibus, utroque etiam termino incluſo, vel quatuor, vel ſeptem anni, in Decennialibus verò novem tantum, aut duodecim colligantur; Sic Conſtantinus legitimo tempore Tricennalia Cæſarei Imperii anno Chriſti 353. celebravit, quia ab anno Chriſti 323. quò Cæſar creatus fuit, ad annum 353. anni ſunt inchoati 31. utroque nempe termino incluſo. Licinius verò Decennalia extra tempus edidit, factus enim fuit Auguſtus anno Chriſti 307. tertio Idus Novembris, eaque ſolemnia, ut videbimus, anno 315. quo nonus Imperii annus inchoabatur, celebravit. Et hæc certa. Difficultas tantum eſſe poteſt, an verbi gratia Gallienus*

VII.

Eorum feſtorum tempus ordinarium & extraordinarium.

Gallienus legitimo tempore Quindecennalia ediderit. Factus fuit Imperator anno 253. circa Junium, anno 262. ut infra ex Pollione videbimus, Decennalia, anno verò 266. ut Consulatus ejus ostendit, Quindecennalia peregit. At ab anno 262. ad 266. anni quidem quinque inchoati numerantur, sed ab anno 253. ad præfatum annum 266. anni tantum quatuordecim inchoati reperiuntur. Dicendum tamen has solennitates non nisi ad ultimam relationem habere; ideoque Gallienum Quindecennalia legitimo tempore edidisse, quia ab anno 262. quo decennalia ediderat, ad annum 266. utroque termino incluso, anni quinque putantur.

V III.
Qua die hæc
festa cele-
brari solita.

QUARTUS CANON. *Quinquennalia à Cesaribus, vel Augustis die Imperii Natali anni quinti, vel sexti incuntes; vel etiam die Natali Collegarum in eodem anno quinto ineunte vel completo, de more celebrata, sed aliquando in similem alterius mensis diem translata, adeo ut exempli causa, qui quinto Kalendas Novembris Imperium obtinuerat; si ea die, ac mense ea solennia representare non posset, non nisi quinto Kalendas alterius mensis ejusdem anni eadem celebraret.* Prior pars, quod nempe die Imperii Natali hæc solennia celebrarentur, licet ante Constantinum Magnum nullo exemplo probari possit; ab eo tamen tempore, non pauca occurrunt, quibus res omninò certa redditur. Ejus ope antequam Lactantii liber de mortibus Persecutorum à Stephano Balusio viro Clarissimo, mihiq; summo amicitiae fœdere juncto in lucem ederetur, Imperii Cæsarei Maximiani Herculi Natali divinaveram, aut saltem me divinasse existimabam. Cum enim mihi persuasissimum esset hunc ex Cæsare Augustum factum fuisse anno 284. qua de re infra, id mense Novembri exeunte contigisse ita augurabar. Eusebius libro 8. historię in Appendice de Martyribus Palestinę cap. 2. dicit Sanctum Romanum ante diem XV. Kalendas Decembris, anno primo Persecutionis Diocletianę, Christi nempe 303. martyrio coronatum fuisse; & uti narravit sancto Martyri linguam abscissam esse, ait: *Post quod supplicium contrusus in carcerem, ac diutissime ibidem maceratus, tandem cum IMPERATORIS vicennalia jam adessent, & ex solemnibus more, universis qui in custodia tenebantur, indulgentia publicè per præconem annunciata esset: . . . martyrio, sicut optaverat, exornatus est.* Neque dubitabam Eusebium intelligendum esse de Vicennialibus Diocletiani, quæ licet decimo quinto Kalendas Octobres, quo, ut docet Chronicon Alexandrinum, Imperium iniiit, celebrari debuissent, dilata tamen fuerant non in diem decimum quintum Kalendas Decembres, quo simili die nuncupatus fuerat Imperator, (cùm tunc ea in propinquo tantum essent, ideoque

ideoque Romanus eò morte affectus fuerit,) sed in aliàm diem ex proximioribus, quem Maximiani Herculii Natalem fuisse suspicabar, cum juxta canonem à me traditum Imperatores has festivitates edere non solerent, nisi vel die Natali, vel Natali Cæsarium cum illis regnantium, vel saltem in similem diem alterius mensis quo Imperium inierant. Cum itaque observarem Diocletianum Vicennalia non celebrasse X V. Kalendas Octobres, nec decimo quinto Kalendas Decembres celebrare potuisse, (nam ut docet Eusebius, ea tunc tantum imminuebant) arbitrabar edita ea fuisse duodecimo Kalendas Decembres, cumque diem Imperii Maximiani Herculii fuisse Natalem. Acta enim Sancti Marcelli Centurionis die tricesima Octobris à Surio relata, qui passus est in Civitate Tingitana in Mauritania anno 299. quo Diocletianus & Maximianus Quindecennalia egerunt, ut infra videbimus, habent : *tam die XII. Kalend. Augustarum apud signa Legionis istius, quando diem festum Imperatoris vestri celebrastis, publica voce respondi me Christianum esse.* Quod Natale non videbatur Diocletiano convenire, cum celebrandum fuisset decimo quinto Kalendas Augusti, si anticipatum fuisset, juxta regulam quam explicamus. Neque etiam eo die idem Maximianus à Diocletiano Cæsar creati potuerat, cum anno 284. XII. Kalendas Augusti nondum Diocletianus adhuc Imperator esset. Quare suspicabar ideo ejusdem Maximiani, quindecennalia duodecimo Kalendas Augusti in Africa fuisse celebrata, quia duodecimo Kalendas Decembris Cæsar creatus fuerat; neque enim ex collatione loci Eusebii & præfatorum actorum aliud inferendum existimabam: eoque magis quò Diocletianum & Maximianum uno eodemque die Vicennalia edidisse docebat nummus ejusdem Maximiani à Carolo Patino relatus, in quo legitur : VOT XXX. AUGG. ex quo vir doctissimus perperam inferebat, Vicennialium tempus antevertisse, cum inde tantum colligi possit ea ab utroque Augusto eodem die celebrata fuisse, ideoque hunc viceimum tum Imperii annum attigisse, quod aliis argumentis constat. Verum est Carolum Dufresnium in Dissertat. de inferioris Ævi Numismat. num. 40. proferre nummum Diocletiani inscriptum : VOT. XXX. S. ectypumque gemmæ, cui insculptum : VOT. XXX. S. DI. id est, *vota Tricennaliorum suscepta Diocletianum.* Præterea gemmæ aliud ectypon, characteres hosce præferens : MAXI. VOT. XXX. P. id est, *Maximianus vota Tricennaliorum publica.* Quæ videntur significare horum Imperatorum Decennalia diversis temporibus acta fuisse. Sed sicuti Crispi & Constantini Junioris Cæsarium Quinquennalia vota, quæ unà simul soluta sunt,

ut colligitur ex his nummis, in quibus legitur: VOT. X. ~~aut~~ XX. CAESARUM NOSTRORUM; in diversis tamen nummis inscripta leguntur, unius tantum Caesaris nomine expresso, uti in nomine Constantini Junioris: VOTA VICENNALIORUM, & in nummis Crispi in quibus legitur: VOT. XX. pari eademque ratione Triennalia vota suscepta Diocletiani & Maximiani, & in iisdem, & in diversis nummis inscripta fuere, vel cum unius, vel cum alterutrius nomine.

IX. Nec mirum videbatur Diocletianum & Maximianum eodem die Vicennalia celebrasse, licet diversis diebus Imperium sumpserint; cum ex panegyrico Maximiano à Mamertino dicto constet, Natale genuinum utriusque uno eodemque die etiam celebratum fuisse; quod non semel in eadem Panegyri indicatur. Cur enim aliquando eadem die Natale genuinum; Imperii verò semper diversis celebrassent? restituendus porro, ut obiter moneam, eidem Panegyrico legitimus, qui in omnibus fere veteribus Codicibus legitur, titulus: *P. ejusdem Genethliacus Maximiani A. & Diocletiani*: id est, *Panegyricus ejusdem (Mamertini) Genethliacus Maximiani Augusti, & Diocletiani*, cum asserat Orator se de *gemino Natali*, genuino nempe utriusque Imperatoris loqui. Rejicienda enim interpretatio Jacobi de la Baune Societatis Jesu, vir non vulgaris eruditionis, quod nimirum eodem die Diocletianus & Maximianus nati essent. Emendandus pariter locus cap. 19. in quo legitur: *optime igitur sacratissime Imperator, quantum arbitror, hac potissima elegi qua gemino Natali tuo predicarem.* Delendum enim illud *tuo*, vel restituendum *vestro*, uti jam viri docti monuere, constatque ex verbis ejusdem Panegyris sequentibus, imò & ex tota illa oratione genethliaca. Cumque anno decimo Imperii, Christi nempe 293. & quinto decimo; Christi 299. uterque Imperator Consul processerit, suspicandi locus datur eisdem uno eodemque die, diversis tamen in locis Decennalia, & Quindecennalia celebrasse, sicut Natale Genuinum, & Vicennalia simul edidisse constat. Talis itaque mihi ex præfato Canone injecta conjectura, quæ enim afferuntur à viris doctis, quorum ingenia præfatus Eusebii locus summoperè cruciavit, parum me movebant, cum eos falsis fundamentis inniti non dubitarem. Dicunt siquidem aliqui præfatum Eusebii locum mendosum esse, ac loco *Novembris*, legendum esse *Septembris*, quo mense Diocletianus Imperium inierat, quasi Imperatores nunquam aliis mensibus, quam quibus Imperium susceperant, has festivitates edidissent. Alii suspicabantur Diocletianum, uti postea Constantinum, Vicennalia iterasse; aliaque Romæ, alia

alla verò Antiochia exhibuiſſe, quòd cum de Conſtantino falſum ſit, uti infra oſtendam, eam conjecturam pròſus rejiciendam non dubitabam. Alii Eufebii verba ad Maximianum nullo modo referri volebant, quòd eum nunquam fuiſſe Cæſarem exiſtimarent. Dum in ea mente eram, in lucem editus eſt liber Laſtantii de mortibus perfecutorum, qui omnem ſcrupulum ex animo tandem evulſit; cap. enim 17. ait: *Diocletianus perrexit Romam, ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad XII. Kalendas Decembres: qui dies cum non poſſit eſſe Natalis Imperii Diocletiani, nec ab eo eligi ad præſata ſolemnia (decimus enim quintus Kalendas Decembres electus fuiſſet, cum decimo quinto Kalendas Octobris purpuram ſumpſerit) ſequitur omnino ideo Diocletianum duodecimo Kalendas Decembres Vicennalia celebrare, quia eo die Maximianum Herenlium anno 284. Cæſarem nuncuparat. Qua de re pluriſibus infra. Sicque probata etiam manet ſecunda pars Canonis, quæ docet Auguſtos die Natali Cæſarum, aut aliorum Auguſtorum ſecum correignantium natali die hæc ſolemnia quandoque celebrare.*

Scio Baluſium, virum eruditiffimum, hæc Laſtantii verba de Diocletiani Natali interpretari, ac exiſtimare Auctorem Chronici Alexandrini erraſſe, dum ad Conſulatum Carini II. & Numeriani ſcribit: *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octob. Chalcedone renunciatus, V. Kal. Octobris Nicomediam purpuratus intravit, & Kal. Ianuarii tiani. Conſul proceſſit.* Sed hujus Chronici locus à Noriſio diſſertat. de Numiſmate Imp. Diocletiani & Maximiani cap. 1. validè confirmatur; in titulo enim *L. ut nemo invidius lib. 3. Codicis Juſtiniani* legitur: *Imp. Diocletianus Auguſtus Camerio: & in ſubſcriptione, dat. Idibus Octobris Carino II. & Numeriano Coſſ.* nempe anno 284. quare jam Idibus Octobris Diocletianus imperabat, ideoque dies duodecimus Kalendas Decembres, quo Vicennalia celebravit, ejus Imperii Natalis dies eſſe non poterat. Neque id Laſtantius dicit, ſed tantum fuiſſe diem Vicennialium; cum tamen ita explicavit vir doctiffimus, quia cum communi opinione exiſtimavit, non alio die, quàm Imperii Natali ea fuiſſe celebrata, quòd & Noriſius etiam ſentiit, ut loco citato videre eſt. Porro obiter obſervandus Diocletiani in Urbem Regiam ingreſſus dies, V. nempe Kalendas, qui jam ab Auguſto, uti diximus, Principibus Romanis ſumma in veneratione erat; unde & Marcus Aurelius Commodum filium V. Kalendas Novembres in Imperii conſortium adſcivit.

Idatius in Faſtis ſub Conſulatu Conſtantii IX. & Juliani Cæſaris II. anno nempe Chriſti 357. in quem ſeptima ejuſdem Conſtantii Auguſti

X.
XV. Kal.
Octob. natalis dies Imperii Diocletiani.

XI.
Pro eodem quo die Com-
Auguſti

*Adrianus XX.
& XXXV.
edit.*

Augusti Quinquennalia incidebant, hæc habet: *introiit Constantius Aug. Romam IV. Kal. Maias, & edidit XXXV.* de-cujus Romam adventu, pompa, ludisque Circensibus, qui ad hæc septima Quinquennalia referri debent, postquam loquutus est Ammianus lib. 16. ait: *tricesimo postquam ingressus est die, IV. Kal. Junias ab urbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum festinavit.* Constantius anno tricentesimo vicesimo tertio, sexto Idus Novembres Cæsar à Constantino Magno parre nuncupatus fuerat, eoque die septima illa Quinquennalia celebranda fuissent, si, quod hætenus persuasum, Natali semper Imperii die exhibita fuissent. Sed non dubitandum quin die undecima Kalendis Junii, Augustei Imperii Constantii Natalitio, celebrata fuerint. Quod ed magis dicendum, quod Chronicon Alexandrinum scribat: *Constantius Augustus propter Vicennalia sua cum ingenti pompa & apparatu Romam venit, & cum eo uxor ejus Eusebia Augusta, Romaque morati sunt dies XIV.* Eodem itaque die & Augustei Imperii Vicennalia, & Imperii Cæsarei septima Quinquennalia edita, quia, ut in Canone diximus, dies Natales Imperii, vel proprii, vel Collegarum, ac Cæsarum his solemnibus de more dicati. Sed quidquid sit de Vicennialibus, quæ anno præcedenti videntur à Constantio acta, cum Idatius de iis non loquatur, & hæc Chronici Alexandrini verba *ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ εἰκοσιετηρίδα*, de vicesimo Imperii ejus anno intelligi possint, certum septima ejus Quinquennalia die Natali Imperii Augustei peracta fuisse. Errat autem Auctor Chronici Alexandrini, sicuti & Theophanes quando scribunt Constantium Romæ quatuordecim dies egisse; sic enim die vicesima secunda Maii, ejus Imperii Natali, ea in urbe non fuisset. Quo casu sexto Idus Maias ex mox dicendis eam festivitatem peregisset, die nempe decima Maii, & die duodecima ejusdem mensis, qui ab ingressu decimus quartus erat, ex Urbe excessisset, quod parum verosimile, ea enim pompa, ludi Circenses & theatrales, aliaque hujusmodi non nisi pluribus diebus exhiberi poterant. Quare rectius Marcellinus scripsit quarto Kalendas Junias, die nempe vicesima nona Maii, Constantium Romæ egressum fuisse, sic enim sex, aut septem dies, eidem pompæ exhibendæ insumpti sunt: ex quo & Colligere est plures necessarios non fuisse.

XII.
Hæc solemnia, si anticiparentur aut differrentur, in

Tertiam præfati Canonis partem, hæc nempe solemnia si differrentur, aut anticiparentur, die ejusdem cum Natalitio denominationis celebrata fuisse, luculento exemplo demonstro, simulque Ammiani locum à viris doctissimis sollicitatum confirmo. Is lib. 14. de ejusdem Constantii Tricennialibus loquens, ait: *Arelate hiemem agens Constantius*

Constantius post theatralis ludos atque Circenses ambitiosos editos apparatu, die sexto Idus Octobres, qui Imperii eius annum tricesimum terminabat, &c. Hæc verba viris doctis crucem fixerunt; certum est enim Constantium, non sexto Idus Octobres, sed sexto Idus Novemb. Cæsarem nuncupatum fuisse. Quod non tantum Idatius in Fastis, sed & vetus Kalendarium à Petro Lambecio V.C. editum docent. Valesius in Notis ad orationem Eusebii de laudibus Constantini in ejus Tricennialibus, habitam, ubi locum illum refert, inquit: *Omnino Marcellinus annum tricesimum terminatum posuit pro inchoato.* In Notis verdè ad Ammianum jam dixerat: *anno Christi 324. Cæsar à patre creatus fuerat Constantius sexto Idus Novembres, ut scribit Idatius in Fastis, & Auctor Chronici Alexandrini. A quo anno ad Consulatum Constantii Augusti VI. & Constantii Cæsaris II. anni sunt viginti novem solidi. Itaque memoriâ lapsus videtur hic Marcellinus qui pro nono ac vicesimo tricesimum posuit. Ac vereor ne & VI. Idus Octob. pro Novemb. posuerit.* Petavius in Chronico ad annum 353. in iisdem Ammiani verbis hæsit, scripsitque: *cum anno 324. Cæsar à patre factus sit Constantius, & quidem VI. Idus Novembres, ut testis est Idatius: non tricesimum annum terminavit, sed inchoavit potius iste, qui est Christi 353.* Norisius Dissertat. de vot. Decennial. cap. I. *Erravit Marcellinus Octobrem pro Novembri scribens.* En ad quas angustias viros doctissimos falsa, quæ pro certo ponebant fundamenta, adduxerint. Hæc tria erant, nempe Decennalia & id genus festa non alio, quàm Imperii Natali die fuisse celebrata. Secundò Ammianum, aliosque Auctores quando scribunt diem in quo ea solemnia celebranda erant, annum tricesimum, decimum, vel vicesimum terminasse, eosdem semper intelligere eos annos exactos tunc & absolutos fuisse. Tertio Constantium anno 324. Cæsarem creatum. Quæ tria prorsus à veritate, aliena. Infra enim ex ejus Decennialium, & id genus festorum ferie, cum anno antecedenti eam dignitatem consequutum, prætereaque præfatam loquendi formulam non significare annum decimum, vel tricesimum absolutum fuisse, demonstrabo. Cùmque jam ostenderim non eo semper die quo Imperium susceperant Imperatores, ea solemnia celebrasse, ex præfatis Ammiani verbis liquet, quando ea differebantur, vel anticipabantur, edita fuisse in die ejusdem rationis, & denominationis cum die Imperii Natali. Quare cùm Constantius sexto Idus Novembris nuncupatus fuerit, & Cæsarei Imperii Tricennialia anticipare debuerit, ea non alio die, quàm sexto Idus alterius mensis celebrare potuit. Romani enim, ut jam indicavimus, in diebus observandis religiosi erant: ex quo & collegimus ideo Hadria-

num quinto Kalendas Martias Antoninum Pium adoptasse, quia quinto Kalendas alterius mensis, Julii nempe, Augustus Tiberium adoptarat: eundemque Augustum quinto Kalendas Septembris Tiberium in Imperii consortium adscivisse, quia quinto Kalendas ejusdem mensis Septembris, debellatis jam omnibus hostibus, aram Victoriæ sacrarat, seque eâ ceremoniâ, ut docet Dio, Orbis Imperium propria virtute acquisivisse demonstrat. Qui Romanorum mos ad varia ænigmata solvenda præ oculis habendus.

XIII.
Initio Imperii
semper
vota ab
Imperatoribus
nuncupata.

QUINTUS CANON. *Ipsò Imperii initio Quinquennialium vota ad Imperium feliciter auspicandum; semper nuncupabantur, sed non semper anno quinto, vel sexto Imperii inenante solvebantur; vota-que Decennalia suscipiebantur, sed aliquando differebantur, aut anticipabantur, uno tamen dumtaxat anno.* Idem dicendum de Decennialibus, Vicennialibus, omnibusque id genus festis. Prima pars, quod nempe ipso Imperii auspicio vota nuncuparentur, patet ex iis, quæ jam hoc capite, diximus. Licet enim in nummis ibidem laudatis, aliisque multis, vota Decennalia legantur; exacto tamen, vel incunte quinquennio pro dimidia parte decennii feliciter peracti, vota solvebantur, & iterum Decennalia vota iterabantur. Quare alia sunt Quinquennialium, vel Decennialium vota concepta; alia edita Quinquennialia, vel Decennalia: Cavendumque ne cum legitur in nummis, verbi gratia VOTA XX. existimemus intelligi ea soluta, & hujusmodi nummos anno Imperii vicesimo semper cufos fuisse. Possunt enim etiam intelligi vota XX. in Decennialibus nuncupata, neque quoad hoc certa regula tradi potest. Imò Norisius Dissert. de Numismat. Licinii cap. 3. observat solutis votis Decennialibus suscepta fuisse non tantum vota Quindecennialia, sed etiam Vicennialia. Extat enim apud Occonem Flavii Constantis Constantini Magni filii Numisma inscriptum. VOT. X. MULT. XV. XX. id est, *Vota Decennialia multis Quindecennialibus, Vicennialibus.* Legitur in nummis Constantii VOT. XX. MULT. XXX. & rursus VOT. XXV. MULT. XXX. & VOT. XXX. MULT. XXXX. & pariter VOT. XXXV. MULT. XXXX. Sic ex hoc Maxentii nummo, qui apud eundem Occonem extat, non bene vir Eruditissimus deducit, eum Quinquennialia edidisse: in ejus averfa parte hæc scripta sunt: VICTORIA DD. NN. AUG. ET CAES. VOT. V. MULT. X. Cum enim eo in nummo Marcus Aurelius Romulus Maxentii filius Cæsar dictus memoretur, perspicuum sit cufum eum fuisse ipso Imperii Maxentiani initio, anno nempe 307. non verò 312. quem Quinquennialibus suis Maxentius destinarat. Romulus enim anno 308. & sequenti Consul

ful ordinarius cum patre fuit, hicque anno 310. solus tertium Consulatum ordinarium iniit: quod argumentum est Romulum jam, de quo nulla postea alicubi mentio, mortuum fuisse.

Secunda pars Canonis, quod scilicet Quinquennalia aliquando anno quarto, aliquando verò anno septimo; Decennalia anno nono, vel duodecimo, Quindecennalia anno decimo quarto, vel decimo septimo, aliaque deinceps festa celebrarentur: ideòque vel anticiparentur, vel differrentur compluribus exemplis capite sequenti demonstrabitur, ac Rationarium Fastorum legenti identidem constabit. Neque enim hac de re extat controversia, sed tantum an verbi gratia Constantinus Magnus legitimo tempore Decennalia, vel Quindecennalia ediderit, quam tamen difficultatem, ut infra videbitur, aliquo modo complanavimus,

XIV.
Decennalia
& id genus
festa ali-
quando an-
ticipata, vel
dilata.

Tertia pars statuitur contra Valesium, qui in Notis ad Auctorem Anonymum, quem in calce Ammiani edidit, explicans hæc ejusdem Auctoris verba de Theodorici Italiae Regis Romam ingressu: *per tricennem triumphans populo ingressus palatium, exhibens Romanis Ludos Circensium. Donavitque populo Romano, & pauperibus annonas, singulis annis, centum viginti millia modios &c.* ait: *an fortè legendum est per decennalem, ut hac Theodorici pompa ad decennalia ejus referatur. Ingressus autem est Romam Patricio & Hypatio Coss. anno Domini 500. Regni autem sui anno octavo. Itaque si Decennalia tunc celebravit Theodoricus, toto biennio anticipavit, quod non insolens fuisse eruditi sciunt.* Nullum dubium quin legendum sit per decennalem, sed erat is annus Theodorici decimus, non octavus; nec ea decennalia anticipata, sed anno decimo more solito acta. Obiit Theodoricus anno 526. die tricesima Augusti, non secunda die Septembris, ut Baronius; Calvisius, aliique putant. Mortis enim ejus dies, sicuti & annus evidenter colligitur ex his ejusdem Anonymi Valesiani verbis: *Symmachus Scholasticus Judaus, jubente non Rege, sed Tyranno (Theodorico) dixit præcepta die quarta feria septimo Kalend. Septemb. (anno Christi 526. currebat cyclus solis XIX. Litera dominicalis D. Quare dies XXVI. Augusti cum feria quarta eo anno concurrebat) Indictione quarta, Olybrio Consule, ut die Dominico adveniente (nempe die tricesima Augusti) Ariani Basilicas Catholicas invaderent. Sed... eodem die quo se gaudebat Ecclesias invadere, simul regnum & animam amisit.* Annos Imperii Theodorici Procopius libro primo Gothicæ historiæ nos docet: *adepta potentia post annos septem & triginta vivendi fecit finem.* Idem verò Anonymus Valesianus ait: *regnavit annos triginta tres.* Ex quibus vides Epochas duas Theodorici-

XV.
Sed nunquid
biennio.

ni Imperii distinguendas esse, prioremque ducendam ab anno quadringentesimo nonagesimo, quo regnum in Italia constituit & secundum quam annos triginta septem à Procopio imperasse, & ab eodem Anonymo decepnalia celebrasse dicitur; alteramque à morte Odoacris anno quadringentesimo nonagesimo tertio ab eodè Theodorico occisi, secundum quam idem Anonymus annos triginta tres eundem regnasse scribit. Quare malè Procopius à Baronio, qui legendum censet *triginta quatuor*, emendatus. Corrigendus & Anastasi Bibliothecarii, qui aliis errandi causa fuit, locus in Joanne Primo, in quo ait: *Post dies nonaginta octo ab obitu Ioannis Pape*, qui contigit die vicesima septima mensis Maii, Theodoricum obiisse, legendum enim *nonaginta sex*. Corrigendus & Auctor historię Miscellæ, qui habet: *Post dies 99*. à die enim vicesima septima Maii ad tricesimam Augusti, utroque termino comprehenso, dies tantum numerantur 96. quæ per transfennam dicta sunt, ad ostendendum, quæ in ream Chronologicam ex horum solemnium notitiâ, utilitas redundet, cum Theodorici decennialium beneficio, duplex Imperii ejus Epochâ detegatur, & fides sua Procopio restituatur. Sed hac de re pluribus infra. Hic itaque Anonymi locus anno Imperii octavo Theodoricum Italiæ Regem Decennialia celebrasse nullo modo ostendit; cumque nullum aliud exemplum proferri possit, quo appareat hujusmodi solemnia plus anno uno aut anticipata, aut dilata fuisse; ut Fastos à nobis digestos percurrenti liquebit: manifestum est ea nunquam biennio, ante vel post tempus legitimum, peracta. Neque quis dicat Marcellinum in Chronico anno 439. Scribere, Theodosium Junio-rem octava Quinquennialia eodem anno edidisse, Imperii nempe anno 402. vivente Arcadio patre suscepti, quæ anno 340. anno uno anticipasset, ac præterea juxta eundem auctorem, anno 444. eundem Theodosium nona quinquennialia dedisse, ejusdem scilicet Imperii vivente patre initi, quæ legitimo tempore ante annum 446. fieri non potuere. Nam præfata solemnia legitimo tempore peracta fuisse ex eo liquet, quod anno 435. idem Theodosius septima quinquennialia Imperii vivente patre administrati celebravit, ut videre est in nostris Fastis. A quo anno, ad 439. utroque extremo incluso, anni quinque numerantur. Ab eo autem, ad annum 444. utroque pariter ultimo termino comprehenso sex anni sunt. Quare præfata duæ festivitates minimè anticipatæ fuere; licet si quis easdem ab anno 402. deducat, eas anteverlas fuisse sibi in animum inducere necesse sit. Sed illas semper ad ultimas referendas esse, vel ex iis duobus exemplis patere potest.

CANON SEXTUS. *Hac solemnitas ante Imperatorem Com-*
modum saepe cum trabea Consulari ; post illum verò, de more cum ea acta:
non ita tamen cum eadem conjuncta , quin aliquando Quinquennalia,
vel Decennalia Consularis aut processerit , aut subsequutus fuerit. Prior
pars, sicuti & secunda vel sola Fastorum Consularium à nobis expli-
catorum dispositione declarari potest ; ibi enim Tiberius, qui anno
Christi decimoquarto Augusto successit, anno decimo octavo ejus-
dem Eræ Consul legitur, sicuti & Claudius anno quadagesimo pri-
mo ejusdem Eræ Imperator creatus, anno quinquagesimo primo Con-
sul occurrit : qui duo Consulatus Quinquennialibus Tiberii, & Clau-
dii Decennialibus ideo addicti existimandi sunt, quòd in Fastis, an-
nis quibus eæ festivitates agenda erant, Imperatores Consules pro-
ponantur. Hunc morem intermissum Commodus restituit, & Con-
stantinopolitani Imperatores servavère. Non rarò tamen accidit, ut
anno præcedenti, vel subsequenti eadem festivitates Imperatores
Consules processerint. Sic Constantinus M. anno 315. Consulatum
gessit, & tamen Decennalia anno tantùm sequenti celebravit. Sic
Honorius anno quadringentesimo undecimo Vicennalia Imperii vi-
vente patre suscepti edidit, ut eo anno in Rationario fastorum osten-
dimus, & tamen Consulatum nonum eis additum, non nisi anno
sequenti gessit. Plura exempla in iisdem Fastis occurrent, ex quibus
facile quisque cognoscere poterit, Consulatum circa Decennalium,
aut Quindecennialium tempus gestum non nisi iisdem solemnibus
fuisse dicatum.

XVI.
Consulatus
cum his fe-
stis conjun-
ctus.

CANON SEPTIMUS. *Quinquennalia & id genus festa, nova*
quasi Imperii auspicia, novaque quadam illius Epochæ fuere. Nam, ut
ostendimus, Augustus, Decennialibus exactis, novum velut princi-
patum inchoavit, atque Imperium renovavit, ejusque exemplo, qui
ei successère Imperatores, quasi eis Imperium redditum fuisset, Quin-
quennalia & Decennalia Celebrarunt, ut docet Dio lib. 53. *quam ob*
causam, inquit, posteriores quoque Imperatores etsi non ad certum tem-
pus, sed in omnem vitam constituerentur ; per decennia solemnnes dies age-
bant, tanquam Imperii novum initium caperent, quod usque hodie fieri
consuevit. Notata invenitur in nummis hæc Epochæ istis verbis: **PRI-**
MI DECENNALES, vel **SECUNDI DECENNALES**, aut sicuti
in nummo Antonini Pii, qui apud Spanhemium pag. 875. extat, **SE-**
CUNDI DECEN-ANNALES, vel ut in nummo Alexandri Severi
legitur: **ΠΕΡΙΘΑΟΣ ΔΕΚΑΤΗ**, idest, *annus decimus*, vel Tribuni-
tia Potestas X. *Περίθοος* enim, ut rectè ibidem explicat Spanhemius,
eo loco non sumitur pro longiori tempore, quàm pro annuo Solis

XVII.
Decennalia
similivæ
festa novam
Epocham
constituunt.

circuitu, quomodo & frequenter ΚΥΚΛΟΣ, seu Cyclos, & Circulus Græcis juxta ac Latinis Auctoribus; unde in hymno Hilarii, *terdeni annorum cycli*; in Hieronymo autem ad Paulum Concordiensem, *ecce jam cemenus atatis circulus volvitur*, de Paulo nempe Concordiensi centesimum ætatis annum agente.

XVIII.
Comparatio
inter Imperii
primordia & Quinquennialia
fœmitia ve
fœlla.

Nam Imperii exortus, ejusque quintus, decimus, &c. annus in omnibus inter se conveniebant. In illo privilegia populis concessa confirmabantur, ut de patre suo Marco Aurelio testatur Commodus apud Modestinum Jurisconsultum in l. 6. *paragrapho 3. c. de excusationib.* ubi ait: *Divus pater meus Principatum ingressus, edictis concessa privilegia atque immunitates firmavit.* Sic etiam in Decennialibus & id genus festis beneficia & liberalitates superiorum Principum, aut confirmabantur, aut augebantur; ut patet ex pluribus legibus Codicis Theodosiani, præsertimque lege 1. *de longi temporis præscriptione*, quæ quarto ejusdem Codicis libro legitur. Data est ea *Idibus Januariis à Constantino M. Sabino & Rufino Coss.* anno nempe 316. in eaque decernit idem Imperator, ut ex donatione Principum, aut quocumque modo rem ad fiscum pertinentem, usque ad sua Decennialia possidentes securi possideant. Concessæ & Indulgentiæ debitorum, itemque Indulgentiæ criminum, de quibus in eodem Codice *tit. de Indulgentiis Criminum, & tit. de Indulgentiis debitorum.* Præterea sicut novi Imperatores coronis excipiebantur, juxta illud Herodiani de ejusdem Commodi Romam, post patris mortem, solemnij introitu: *talem igitur Imperatorem sanctis omnibus, acclamationibusque & Coronarum, florumque sparsionibus exceperunt*; Ac etiam aurum coronarium, coronarum, nomine Provinciæ ac civitates missis legationibus Principi offerebant, ut docet Dio in fragmento à Valesio edito lib. 77. Sic in Quinquennialibus, & hujusmodi festis, populi coronas offerebant, aurumque coronarium, ut in lege quarta de auro coronario Codicis Theodosiani legitur. Et Valesius in Notis ad Orationem Eusebii de laudibus Constantini in Tricennialibus ejus habitam observat, eundem Eusebium alludere ad coronas aureas, quas Provinciales Imperatoribus Romanis offerre solebant, non solum ob Imperii primitias, verum etiam ob vota Quinquennialia eorum, ac Decennialia: *porro, inquit Eusebius, Deus velut pignora quadam futura remunerationis ei. (Constantino) in antecessum præbens, Tricennales ipsi coronas tribuit, felicibus annorum circulis contextas.* Illustrius exemplum ex oratione Synesii de Regno in Arcadii Imperatoris quinquennialibus habitâ, ut infra capite sexto, numero septimo ostendetur, deduco: *me cum auro, inquit, caput, tum animum Philosophiâ*

sophia coronaturum Cyrene mittit ad te, graca civitas, antiquum & venerabile nomen, infinitis olim Doctorum celebrata carminibus, nunc pauper & humilis, ingentiaque ac deserta ruderia: cui regiâ munificentia opus est; si quid gerere velit, veteri illâ suâ origine non indignum. Huic tu porro inopia quamdocumque libuerit, remedium adhibebis; idque in tua voluntate situm est, ut ab ampla felicitque patriâ alteram ad te coronam perferam. Ita ille ejusdem Orationis initio. Præterea Imperatores simul atque Augusti nuncupati erant, donativum militibus erogabant, ut de Commodo scribit Herodianus in lib. 1. & de Valentino Ammianus lib. 26. ubi milites alloquens ait: *annorum reparatione vigorem atque membrorum ob runcupationem Augustam debita protinus accepturi.* Sic etiam in Quinquennialibus ac Decennialibus donativum militibus principes erogabant, singulis scilicet aureos quinque, ut infra ostendetur. Erant & aliæ multæ inter Imperii initium, & Quinquennalia similiave festa convenientiæ, sed hæc sufficiunt, ut quilibet intelligat mirum non esse, quod ista non minus, quàm illud novam Epocham, novamque annorum Periodum constituerint.

Hujus Canonis beneficiò Eusebii locus, qui tot viros doctos in errorem induxit, facilè explicatur. Is lib. 4. vitæ Constantini cap. 53. de ejusdem Imperii annis loquens ait: *Ac Imperii quidem curriculum duobus & triginta annis explevit, exceptis mensibus ac diebus paucis.* Et tamen in Chronico Constantini Imperium, quod & certissimum, annis triginta, & mensibus decem circumscripsit. Quæ verba in causa fuere cur Petavius lib. 11. de doctrina temp. cap. 36. & Franciscus Chiffetius in Notis ad Victorem Vitensem scripserint, Constantinum M. annos triginta duos imperasse, existimarintque eum ante patris mortem fuisse Cæsarem; imò Petavius dicat, magnam sibi esse suspicionem Constantium Chlorum anno Christi 305. mortuum esse, eodemque Constantinum filium ei successisse. Sed si ad Eusebii sensum penetrassent, in opiniones adeo dissentaneas delapsi non essent. Eusebius enim in vitâ Constantini conscribendâ, quamvis eam in quatuor l. bros dividat, in gestis tamen ejus recensendis, non aliumquam Decennialium ordinem servat, quod non tantum lib. 4. cap. 40. Sed & in ipso præmio indicat; hoc enim à Constantini morte inchoans ait: *Nuper quidem magni Imperatoris redeuntium Decennialium secundorum, ac tertiorum PERIODOS, universum genus hominum festivitatis & convivii celebravit. Nos quoque ipsi nuper eundem victorem ac triumphatorem cæu famulorum Dei circumseptum, laudatio e in ejus VICENNALIBUS dicta venerati sumus. Sed & TRICENNALIVM orationum coronas ei texentes, nuper in ipso palatio*

XIX.
Eusebius in
vita Con-
stantini De-
cennialium
Epochâ uti-
tur.

latio sacrum ejus caput redimivimus (vides , ut supra ostendimus , Eusebium ad flores & coronas , quibus Imperatores honorabantur à populis , rursus alludere) *Verum nunc anceps animi hæreo , cupiens quidem aliquid MORE SOLITO proferre , sed quò me vertam , prorsus ignarus , inusitata rei spectaculo percussus*. Eusebius itaque , qui in ea vita conscribenda Oratorem magis , quàm Historicum agit , eam adungere voluit orationibus , quas in Constantini Vicennialibus & Tricennialibus habuerat , ita ut illa singulis decenniis gesta completeretur , quæ , quasi partes tres , ut inter se cum quodam lepore consentirent , æquabili ratione ac uno eodemque genere tractare voluit. Quamobrem non aliâ Epochâ , quàm quæ à Decennialibus desumitur : usus est. Cùmque post Tricennalia , duobus adhuc circiter annis Constantinus superstes fuerit , cum annos triginta duos imperasse dixit. Ipsemet Cap. 5. libri primi antequam gesta ejusdem Imperatoris describat , mentem suam adhuc apertius declarat , atque : *Χρόνον μὲν βασιλείας , περὶ δεκάδων πεντάδοι τελείας , καὶ ἑξήσντι ἡμῶν τεμίσσας* , id est , *Ac tempus quidem Imperii ipsius tribus denarium annorum PERIODIS absolutis , & aliquantò amplius honoravit*. Quid clarius ? Facebant itaque in posterum è doctorum virorum libris opiniones Chronologiæ , Fastis , historiæque contrariæ , certumque ac indubitatum maneat , Constantinum ante patris mortem Cæsarem non fuisse , huic non nisi anno 306. in Imperio successisse , triginta tantum annos , & menses decem imperasse , Eusebium non aliter docuisse , ac denique Philostorgium , Theodorum lectorem , Epiphanium , Theophanem , Auctorem Chronici Alexandrini , Victorem Schoti , & Victorem in Epitome , quando scripsere Constantinum annos triginta duos imperasse , vel Eusebium non intellexisse , vel utrumque extremum annum Julianum incompletum pro completo numerasse.

X X.
Indictiones
à Quinquē-
maliorum
Epocha or-
ta.

Atque ex hac Decennialium , & id genus Festorum Epochâ liquet , non malè Scaligerum lib. 5. de Emendat. temp. pag. 501. Indictionum originem ab editione Quinquennialium , Decennialium & Vicennialium arcessisse , quidquid dicat Petavius libro undecimo de doctrina temporum cap. 39. Imperatores enim Quinquennialia celebraturi pensiones , tributa , & residua debitorum aut tollebant , aut laxabant ; Indictiones verò ipsomet Petavio loco laudato fatente , nihil aliud sunt quàm annonæ & tributa , quorum canon quotannis indicabatur. Cùm itaque quarti Ecclesiæ seculi initio , Quinquennialia & hujusmodi festa magnâ pompâ celebrari solerent , novamque , ut jam visum est , Epocham constituerent , Constantinus , Augusti exemplo ,

plo, qui poſtquam ſolus regnavit annos *Auguſtorum* inſtituit, vi-
cto anno 312. Maxentio Tyranno, juſſit tempora putari per trina
Quinquennalia, ſive per Indictiones, quod quidem tempus Indictio
vocatum fuit. Licet autem hæc Epocha, ſuis ſubjaceat incommodis,
longè tamen eâ commodior eſt faciliorque quæ antea per Quinquen-
nalia & Decennalia tempora numerabat. Atque hinc factum autumo,
ut Græci Auguſto Imperatori Indictionum originem attribuerint.
Nam S. Maximus in computo ſcribit, Indictionem cœpiſſe anno
Auguſti ſecundo, quem mundi putat 5460. Maximum Georgius Syn-
cellus ſecutus eſt, imò Conſtantine Porphyrogenita, Cedrenus,
aliique tradiderunt quod hæc vox *Ἰνδικτιών* dicta ſit tanquam *Ἰν-
τιών*, ab Actio promontorio & Auguſti victoria, quam anno XV. Im-
perii ſui conſecutus eſt, unde & Indictiones ortas eſſe ſibi perſuaſere.
Auctor Chronici Alex. earum originem altiùs repetit; ad annum
enim primum Julii Cæſaris adnotavit, *Ἀρχὴ Ἰνδικτιῶνος*, id eſt, *In-
dictionis initium*, ab eoque tempore ſingulos annos Indictionibus
notat; cùmque ad annum Conſtantini ſeptimum pervenit, ſcribit:
ἸΝΔΙΚΤΙΩΝΩΝ ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΙΑΝΩΝ ΕΝΤΕΤΘΕΝ ΑΡΧΗ. Id eſt, *In-
dictionum Conſtantinianarum hinc ſumitur initium*. Quare primam
Indictionum originem in anno primo Julii Cæſaris, Conſtantinia-
rum verd caput in anno Chriſti 312. idem ſcriptor conſtituit. Sed
unde hæc fabulæ, errorefque enati? niſi quia traditione quadam ac-
ceperant Indictiones primævam ſuam originem Auguſto debere, quod
ipſe nempe Quinquennialium, à quibus eæ deductæ, auctor fuerit;
nova enim veteribus, falſaque veris ſuperſtrui ſolent. Nec refert
quod Conſtantine à die octavo Kalendas Octobris indictiones inci-
pere voluerit, licet jam anno 310. octavo Kalendas Julii Quinquen-
nalia ſua celebraret; Is enim in ea Inſtitutione non tantùm ad Quin-
quennalia, ſed & ad annum quò Maxentium vicit, ac fortè etiam ad
diem Imperii ſui natalem, qui fuit *dies octavum Kalend.* reſpexit. Cur
verd meſe Septembri Indictiones exordiri, & non plura, quàm tria
Quinquennalia eaſdem complecti ſtatuerit, proſus incertum. Non
miror autem hanc conjecturam, eo modo quo à Scaligero propoſi-
tam, à viris doctis rejectam fuiſſe, cùm eam tot erroribus implica-
rit, neque ſatis fundaverit; ait enim Quinquennalia per luſtra anno-
rum ſolidorum quinque recurriſſe: ea luſtra vocata fuiſſe Indictio-
nes, & in nummiſ Principum ſcripta, nunc per L. nunc per A. hoc
eſt, inquit, *Luſtrum*. Conſtantini M. initium conſurgere ex ante
diem VIII. Kalendas Octobris anno Chriſti 307. ideoque ejus Quin-
quennalia congruere anno 312. Indictionem eſſe duplicem, alteram

Cæsarianam à qua ad primam Constantinianam interfunt anni trecenti sexaginta, alteram Constantinianam, ut videre est lib.3. Usag. Can. cap.11. Maxentium anno 313. debellatum fuisse, aliave familia, quæ profus omnia à veritate aliena: Sola itaque conjectura ejus retinenda, cætera quibus eam fulcit, ac explicat, rejicienda.

XXI.
Decennaliū,
& id genus
nominum
prima signi-
ficatio.

CANON OCTAVUS ET ULTIMUS. *Antiqui Decennalium;* cæterisque id genus nominibus tria intelligebant. Primò, ac propriè festivitatem ludorum, qui ob quintum, decimum, &c. annum agebantur, ac etiam votorum Quinquennialium, Decennalium ac reliquorum hujusmodi solutionem. Eo sensu Idatius, in Fastis, sub Constantii & Albinii Consulatu anno nempe 335. scribit: *His Coss. tricennalia edidit Constantinus Aug. die VIII. Kal. Aug.* Sic sæpè apud Antiquos leges: Vicennalia dare; Decennalia dare. Marcellinus Comes: *Arcadio VI. & Præbo Coss. Theodosius Junior quinquennialia dedit.* Item. *Honorio IX. & Theodosio IV. Coss. Theodosius Junior decennalia Honorius Roma Vicennalia dedit.* Græci, ut rectè observat Scaliger libro quinto de Emendat. temp. pag. 501. dicunt *εκαετηρίδα, δεκαετηρίδα, vel δεκαετηριών πανήγυριον επίδωκεν.* Id est, Decennalem celebritatem dedit. Sic Sozomenus libro primo, cap.15. dum de Constantini tricennialibus loquitur: *ἵθις ἢ ἑομαίους, δημοτικῆν πανήγυριν ἄγειν καὶ ἐκάστῃ δέκατε ἔτος τῆς τῷ κατῴρτος ἀρχῆς.* Id est, *est enim hic mos Romanis, ut decimo quoque anno uniuscujusque Imperatoris publicam agant festivitatem.*

XXII.
Decennaliū
secunda si-
gnificatio.

Secundò hæc nomina *πενταετηρίς, δεκαετηρίς, τετρακοσταετής*, seu Quinquennialia, Decennalia, Tricennialia sumuntur pro quinto, decimo, & tricesimo Imperii anno. Sic Divus Hieronymus in Chronico scribit: *Tricennialibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur.* Tricennialia edidit Constantinus, ut Idatius in Fastis & Chronicon Alexandrinum docent; octavo Kalendas Augusti anni 335. Dalmatius verò VIII. Kal. Octobris Cæsar à Constantino renunciatus est, ut optimè idem Chronicon Alexandrinum, licet Idatius in Fastis factum id scribat *XIV. Kal. Octob.* Nam cum Constantinus octavo Kalendas Imperator dictus sit, probabilius est eodem die Dalmatium Cæsarem nuncupasse, cum & anno 333. Constantem filium die VIII. Kal. Januarii Cæsarem dixerit. Sed quidquid sit, non dubium quin Hieronymus pro Tricennialibus Constantini tricesimum Imperii ejus annum intellexerit, ut rectè observat Valesius libro quarto de vita Constantini cap.45. qui & eodem sensu hæc Eusebii eodem loco verba explicat *ἕτος μὲν ἢ τῆς ἀειροσύνης ἑορτὴ, ἢ αὐτῆ βασιλείας τετρακοσταετηρίδι σὺν ἑορροσίαν ἐπιτελεῖτο*, id est, *hoc modo dedicationis solennitas*

ſolennitas ipſiſ Imperatoris Tricennialibus ſumma cum hilaritate celebra-
ta eſt. Loquitur Eufebius de Encœniis Baſilicæ Hieroſolymitanæ ,
quæ celebrata ſunt , non octavo Kalendas Auguſti , quo die Tricen-
nalia Conſtantinus edidit , ſed Idibus Septembris , teſtibus Nicepho-
ro lib.8. cap.30. Typico ſancti Sabæ Menologio græcorum , & So-
phronio in Oratione de Exaltatione Sanctæ Crucis ab eodem Vale-
ſio citatis , aliquando etiam hæc nomina ipſum decennium ſignifi-
cant , ſic Socrates lib.1. cap.38. de Conſtantino loquens ait : ἢ ἡ
νεότερον κωνſτάντα , ἐν τῇ τριακονταετηρίδῃ τῆς ἰαυτῆ βαſιλίαις ἐχρηſτέ-
ησεν , id eſt , *patru minimum Conſtantem Tricennialibus ſuis Cæſarem*
renunciavit. Conſtans anno 333. octavo Kalendas Januarias , ut do-
cet Idatius in Faſtis Cæſar à Patre edictus , Tricennialiaque Conſtan-
tini non niſi anno 335. peracta. Unde patet Socratem Tricennialium
nomine tertium Imperii Conſtantini decennium intelligere.

Hæc explicatio aliam loci ejuſdem Eufebii ab eodem Valeſio ne-
quidem tacti inſinuat. Ille libro 8. hiſtoriæ cap.13. loquens de felici-
tate , quæ in orbe Romano erat , Diocletiano & Maximiano reg-
nantibus , antequam perſecutionem in Chriſtianos decernerent , hæc
habet : ἐπότε καὶ αἱ μάλιστα τῆς καθόλου κωνſτάντης ἀρχῆς , δικαετηρίδας καὶ
ἐικοſαετηρίδας τῆς βαſιλίαις ἀκλήſαντες ; ἐν ἑορταῖς καὶ πανηγύρεσι , φα-
νερῶταῖς τεθάλαις , καὶ ἐυφρήναις καὶ πάσης εὐſαθῶς διατέλων εἰρήνης ,
id eſt , *quo quidem tempore ii qui ſummam Imperii adminiſtrabant ,*
*Decennialibus ac vicennialibus expletis , in feſtivities , ſpectaculis , epu-
llis , omnique hilaritatis genere , pacatè & tranquillè debebant.* Diocle-
tianus & Maximianus anno 284. ille decimo quinto Kal. Octob. Hic
duodecimo Kalendas Decembres Imperium ſulceperant. Quare vice-
ſimus Imperii utriuſque annus , non niſi anno 303. iisdem diebus &
menſibus inchoabatur ; & tamen perſecutio in Chriſtianos die vice-
ſima tertia Februarii ejuſdem anni , quod Lactantius cap.12. libri de
mortibus perſecutorum docet , decreta ; idque eodem anno 303. licet
Baronius , Petavius , aliique multi eandem perſecutionem anno 302.
conſignarint. At his poſitis , quomodo ante decretam perſecutionem
Diocletianus & Maximianus Decennialia , & Vicennialia expleverant ,
cùm hæc non niſi poſt menſes novem , die nempe XII. Kalendas
Decembris celebranda eſſent ? Non alia certè ratione , niſi quia Eu-
ſebius Decennialia ac Vicennialia pro decimo & viceſimo anno , eò-
que Juliano , ac præterea utroque extremo incompleto pro comple-
to numerato , uſurpat ; nullo verò modo Decennialia , Vicennialia-
que eo in loco pro ipſa feſtivityate accipit juxta jam dicta. Eufebium
autem annos Julianos , non Imperii , ac inſuper eodem tantam in-
choatos

XXIII.
Explicatur
aliquot loca
Eufebii.

choatos vocare solere expletos, duobus ejusdem Auctoris locis demonstrato. Primus legitur loco laudato, ubi loquens de abdicatione Diocletiani & Maximiani, quam secundo persecutionis anno, tam ibi, quam alibi factam credit, hæc habet: *ἔτι δὲ αὐτοῖς τῆς τοιαυτῆς κινήσεως δεύτερον ἔτι πωλεῖσθαι, καὶ τι πλεὶν ὅλων ἀρχῆς νεώτερον γεγονόσι, τὰ πάντα πράγματα ἀνατίθειμι.* Id est, *neq. dum alter annus hujus bellici motus (id est persecutionis) expletus fuerat, cum ecce novus quidam & inopinatus casus rem Romanam penè subvertit.* Cœpit secundus annus persecutionis anno 303. mense Martio secundum supputationem Eusebii, qui eam incipit ab eo tempore quo Cæsareæ, ubi erat, Edictum propositum fuit, & secundum ejus opinionem, abdicatione facta anno sequenti, vel Kalendis Aprilis, ut habet Idatius in Fastis; vel quod longè probabilius, Kalendis Maii, ut testis est Lactantius lib. de mortibus persecutorum. Quare à persecutione decreta ad abdicationem annus tantum, & ad summum unus aut alter mensis effluerant; & tamen Eusebius ab initio persecutionis ad abdicationem duos annos, eosque expletos numerat, quia nempe annos Julianos etiam inceptos Græci sæpè pro completis & solidis putant. Alter Eusebii locus deducitur ex lib. 3. vitæ Constantini cap. 13. ubi ut indicet Constantinum post celebratum Concilium Nicensium, Vicennalia edere voluisse ait: *καὶ τὸ αὐτὸ δὲ αὐτῷ καὶ τῆς βασιλείας ἑικοσάτης ἑτεροῦ χρόνου. Ἐθ' οὗ πάνδημοι μὲν ἦγοντο πανηγύρεις ἑκοσθεῖς ἔθνησι. Τοῖς δὲ γὰρ τῷ θεῷ λειτουργοῖς, εὐαχίας αὐτῶν ἐξῆρχε βασιλεὺς, συμποσίων ὑπνευσάσι.* &c. Id est, *Eodem tempore vicissimus Imperii ejus annus complebatur. Cujus rei causa cum in omnibus Provinciis publica festivitates agerentur, Imperator Dei ministros ad convivium vocavit; & cum iisdem jam inter se conciliatis epulatus, hoc velut conveniens sacrificium per illos obtulit Deo.* Cœpit vicissimus Imperii Constantini annus octavo Kalendas Augusti anni Christi 325. Eoque die idem Imperator Nicomediæ præsentibus Episcopis, qui eidem Concilio interfuerant, Vicennalia celebravit: & tamen vicissimus annus, qui neque complebatur, neque absolvabatur, sed tantum inchoabatur, dicitur ab Eusebio compleri. Unde patet eum annos Julianos, & utrumque extremum incompletum pro completo numerare, licet annos Imperii disertè nominet. Quo ex loco præterea liquet, sicuti & ex præcedenti ex libro octavo capite 13. deducto, Imperatores inter eadem festa, splendidissimis & omni regio apparatu instructissimis epulis Nobiliores quosque excepisse, ac præterea à majoris nominis Oratoribus in eorum laudem orationes recitatas fuisse, quarum & aliquæ adhuc extant.

Tertiò Quinquennalia & id genus nomina non tantùm eomplementum & terminum quinque, decem, quindecim &c. Priorum annorum, sive hi inchoati tantùm, sive omninò elapsi, sive sextus, imò septimus inchoati essent, significant; sed etiam initium novi circuli, aut novæ Periodi quinque, decem, vel quindecim annorum sequentium: ideoque non tantùm diversa, sed etiam contraria eodem verbo veteres intellexerunt. Exemplis res clara fiet. Lactantius libro de Mortibus Persecutorum cap. 44. de bello Constantinum inter & Maxentium anno 312. gesto, ait: *Imminebat dies, quo Maxentius Imperium coperat, qui est ad sextum Kalendas Novembris, & Quinquennalia terminabantur.* Purpuram sumpserat Maxentius anno 306. sexto Kalendas Novembris, eademque die anno 312. quo periit, Quinquennalia edere decreverat, diè nempe primo septimi Imperii ejus; qui ideo annum Imperii ejus sextum terminabat, septimumque inchoabat; & tamen ait Lactantius eundem diem Quinquennalia terminasse, quia nempe sumit hic quinquennalia pro complemento ac termino præcedentium annorum, sive quinque, sive sex fuerint. Hoc enim ad eam significationem nihil refert. Sic in loco Marcellini in hoc capite numero XII. citato dicitur sextum Iduum Octobrium diem tricesimum annum Imperii Constantii terminasse; & tamen decrat mensis integer: cum enim Constantius anno 323. sexto Idus Novembres Cæsar renunciatus fuerit, & Tricennalia, quod docet ibidem Marcellinus, sexto Idus Octobris anni 353. peregerit, manifestum est non nisi sextum diem Idus Novembres tricesimum Imperii ejus annum terminasse, & tricesimum primum inchoasse.

Denique quod Natalis & novæ Periodi nomine hæc solennia aliquando vocata sint, patet ex iis, quæ num. XVII. diximus. Si enim novam Epocham constituunt, sine dubio novi circuli, novæque Periodi initium existunt, sive ante quinquennalia anni sex, vel quinque, vel quatuor tantùm præcesserint. Claret illud ex hoc Eusebii loco, ex oratione, quam coram Constantino Magno, ipso primo tricesimi Imperii ejus anni diè, Constantinopoli habitâ, deducto, ubi capite 3. postquam dixit, *singulis Decennalium circulis* Constantinum unum ex suis liberis ad Imperialis throni consortium promovisse, ait: *cumque jam quartus volvi cæperit circulus, divinatorum Prophetarum implet Oracula, quibus jam pridem prædictum erat: & suscipient Regnum, Sancti Altissimi.* Anno 355. octavo Kalendas Augusti, Imperii Natali, Constantinus Tricennalia edidit, ejusdem Imperii anno tricesimo eo diè inchoato, quomodo igitur quartus decem annorum circulus volvi potuit, cum is tantùm anno 336. præ-

XXV.
Decennalia
constituunt
novam pe-
riodum.

fato die, incipere deberet? Ac præterea quomodo tres Decennalium circuli evoluti esse poterant, cum tertio, annus integer deficeret, novemque tantum annis, unoque die compositus esset? Unde lucet Decennalia novam Periodum constituisse; sive novem, sive decem, sive undecim, imo & duodecim anni præterissent.

Ex his sequitur Decennalia, & id genus festa contrariis terminis expressa fuisse; qui loquendi modus omnino inusitatus non est, cum etiam ultimus aliquando primum significet. Virgilius septimo *Æneidos* X.

XXVI.
Decennalia
contraria si
significent.

Tu sanguinis ultimus Auctor

Dictus ultimus, inquit Servius, *quod ultra omnia sit, sive antea respicias, sive retrò*. Sic numerando Galliarum Reges, qui Christianam Religionem professi sunt, incipiendo à Ludovico Magno feliciter regnante, dicimus Clodoveum ultimum Regum Galliarum Christianorum esse; contra verò descendendo, hunc inter Christianos Francorum Reges appellamus primum. Sic dies Dominicus vocatur à Sanctis Patribus non tantum dies primus, sed etiam octavus hebdomadæ. Unde Theophilus Episcopus Alexandriæ in allocutione cum dies Theophaniorum incidisset in diem Dominicum, sic de eo loquitur: *Et consuetudo, & officii ratio à nobis postulat, ut diem Dominicum honoremus, cumque festum habeamus; cum eo die Dominus noster Iesus Christus Resurrectionem ex mortuis nobis comparaverit: unde hic dies in sacris literis & primus appellatur, utpote qui vite Auctor atque initium nobis existat: & octavus, utpote qui Indæorum sabbatum supergrediatur*. Horum Canonum beneficio difficultates multæ enodari, & Antiquorum Authorum, tam Latinorum, quam Græcorum loca difficillima explicari poterunt.

C A P U T T E R T I U M.

Decennalium beneficio tum Christiana, tum Ethnica Religionis historia illustrata.

L
In Decennalibus templa, vel ædificia, vel

SI Chronicorum & Annalium Auctores, quæ inter Decennalia, Vicennalia, & id genus festa, præcipuasque res quæ ad Religionis, Imperiique statum pertinerent, connexio fuerit, non fugisset, eorum opera accuratis eorundem solemnium temporibus signata videremus,

deremus, quæ magno tum sacræ, tum profanæ historiæ detrimento ignorantur. Nos quæcumque ex Auctoribus, & veteribus monumentis excerpere potuimus, exhibemus, & in Rationario Cæsareorum Consulatuum, quibus ea annis peracta, modò ex conjecturis, modò ex certis argumentis adnotamus. Sed quia pauca de hac materia à veteribus scripta, in mentem venit, indicia, notasque proponere, quæ in eorum annorum in quibus eæ festiuitates actæ sunt, cognitionem nos manuducant; cum enim Decennalia v.g. aliquando anno Imperii decimo ineunte, aliquando verò eodem anno decimo exeunte, peracta fuerint: imò & non rarò vel dilata, vel anticipata, obscurum manet, quò ea anno celebrata fuerint. Existimandum itaque in eum ea incidisse, qui pluribus huiusmodi notis insignitus fuerit; cùmque inter præfatas festiuitates, resque ad Religionem spectantes vinculum intercesserit, is annus in quo templa ædificata, vel dedicata, aliaque huiusmodi gesta, iis solemnibus dicatus fuisse credendus est. Et quidem Romanos solitos fuisse annis, quibus similia festa celebrata, templa aut extruere, aut dedicare, patet ex exèplis in Rationario Consulatuû Cæsareorum allatis. Unde hîc unum tantum aut alterum adducemus. Domitianus anno Christi 81. Tito fratri Idibus Septembris demortuo successit. Quare ejus Quinquennalia in annum Christi 85. vel 86. incidebant: ad priorem autem annum in Eusebii Chronico legitur: *Domitianus templum sine lignorum admixtione construxit*. Vicennalia verò Imperii ejus Cæsarei in annum Christi 88. competunt, quo anno in eodem Chronico legitur: *multa opera Roma facta, in quibus Capitolium, forum transitorium, Divorum Porticus, Isium, ac Sarapium, Stadium; horrea Piparetaria, Vespasiani templum, Minerva Chalcidica, &c.* Summo præterea studio reliqua quæ ad Religionem pertinerent, curata. Vopiscus in Aureliano cap. 35. ait hunc Imperatorem eo tempore quo ad bellum Orientale proficiscitur, anno nempe 274. post Quinquennalia edita, multa memoriâ digna gessisse, inter quæ, *leges plurimas sanxit, & quidem salutare: Sacerdotia composuit, templum Solis fundavit, & Pontifices roboravit.* Quæ eo anno acta evincit Agon Solis tunc institutus, ut testis est idem Eusebius in Chronico.

*dedicata,
& res Religio-
nis cura
sa.*

Ab eodem studio omnes persequutiones Ecclesiæ profluxere. Unde quod valde observatu dignum, Religio Christiana ut nova & peregrina vetita, vel annis quibus vota Quinquennalia, & id genus alia nuncupata, vel quibus eadem soluta, initio nempe Imperii, vel in huiusmodi solemnibus. Quare non mirum annos quibus Ecclesiæ persequutiones cœpere, male plerumque à Scriptoribus fuisse consigna-

II.
*Omnes Ec-
clesia persequutiones cœ
Decennali-
bus conne-
xionem ha-
bens.*

tos, cum non adverterent eas in hujusmodi festivitibus, seu, ut clarius loquar, annis quibus ea celebrari deberent, decretas fuisse, & si jam decretæ essent, eandem magis exarsisse. Prima persecutio, cujus Auctor Nero, rectè communiter anno Christi sexagesimo quarto consignata; is enim decimus Imperii Neroniani annus absolutus, ideoque Decennialibus dicatus. Secunda Ecclesiæ persecutio à Domitiano excitata, rectèque ab Eusebio in Chronico anno Christi 93. collocata, consentientem enim Auctorem Chronici Alexandrini habet, qui de ea loquitur anno decimo tertio Domitiani, tertioque ante mortem ejus anno, ac Olympiade 218. licet in Consulatum nominibus, & Indictione peccet. In eum autem annum quinta Quinquennalia Cæsarei Imperii Domitiani incidunt; sub Consulatu verò Trajani & Acilii Glabronis, quo eam Baronius locat, nulla hujusmodi solemnitas edita. Unde & nullo teste id ab eo factum. Vexati & sub Trajano Christiani, & quidem anno 106. in Chronico Eusebii hæc verba leguntur; *tertia persecutio*. Quæ tamen potius aucta est, quam primùm suscitata, cum antea Chronicon Alexandrinum ejus mentionem faciat. Erat autem is annus Imperii ejus Cæsarei decimus, anno verò 108. in quem Augustei ejusdem Imperii Decennalia incidebant, S. Ignatius Romæ à feris in Amphitheatro discerpens est. Hadrianus nullum quidem in Christianos Edictum, ut testis est Tertullianus in Apologetico cap. 3. promulgavit, sed tamen ab ipso Imperii ejus exordio, antiquorum decretorum vigore, in Christianos à Magistratibus sævitum. Hadrianum excepit Antoninus Pius, qui teste eodem Tertull. in Apolog. cap. 5. nullum adversus Ecclesiam edictum emisit, ab ejus tamen Imperii initio calumniis adversariorum, & invidia Magistratum ea vexata fuit, & aliquot fideles martyrio coronati.

III.
 Marcus Aurelius in hujusmodi solemnibus Christianos vexat.

Quinta persecutio à Severo historiarum lib. 2. numeratur eam, quæ sub Marco Aurelio contigit, quæque ab Auctore Chronici Alexandrini anno Christi 163. memoratur, cui ideo fides habenda, quod quinta Quinquennalia Cæsarei Imperii Marci in eum annum incidant. Quare perperam Baronius anno 164. & Petavius anno 162. eam describunt. Tum anno 166. idem Marcus Imperii Proconsularis Vicennalia edidit: qua occasione adeo persecutio in Gallia præsertim exarsit, ut Eusebius in Chronico scripserit: *Quarta persecutio*. Ab eo enim anno eam incipiendam duxit, quod plures martyres morti traditi sunt. Valde etiam sævitum in Christianos anno 169. quo idem Marcus Cæsarei Imperii Tricennalia celebravit. Sed nunquam Marco imperante gravior persecutio fuit, quam anno Imperii ejus decimo septimo, ut Auctor est Eusebius in Proœmio libri quinti suæ histo-

ria:

seu de Consulibus Casareis.

III

cia: Annus tunc agebatur septimus decimus Imperii Antonini Peri. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incursione popularium, innumerabiles prope Martyres per universum orbem emissa, ex iis qua in unica Provincia cantigerunt, conicere est. Galliam intelligit, in qua illustres Martyres passi, ut apud eum videre est. Non mirum autem adeo eo anno, qui Christi erat 171. violentam persecutionem fuisse, cum Imperii Proconsularis ejusdem Marci Tricennalia in eum caderent.

Sexta persecutio, ut eam Severus lib.2. hist. nominat, cœpit anno 201. quo prioris Imperii Decennalia Severus, Caracalla vero quinquennalia edidere. Nam rectè sub Muciani & Fabiani Consulatu Auctor Chronici Alexandrini scribit: *His Coss. rursùm vexati Christiani, multique pro Christo vitam posuere.* Sed in Decennalibus posterioribus ea in majus aucta; Eusebius enim lib.6. hist. cap.2. ait; *Severo annum Imperii decimum agente, cum persecutionis ardentissimum flagret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur, Origenis animum adhuc admodum pueri tanta cupido occupavit martyris, ut se periculis ipsis objiceret.* Antea cap.1. ejusdem persecutionis initium his verbis consignat: *Cum Severus persecutionem adversus Ecclesias excisisset, per omnes quidem ubique locorum Ecclesiarum illustria sunt confecta martyria, præcipue tamen Alexandria increbuerunt.* Quibus ex verbis liquet Baronium in Annalibus, Petavium in Chronico, aliosque viros doctos errasse, qui ejusdem persecutionis initium sub Severi & Caracallæ Consulatu anno nempe 202. consignant, ejusdem Eusebii auctoritate, qui tamen eisdem contrarius est. Nam cap.1. laudato loquitur de initio persecutionis, quod in Chronico anno 201. rectè locavit, & cap. sequenti de ejus incremento, quod à Decennalibus processit, verba habet. Ea itaque verborum Eusebii explicatio nem nobis aperiunt; sed de ea persecutione plura in Fastorum Rationario.

IV.
*Initium per-
secutionis
Severi malè
communiter
designatum.*

Postea Maximinus Thrax, Decius, Gallus & Volusianus ab ipso eorū in Imperium ingressu Ecclesiā persecuti sunt; Valerianus vero & Gallienus anno 257. uti rectè cōmuniter statuitur, licet verā rei hujus ratione ignorata, quod nempe is annus utriusque Quinquennialibus additus esset. Idem tamen dici non potest de persecutione ab Aureliano excitata, cujus initium malè ab omnibus communiter consignatum, ut videre est cap. ultimo hujus dissertationis, ubi Quinquennialium Aureliani, aliarumque probationum ope, eam anno 274. decretam demonstramus. Erratum denique communiter fuerat in persecutionis Diocletianæ initio consignando, licet Valesius in Notis ad lib.2.

V.
*Quibus an-
nis cetera
persecutiones
excitata.*

ac cap. 1. Eusebii eam anno 303. incepisse, solidis argumentis ostendisset. Res tamen post librum Lactantii de mortibus persecutorum in lucem emissum, in quo non tantum annus, sed & dies haecenus ignoratus, quo Edictum emanavit, memoratur, ac post nostram de Decennialium & Vicennialium cum Ecclesiae persecutionibus connexionem observationem, in dubium vocari minime debet; eo enim anno Diocletianus & Maximianus Vicennialia edidit. Denique Galerium Maximinum anno 311. sensit Ecclesia persecutorem, ut aliis ex eodem Lactantio, & Eusebio ostendam: is autem annus ejusdem Imperatoris Quinquennialibus dicatus erat. Cujus saevitiam Licinius Imperator anno 319. ut Eusebius in Chronico tradit, imitatus est. Erat is annus à Decennialibus ejus anno 315. habitis quintus. Ex quo colligitur Quindecennialia tunc cum edidisse, eaque occasione de praecedentium tyrannorum more Christianos vexasse. Ex quibus omnibus manifestum fit, persecutiones Ecclesiae cum votis Quindecennialibus, aliisque id genus vel nuncupatis, vel solutis, seu cum initio, aut cum quinto, decimo, & similibus Imperii annis connexionem habuisse, & ad eorum initium, progressumque rectè statuendum, Decennialium doctrinam non parum juvare.

VI.
*Apologia an-
 nis quibus
 ea solemnia
 celebrata à
 Christianis
 edita.*

Sed libelli Apologetici in Christianorum favorem à viris pietate & doctrinà præstantibus, Imperatoribus oblatis, non minorem cum iisdem solemnibus, quam Ecclesiae persecutiones connexionem habent: quos cum non certo & determinato tempore iisdem Imperatoribus potrigi solitos fuisse viri docti non observassent, in annis, quibus si conscripti oblatisque, consignandis errare proclive fuit. Pro hujus rei intelligentia supponendum in Quinquennialibus, Decennialibus, aliisque hujusmodi festivitatibus, leviorum criminum reos ex solemnibus vinculis solvi consueisse. Quam in rem extat egregius locus Eusebii lib. 8. in Appendice de Martyribus Palaestinae cap. 2. ubi postquam dixit Judicem S. Romanum qui diu in carcere manserat, decimo quinto Kalendas Decembris anni primi persecutionis Diocletiani, Christi nempe 303. martyrio affectisse, quod duodecimo Kalendas ejusdem mensis Diocletiani Vicennialia celebranda essent, ait: *Tandem cum Imperatoris Vicennialia jam adessent, & ex solemnibus more universis qui in custodia tenebantur, Indulgentia publicè per praconem annuntiata esset, solus ad quatuor usque puncta distentos habens pedes; in ipso jacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio sicut operaverat exornatus est.* Vicennialia enim Diocletianus & Maximianus duodecimo Kalendas ejusdem mensis, uti docet Lactantius lib. de mortibus persecutorum cap. 17. celebrarunt. Quamobrem S. Martyris

mors

mors præcipitata, ne Indulgentiâ in hujusmodi festivitibus concedi solitâ potiretur, mortemque evaderet. Videndus titulus 38. de Indulgentiis criminum in lib. 9. codicis Theodosiani. Græci hanc Indulgentiam *δωπεῖον*, seu munus, vocant, ut in præfato Eusebii loco in græco legitur; Glossæ verò veteres *δία δωπεῖον*, id est, *divina Indulgentia*: cujus cùm apud Cassiodorum in fine libri undecimi à Præfecto Prætorii emittendæ solitæ formula extet, hîc ad majorem rei claritatem attextenda.

Quamvis nomen ipsum Iudicis dicatur esse Iustitia, & totius anni orbem equitatis jubeamur ambulare vestigiis; his tamen diebus in domesticum Pietatis jure desectimus: ut ad Redemptorem omnium remissionis itinere pervenire possimus. Ex hac enim virtute suavissimos fructus legimus, & remittendo aliis nobis parcimus. Nam qui periculosè justus sumus, sub securitate semper ignoscimus. Quapropter pœnas abdicamus, tormenta damnamus, & tunc verè Iudices sumus. Matè Indulgentia, qua solvis & Præsul es. Tu Patrona humani generis. Tu afflictiis rebus medica singularis. Quis tuò non egeat munere, cùm sit peccare commune? ab universis necessariò peteris: quando sub te spes vita sumitur, qua sub iustitia non habetur. Nam dum tribus aliis sororibus caelesti gratia perfruaris, & amabili amplexatione nectamini, omnes tibi (quamvis & ipsa virtutes sint) honorabiliter cedunt, quando te humano generi salutiferam esse cognoscunt. Sed quid tantùm de terrena conversatione dicamus? pietas est qua regis & Celos. O si tecum liceret longis temporibus habitare, totus excluderetur reatus, & parcendo fieret, ut Parca tollerentur. Sed providentissimè tanta res sacris solùm temporibus videretur esse concessa, ut gratius mundus acciperet, unde pro rerum novitate gauderet. Quapropter abstine noxiam licet securim, cui licet impune facere, quod in aliis cognosceris vindicare. Ama paulisper ferrum splendidum, non cruentum. Catenas tuas lacrimis madidas felicior rubigo suscipia. Illud potius reconde, quod solebas includere. Auditoria feralium vocum meliore sorte mutescant. Sit revera nomen custodis sine mortibus alienis. Quid semper inferis laboras? aliquando & superis milia &c. Ad te Claustrorum Magistrum verba revocemus. Patere pœnale secretarium tuum innocenter esse secretum. Torqueris quidem quod nullus affligitur. A communibus gaudiis mœstus, exciperis, dum tibi solis non paritur venia generali, livida invidia comparandus. Sustine de omnium securitate jacturam, qui habuisti de multorum afflictione levissimam. Sed ut tuos quoque gemitus consolemur, illos tibi tantum modò vendica, quos lex pietatis gratiâ non relaxat, ne cùm truculentis parceret, asperissima facinora levigaret. Solvamus ergo cuncta Secularibus actibus

VII.
Formula Indulgentia in Decemalibus concedi solita.

actibus implicati. Patitur omnis homo periculosos nexos, quos festinet evadere. Claustra reos dimittant, nos vincula improbæ cogitationis absolvant. Paschalem tantum criminum Indulgentiam à Constantino-
politani Imperatoribus Gothorum Reges, qui in Italia imperarunt, accepisse, ad eamque rem hanc formulam compositam fuisse, censent viri aliqui doctissimi; sed eosdem Principes Decennalia & id genus festa, quod hætenus ignoratum, edidisse, ideoque & in iisdem criminum Indulgentiam concessisse, infra videbitur.

VIII.
*Quadratus
& Aristides
Hadriano
Decennalia
edenti Apo-
logiam offe-
runt.*

Christiani igitur reorum instar eâ Indulgentiâ frui conantes, libros Apologeticos conscribent, & Imperatoribus, annis quibus Decennalia, & id genus festa celebrabant, porrigebant. Primi, quos hujusmodi Apologias scripsisse legimus, fuere Quadratus discipulus Apostolorum, & Aristides Christianus Philosophus, de quibus hæc Eusebius in Chronico, anno Abrahami 2142. qui in anno Christi 125. mense Septembri incipit: *Quadratus Discipulus Apostolorum, & Aristides Atheniensis noster Philosophus libros pro Christiana Religione Hadriano dedere compositos. Et Serenus Grannius Legatus vir apprime nobilis literas ad Imperatorem misit, iniquum esse dicens clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi; & sine ullo crimine, nominis tantum & scilicet reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano Proconsuli Asia scribit; non sine objectu criminum Christianos esse condemnandos.* Hadrianus, ut in Rationario Consulatum Cæsareorum ostendimus, anno 126. decennalia edidit. Quare rectè Eusebius eodem anno hanc rem recitat; perperam autem Petavius in Chronico eandem anno 124. consignat deceptus Editione Eusebiana Pontaci, in qua anno Abrahami 2141. de hujusmodi libris Apologeticis agitur. Unde & Quinquennialium ope, Scaligeri Editionem Pontacenzæ hoc in loco præferendam esse intelligimus.

IX.
*Apologia
divi Iustini.*

Post Quadratum & Aristidem, quorum libri Apologetici temporum injuriâ periëre, sanctus Justinus Martyr Apologias duas, quæ ad nos usque pervenerunt, in eandem rem conscripsit: ex quibus, quæ in ejus operibus secunda dicitur, primò præsentata fuit, ideoque & prima, ut eam Eusebius lib.4. cap.12. & alibi vocat, à nobis appellabitur. At magna difficultas, quibus temporibus, quibusve Imperatoribus prædictæ Apologiæ oblatae fuerint: Baronius enim anno Christi 150. Papebrocius in Commentario ad vitam S. Iustini die 13. Aprilis anno decimo tertio Antonini Pii scriptam esse existimant. Sed his longè probabilius Scaliger in Animadversionibus Eusebianis pag.298. & Petavius in Animadversionibus Epiphianianis hæresi 46. sub initium Antonini Justinum primam Apologiam edidisse scribunt.

Quod

Quod vel solus illius Apologiæ titulus evincit. Refert illum Eusebius lib. 4. cap. 12. & in eodem Apologetico legitur : *Imperatori Tito Aelio Hadriano Antonino Pio Cæsari Augusto, & Verissimo* (Marco scilicet) *filio Philosopho, & Lucio Philosophi quidem Cæsaris naturalis filio, Pii autem adoptivo, doctrina amatori : Senatui quoque & populo Romano &c.* anno Christi 139. Marcus ab Antonino Pio Cæsar, anno verò 147. Imperii Collega nuncupatus fuit. Quare cum neuter titulus in eadem Periocha memoretur, apparet eam Apologiam ante eos Honores Marco concessos conscriptam fuisse, ideoque anno 138. aut initio sequentis. Prorsus enim incredibile Justinum, qui tam Marco quàm Lucio alios titulos, Cæsareæ dignitati & Imperio Proconsulari longè inferiores, attribuit, hos prætermisisse. Unde Eusebius in Chronico ad annum Abrahami 2156. qui in anno Christi 139. incipit, scribit : *Iustinus Philosophus librum pro nostra Religione conscriptum Antonino reddidit.* Ita habet editio Pontacena, licet in Scalligeriana uno anno tardius hæc consignentur. Initio itaque Imperii Antonini hæc Apologia scripta. Quoad secundam Baronius anno 164. qui secundum rectam Chronologiam 162. est, eam scriptam docet. Tardius ac circa annum 170. Papebrocius. Existimo tamen eam vel anno 149. vel anno 163. oblatam fuisse; Eusebius enim in Chronico anno Abrahami 2166. qui in anno Christi 149. inchoatur, ait : *Crescens Cynicus agnoscitur, qui Iustino nostri dogmatis philosopho, quia se gulosum & prævaricatorem Philosophia coarguebat persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit.* In eum annum Decennalia Imperii Cæsarei Marci incidebant : qua occasione Iustinus eam Apologiam edidit, quod supponit ibidem Eusebius, qui cum prioris meminerit, non videtur posteriorem prætermisisse. Eam autem Marco dedicavit, ut tradit idem Eusebius in lib. 4. hist. cap. 18. verum est Valesium in Notis Eusebianis scribere illam non Marco Aurelio, sed Antonino Pio dicatam, Eusebiumque hac in re hallucinatum fuisse; sed cum argumenta, quæ profert, eam quidem Antonino imperante editam probent, neutiquam verò Marco Aurelio Imperii Collegæ, ob idque Imperatoris nomine exornato, nuncupatam non fuisse, sua fides Eusebio stat, si dicamus Antonino Pio imperante Orationem illam conscriptam, sed Marco Imperii Collegæ dedicatam. Qua de re plura alibi, sufficiat hic observare eam, vel Decennialibus Imperii Cæsarei Marci, vel quintis ejusdem Imperii Cæsarei Quinquennialibus, anno nempe Christi 163. quo jam Antoninus Pius obierat, porrectam fuisse; Auctor enim Chronici Alexandrini eo anno vexatos Christianos fuisse docet, annoque 165.

Orphiti & Pudentis Consulatu notato scribit: *Iustinus Philosophus nostrarum partium, cum alterum pro nostra sententia decretis volumen Marco Aurelio & Antonino Vero Augustis porrexisset, non longo post tempore caelesti martyrii laurea à Crescente delatus, exornatur.* Quibus indicat hoc quidem anno Justinum Martyrio coronatum, sed antea anno nempe 163. secundam Apologiam edidisse. Unde subjungit statim idem Auctor: *Quin & Melito in Asia Sardicensium Episcopus iisdem Imperatoribus Apologeticum dedicavit, aliisque minime pauci.* Licet postea anno 169. uti mox videbimus, Melitonis Apologiam eodem anno porrectam fuisse rectè tradat. Sed de his aliàs pluribus. Incertum enim an Justinus sub Antonino, vel sub Marco Martyrium passus fuerit.

X.
*Apologia
 Athenagora
 & Melitonis
 quando scri-
 pta.*

Athenagoras Atheniensis Philosophus Christianus legationem pro Religione suscepit, Apologiamque pro Christianis ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, ejusque fratrem adoptivum Imperii-que Consortem Lucium; non, ut plerique sentiunt, filium ejus Commodum reddidit. Quare ea Apologia ante finem anni 169. quo Lucius decessit, & post annum 165. quo Peregrinus Philosophus in ardentem pyram se dedit præcipitem in Ludis Olympiis, scripta, ideoque anno 166. quo uterque Imperator Augustei Imperii Quinquennalia edidit, ac de Parthis triumphavit. Qua de causa ipso penè ejus exordio ait Athenagoras, tunc universum terrarum orbem in altissima pace fuisse. Ex quibus patet eam legationem perperam à Baronio in annum 179. & à Petavio in annum 177. conjectam fuisse. Post Athenagoram Melito, Sardiensis Episcopus pro Christianis sæva persecutione exagitatis Marco Apologeticum obtulit. Rem gestam existimat Baronius anno 172. qui secundum rectam Chronologiam 170. est, quo porrectum fuisse Petavius in Chronico existimat; sed falli eos, rectèque Auctorem Chronici Alexandrini id anno 169. factum, Tricennalia Imperii Cæsarei Marci eo anno celebrata evincunt, ostenduntque Eusebium in Chronico, qui id consignat anno Abrahami 2186. qui incipit in anno Christi 169. intelligendum esse de priori ejusdem anni Abrahamitici parte, quæ à Septembri anni 169. incipit, & initio Januarii sequentis desinit. Hæc itaque eo anno in Chronico Alexandrino leguntur: *Melito Asiaticus Sardicensium Pontifex & Apollinarius Hyerapoleos Antistes, & comp'ures nostræ professionis alii, Apologeticos Marco Aurelio Antonino obrulère.* Valesius in Notis ad Eusebium lib.5. in Proœmio ait malè in Chronico Eusebii scribi Melitonis Apologeticum Marco esse oblatum anno ejus Imperii decimo, quod in fragmento ejusdem Apologetici ab Eusebio lib.4. cap.26. relato;

relato, idem Melito dicat Marcum ex omnium voto ſucceſſorio jure obtinuiſſe Imperium, obtenturumque *deinceps cum filio ſuo*. Jam enim, inquit, Commodus à Patre adſcitus fuerat in conſortium Regni, quod ſub ſinem Imperii Marci contigiſſe conſtat. At non advertit Valeſius Commodum Marci filium jam ab anno 166. Cæſarem nuncupatum fuiſſe, ideoque ad Imperium Paternam deſtinatum. Fallitur præterea in numerandis Eufebii Chronici annis; ii enim non ab annis Chriſti vel Imperatorum, ſed ab annis Abrahami deducendi, ut aliàs oſtendam.

Res ei melius in Notis ad librum quintum Eufebii cap. 21. ſucceſſit, quando ſcripſit Apollonium Senatorem Romanum, de quo Baroniſius anno 189. numero primo, coram Judicibus pro fidei ſuæ deſenſione diſertiffimè peroraſſe quidem, ſed nullum Apologeticum conſcripſiſſe, licet Divus Hieronymus ex Eufebii loco malè intellecto Apollonium inter Scriptorum Eccleſiaſticos numerarit, Baroniſiusque duos Apollonios diſtinxerit, alterum Martyrem ſub Commodo, alterum ſcriptorem Eccleſiaſticum. Eufebius enim loco laudato tantum habet: *Martyr Deo acceptiſſimus, cum Iudex multis eum precibus obſecraſſet, poſiſſetque ab illo, niſi coram Senatu rationem fidei ſuæ redderet, elegantiffima oratione pro deſenſione fidei ſuæ coram omnibus promunciata, capitali ſupplicio à Senatu damnatus eſt*. Quare de eo hic ſermo eſſe non poteſt.

Tertullianus Apologeticum librum ſcripſit anno 198. quo Severus Quinquennalia edidit, Romæque diſceſſit, quam ob cauſam ad Magiſtratus Romanos illum direxit. Nam licet nullum adhuc ab eodem Imperatore adverſus Chriſtianos Edictum promulgatum fuiſſet, ut liquet ex eodem Apologetico, capite quinto, Plautianus tamen, cujus autoritate Romæ omnia fiebant, Chriſtianos vexare incipiebat: quæ vexatio hujus Apologiae cauſa. Minutii Felicis Apologia tempore quidem incerto ſcripta, at ſine dubio in aliqua ex huiusmodi feſtivitatis, vel ſub eodem Severo, vel ſub Marco Aurelio. Denique Arnobius libros ſeptem adverſus gentes, quibus à nonnullis aliàs, tanquam octavus ſubjiciebatur ejuſdem Minutii dialogus, inſcriptus octavus, edidit anno urbis conditæ milleſimo quinquageſimo, ut ex ejus libro ſecundo diſcimus, anno nempe Chriſti 297. quo Galerius Maximianus Cæſar Quinquennalia celebravit. Ex quibus omnibus manifeſtum fit in Decennialibus, & id genus feſtis duo inter ſe contraria facta fuiſſe; perſecutiones ſcilicet adverſus Chriſtianos decretas, & eiſdem indulgentiam, ut vocabant, conſeſſam, vel ſaltem ab illis petitam, idque uſque ad Conſtantini Magni tempora, de cujus

XI.
*Apollonius
Martyr nul-
lam Apolo-
giam ſcrip-
ſit.*

XII.
*Apologia à
Tertulliano,
Minutio Fa-
ce & Arno-
bio ſcripta.*

Decennialibus Eusebius in ejus vita lib. 1. cap. 48. ait : *dum in hoc statu esset, decimus Imperii ejus annus evolutus est. Cujus rei causâ festis diebus per universum orbem Romanum celebratis, preces cum gratiarum actione, tanquam puras victimas, ignis & nidaris expertis, Deo omnium Regi obtulit, celebrata ea Decennialia, ut infra videbimus, anno 316. in iisque primùm vetus mos Imperatorum gentilium Diis sacrificia immolandi abolitus. Antea enim, ut Pollio in duobus Gallienis cap. 8. de Decennialibus Gallieni Augusti loquens, celebrabantur hec tumbæ, quod sacrificii genus, in quo centum hostiæ ad aram matabantur; & superstitiosus Idolorum cultus tum maximè exercebatur. Sed pace Ecclesiæ per eundem Constantinum reddita, aliter se res habuit, iisque in solemnibus in favorem Religionis Christianæ, quod antea in Paganismi gratiam, actum; iis nempe annis, quibus ea celebrabantur, templa vero Deo constructa, & ab Episcopis in eum finem coactis, dedicata: Emissa præterea Edicta ad abolendum paulatim Paganismum, sacrificia, Deorum templa, & ad Religionem Christianam amplificandam ac propagandam.*

XIII. Audiendus Eusebius, qui eo tempore vivebat. Is narrato ultimo hostium Christianæ Religionis exitio, libro X. historię, capitetercio ait : *Post hæc votivum nobis ac desideratum spectaculum præbatur, dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, & Oratoriorum recens structorum consecrationes: ad hæc Episcoporum Conventus: peregrinorum ab externis & procul dissitis regionibus concursus.* Tum innuit non tantum Episcopos ad festivitates illas convenisse, sed & panegyricas Orationes habuisse, uti in urbe Tyri, in qua vir quidam Tyrius ad Paulinum urbis Episcopum conversus orationem habuit, (quam capite sequenti integram refert,) in dedicatione Ecclesiæ, ejusdem Episcopi cura constructæ, *presentibus, ut in Ecclesia conventu, pluribus pastoribus, qui nempe ad illius templi dedicationem convenerant.* Quam quidem, vel in Licinii, qui Christianis tunc favebat, Decennialibus anno 315. actis, vel in Constantini Decennialibus anno sequenti peractis factam fuisse, mos, qui antea apud Gentiles, & postea apud Christianos viguit, ostendit. Præterquam quod eum templum illud, *omnium quæ in Phœnice erant, longè pulcherrimum* esset, ut docet ibidem Eusebius, non nisi per aliquot annorum spatium constructum. Hujusmodi tamen Encœnia tardiùs ab Auctore Chronici Alexandrini consignata; is enim *Indict. VII. Constantini XIV. Constantino Augusto VI. & Licinio Coss.* anno nempe 319. quo Constantinus V. (quem is auctor VI. vocat) & Licinius Cæsar Consules fuerunt, scribit; *Cælesti Christi Servatoris lumine per Orbem universum*

sum in omnes Ecclesias dilato, & templorum per tyrannos antea dejectorum, ubique à fundamentis in immensam altitudinem elatorum, non solum Encenia celebrata sunt, sed & Imperatores etiam pro Christianis Edicta perpetua promulgarunt. Quæ ad annum 315. quo Constantinus & Licinius Augusti quartum Consulatum gesserunt, pertinere nemo non videt. Tùm Constantinus anno 325. Vicennalia Nicomedie celebravit, quæ ubi ejusdem Chronici Auctor recitavit, ait: Καὶ τὴν τεχνητῶν καὶ ἐπιτάγματα ἀπέβλεψεν τῷ ὄνοματι τῆς αὐτῆς ἐκκοσμοταξίδος, καὶ ταῖς κατέβλεψεν ἱκανοῦς πόλλα ἰδωρήσατο, id est, eodem anno ejusdem Vicennalium Artificum & Collatorum (hoc est, Provincialium qui tributa conferebant) onera sustulit. Ecclesiis multa ubique contulit. Vides ut Ecclesia, quæ in hujusmodi solemnibus ab Imperatoribus Ethnicis opprimebatur, in iisdem postea à Christianis Principibus exaltata ac locupletata fuerit. Subjungit enim idem Chronicon Alexandrinum: Eodem anno Constantinus Imperator totius Imperii Romani solus omnia ubique Idola deiecit, & pecunias omnes, omnesque opes illis detractas ad Ecclesias Christi ornandas & Christianos transfudit. Quæ propter & templa sive Dominica ad paganorum conversionem passim & Christi Dei Servatoris nostri cultum excitavit. Dein anno 335. idem Imperator Tricennalia celebravit, Episcoposque, qui Tyri congregati erant, hortatus est, ut omnes quamprimum Hierosolyman convenirent ad Basilicam sanctæ Crucis à se constructam dedicandam. Qua de re audiendus Eusebius lib. 4. vitæ Constantini cap. 40. Tempus deinceps Tricennalium suorum opportunissimum esse existimavit, quò summo omnium Regi gratias ageret. Et ipse quidem optimum factum esse, judicabat, si ejus Martyrii, quod singulari studio, ac magnificentia Hierosolyman construxerat, dedicationem celebraret.

Sub Constantio Constantini magni filio idem observatum; anno enim Christi 341. anno quinto post obitum Constantini patris Augustorum, inquit Socrates lib. 2. cap. 8. Concilium Antiochenum congregatum ad dedicandam Ecclesiam, quam Constantinus construxerat. Hæc genuina illius Synodi occasio, ut ostendit Emanuel à Schelstrate lib. de Concilio Antiocheno dissertat. 1. cap. 4. non tantum ex Socrate & Auctore Anonymo, sed & ex D. Athanasio. Quare hallucinati sunt Baronius, aliique viri docti, qui eam Synodum Antiochie habitam scripsere, ut fides & disciplina Ecclesie restitueretur, & Athanasius Synodali sententiâ throno ejiceretur, non animadvertentes hujusmodi Enceniarum occasione Concilia celebrata fuisse, non verò Encenia occasione Concilii facta. Illud itaque sedulo observandum Antiquitates ad Ecclesiarum Encenia celebranda de more

XIV.
Ecclesia
Antiochena
in Quinquag.
malibus Cō-
stantii dedi-
cata.

per hæc tempora convenisse, prætereaque annos Quinquennialibus & id genus festis addictos, uti quondam Ethnici præstiterant, in eandem rem electos fuisse. Cujus rei in Consulatum Cæsareotum Rationario tot exempla adduxi, ut id in dubium revocari non possit.

XV.
Reliquiarum
translatio in
Decennialibus
feri so-
lita.

Sed quia antiquitus sine Sanctorum Martyrum Reliquiis nulla prorsus dedicabatur Basilicæ, ut doctè ostendit Petavius libro 14. Theologic. dog. de Incarnatione cap. 12. eæ non tantum in Decennialibus & id genus festis extructæ dedicatæque, sed & Sanctorum Reliquiæ, tanquam victimæ triumphales, iisdem in solemnibus de morte translata: quæ causa forsan fuerit scriptoribus gentilibus actius in earum cultum invehendi, veluti Eunapio in vita Aedesii, & Libanio Sophistis celeberrimis. Hujus rei non pauca in fastis digerendis exempla protuli, quibus & istud addendum. Anno Christi 406. Arcadius Imperator quinta Quinquennalia Imperii vivente Patre initi, edidit. Quo anno hæc habet Chronicon Alexandrinum: *Eodem anno delata sunt Reliquia S. Samuelis Constantinopolim per gradus, scalasque Chalcedonenses mense Artemisio XIV. Kalendas Iunias, pompam ducentibus Arcadio Augusto, & Anthemio præfecto Prætorio, Consulibus, item & Emilianò præfecto urbi, & universo Senatu.* Quæ pompæ translationes hæc fierent, magis explicat Hieronymus contra Vigilantium, qui hunc cultum, sacrilegium, uti recentiores Hagiologi, reputabat: *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicam ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andree, Luca (legendum Constantius, testè ipsomet Hieronymo in Chronico, ubi de hac translatione agit anno 357. quo idem Constantius Cæsarei Imperii septima Quinquennalia edidit,) & Timothei (facta ea translatio anno 356. qui vicessimus erat Augusti ejus Imperii) transfudit Constantinopolim: apud quas demonis rugiunt, & inhabitatores Vigilantis illorum se sentire presentiam consentunt? Sacrilegus & nunc dicendus est Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transfudit in Thraciam? omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in Serico & vase aureo portaverunt? Sentes omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquiis, & tanta lætitiâ, quasi presentem, viventemque Prophetam cernerent, susceperunt: ut de Palestina usque ad Chalcedonem, jungerentur populorum examina, & Christi laudem una voce resonarent.*

XVI.
Ossa Præsi-
jum aliquæ.

Illustre profectò argumentum, adhuc non observatum, ad vincendos nostri temporis hæreticos, qui omnem Reliquiis venerationem denegant, licet prioribus Ecclesiæ sæculis eæ non tantum colerentur,

colerentur , sed & si transferri contingeret , triumphali pompa , annisque solùm lætitiæ publicæ , rebusque majoris momenti dedicatis, veherentur. Non dispar aliquando honor Principum Offibus habitus; docet enim Theophanes Macedonium , qui Constantinopolitanam Sedem invaserat , cùm Constantini M. Corpus è SS. Apostolorum æde , ruinam ejus caufatus, ad S. Acacii templum transferri vellet, id eum præstitisse anno Christi 360. qui , ut videre est in nostro Rationario , Quinquennialibus Juliani adhuc Cæsaris dicatus erat. Sic Idatius in Fastis sub Merobaudis, & Saturnini Consulatu , anno scilicet 383. Theodosii Magni Quinquennialibus destinato , scribit : *& ipse anno ingressum est Constantinopolim Corpus Constantia , filia Augusti Constantini , die II. Idus Septemb.* Sed cùm anno tantum sequenti Quinquennalia Theodosius celebravit , incertum an in ea translatione , similibusve , hujusmodi solemnium ratio habita fuerit. Porro obiter advertendum Constantiam hanc Gratiani uxorem , & Constantii , non verò Constantini filiam fuisse , ut docet Ammianus lib. XXI. cap. XV.

*do in his
solemnis
transfata.*

Cæterum non ago hîc de Ediçtis, vel in Religionis Christianæ favorem , vel ad abolendum paulatim paganismum emanatis , quia cùm eorum pleraque adhuc in Codice Theodosiano extant , opportunius de iisdem cap. sequenti tractabitur. Hoc tantum addam, annos, quibus Decennalia , aliæque hujusmodi solemnia celebrabantur, fuisse ab initio ad finem publicæ lætitiæ , iisque quæ cum pompa & apparatu fieri solent , dedicatos , ac uno verbo totos triumphales , apud Ethnicos quidem ante Constantinum M. post illum verò apud Christianos , qui non tantum Decennalia & id genus festa , sed & quæcumque ab illis in iisdem solemnibus fieri mos erat, sublatis superstitionibus , retinuerunt.

XVII.
*Anni quibus
Decennalia
celebrata,
festivi.*

CAPUT QUARTUM.

Decennalium beneficium Codex Theodosianus illustratus.

Postquam Imperatores Christiani habenas Imperii Romani regere cœperunt , quæ ad Religionis Christianæ ; & Reipublicæ decus ac splendorem , propriæque famæ immortalitatem maximè facere videbantur , Imperii initio , ac in Quinquennialibus , Decennialibus, & id genus festis, ab iis præsertim curata fuisse ex Codicis Theodosiani,

I.
*In Decennialibus curata
qua ad Religionem spectant.*

dosiani, veterumque monumentorum lectione eruere facile fuit, post observatum Ethnicorum Imperatorum morē, qui in iisdem solemnibus salforum Deorum cultum promoverant, templa, thermas, pontes, porticus, aquæductus, aliaque opera publica construxerant; quod licet ex Antiquis nec ex recentioribus Scriptoribus nos docuerit, id tamen, cum animadverterem anno quinto, aut decimo Imperii, sive incuntis, sive exacti, ea opera ut plurimum facta, collegi. Et quidem quoad Religionem spectat, Ecclesiarum dedicationem, ac Reliquiarum translationem, iis annis quibus eæ festivitates peragebantur, fieri solitas fuisse, superiori capite jam ostendi. Constantinus Magnus anno 325. quo Nicomediæ Vicennalia edidit, variis modis Ecclesiæ bono consuluit, ut ibidem etiam demonstratum. Anno sequenti, quo Vicennalia Romæ celebravit, inter alia multa, in Hæreticos, & Schismaticos constitutionem edidit, quæ extat lib. 16. Codicis Theodosiani Titulo 5. *de Hæreticis*, ubi lege primâ, privilegia Catholicis Clericis concessa, ad Hæreticos & Schismaticos pertinere negat. Theodosius Magnus anno 392. in quem Arcadii ejus filii secum impediatis Decennalia cadebant, cultum omnem gentilitium inhibuit, ut videre est eodem libro, Titulo 10. *de Paganis, Sacrificiis & Templis l. 12.* ubi & lex 4. quæ *de Templis occludendis, & Sacrificiis prohibendis extat*, data est à Constantio anno 353. quo Imperii Cæsarei Tricennalia Arelate celebravit. Annis etiam quibus ea festa edebantur Judæis privilegia concessa, aut adempta, ut videre est eodem libro, Titulo 8. *de Judæis, Cælicolis, & Samaritanis l. 2.* quâ Præsidentes legi Judaicæ ab omnibus omninô muneribus civilibus, & personalibus immunes declarantur, quæ data est à Constantino magno anno 330. in quem ejus quinta Quinquennalia cadebant. Denique l. 16. quâ Judæi & Samaritani omni militia privantur, data est ab Honorio, anno 404. quo Decennalia Romæ celebravit. Illudque observatu dignum, quod celeberrima illa collatio inter Catholicos & Donatistas diù expetita, de qua Baronius in Annalibus, celebrata est anno 411. quo Theodosius Junior Decennalia, Honorius Vicennalia dedit, postquam hic anno Superiori Marcellinum Tribunalium & Notarium, ut Donatistas ad publicam collationem cogeret, misisset. Neque alius annus opportunior visus ad pacem Ecclesiæ procurandam; & Schismaticos in Ecclesiam compellendos.

II.

In Decennalibus curata qua ad Rē publicam spectant.

Reservata etiam ut plurimum in eosdem annos, quæ ad Principis gloriam, Imperiique bonum magis conducere videbantur. Quam ob causam Indulgentia criminum, similesque gratiæ annis, quibus hæc solemnia celebrabantur, concedi solitæ lib. 9. Tit. 38. *de Indulgentiis criminum*

crimini l. 8. Paſchalis Indulgentia, quæ quotannis ab Imperatoribus emitti ſolebat, à Valentiniano Juniore juris fit ordinarii, & in aſſiduam Judicium vertitur juridiſtionem, anno 385. in quem ejus Decennalia incidebant. Tributa etiam iisdem annis remiſſa, vel relaxata lib. 11. Tit. 1. *de Annona & Tributis* legitur l. 23. à Theodoſio Magno anno 393. emiſſa, quâ ærariæ præſtationis adjectio citra priſſam conſuetudinem invec̄ta tollitur. Erat autem is annus ejus Quindecennalibus dicatus Lib. 11. tit. 7. *de Exactionibus* l. 3. quâ carceris, aut tormentorum injuriâ Provinciales pro tributorum ſolutione affici à Judicibus vetantur, data eſt à Conſtantino M. anno 320. ejus Quindecennalibus dicato. Eodem lib. tit. 18. *de extraordinariis ſive ſordidis muneribus* legitur lex 18. anno 390. data à Valentiniano Juniore, cujus Quindecennalia in eum annum cadebant. Conceſſa & iisdem annis, corporibus, Collegiis, Civitatibus, ac Provinciis privilegia. Sic lib. 6. tit. 26. *de proximis Comitibus diſpoſitionum, carerisque qui in ſacris ſcriniis militant* lex 14. de Privilegiis ſcriniariorum, proximorum, & comitum diſpoſitionum data eſt ab Honorio anno 407. quo Imperii vivente Patre initi Quindecennalia celebravit. lib. 10. tit. 10. *de petitionibus & ultrò datis* l. 6. qua donationes à Conſtantino Magno Eccleſiis, aliisque factæ confirmantur, data eſt à Conſtantino ejus filio anno 342. quo Cæſarei Imperii Vicennalia celebravit. Præterea ſplendori operum publicorum iisdem annis conſultum. Sic Valentinianus Junior anno 390. quo Quindecennalia celebravit, leges 26. 27. & 28. quæ lib. 6. tit. 1. *de operibus publicis* leguntur, & duas ſequentes, nempe 29. & 30. Theodoſius ob eundem finem anno 393. in quem Arcadii ſecum regnantis Quindecennalia incidebant, emiſere.

Illud denique non prætermittendum, ea quæ de novo conſtituebantur, utpote magis memorabilia, iisdem annis fuiſſe addicta. Codex Theodoſianus anno 438. à Theodoſio Juniore ejus conditore confirmatus eſt, uti oſtendit Gochofredus in Prolegomenis ad eundem codicem Num. 3. qui annus Tricennalibus ejusdem Theodoſii poſt patrem imperantis dicatus erat; Cujus poſtea exemplo Juſtinianus anno 529. qui quintus Imperii ejus erat, Codicem Juſtinianum promulgavit. In lib. 16. ejusdem Codicis Theodoſiani tit. 2. *de Episcopis, Eccleſiis, & Clericis* lege 38. Honorius Imperator Africanis ſingulare privilegium concedit, ut advocati deinceps judiciis Eccleſiarum, & privilegiorum Eccleſiaſticorum deſenſores ſe ſiſterent: quod quidem privilegium novum fuit, datumque anno 407.

III.

Quæ de novo conſtituta in Decennalibus propoſita.

quo idem Honorius Quindecennalia Imperii vivente patre celebravit.

IV.
*Codex Theodosianus à
Decennali-
bus lucem
accipit.*

Ex his observationibus Codex Theodosianus egregiis Notis à Jacobo Gothofredo illustratus, quique Imperatorum Christianorum leges ab anno 312. quo Constantinus M. Ecclesiæ patrocinium suscepit, ad annum 438. continet, magnam lucem accipere potest, si nempe annus, quò leges datæ advertatur, & nùm Decennalia & id genus festa earum emittendarum causa & occasio fuerint. Quod quidem idem Gothofredus subodoratus fuerat, licet postea in Commentariis ad leges præfati Codicis, quæ inde commoda elici possent, non animadvertit. Is enim in Chronologia ejusdem Codicis anno 321. quo Crispus & Constantinus Junior Cæsares, Constantini M. filii, Quinquennalia celebrarunt, scribit: *Donatista his Coss. III. Nonas Maias post quartum exilii annum & mensem ferme sextum ab exilio relaxati à Constantino M. litteris datis ad Verinum Vicarium Africa Kal. Maii his Coss. in Collat. Carthag. die 3. c. 549. apud Augustinum in breviculo Collat. die 3. cap. 22. p. 582. post Collation. lib. 1. c. 31. 33. & Ep. 152. & p. 698. factum verò id conjicere licet ob Quindecennalia Constantini M. & Quinquennalia liberorum suorum.* Quod quidem verum est. At non illud tantum, sed & Constitutiones variæ, eodem anno datæ, & ab eodem Gothofredo summatim ibidem relatæ, aliam causam, quod ipse non advertit, non habuere: nempe quod Dominicum diem otio manciparit, diebusque judiciariis excemerit, duabus Constitutionibus eo anno latis, quæ lib. 2. tit. 8. de feriis extant: Haruspiciæ usum, seu haruspices consulendi potestatem Romæ, & quidem de fulguris tactu, tum senatui, tum privatis fecerit, lib. 16. tit. 10. de paganis, sacrificiis & templis l. 1. de manumissionibus in Ecclesia Constitutionem ediderit ad Osium Episcopum Cordubensem: ut videlicet Clerici soli sine teste servos manumittere possint, ex eaque manumissione directa, plenaque libertas competeret lib. 4. tit. 7. l. 1. de Manumiss. in Eccles. ob eadem etiam Quinquennalia magicas artes innoxias indulgit lib. 9. tit. 16. de maleficis l. 3. Ecclesiis etiam Catholicis testamento quidlibet cuique relinquendi potestatem fecit lib. 16. tit. 2. de Episcopis, Ecclesiis & Clericis l. 4. Ex quo deinceps opes Ecclesiarum procellere. Denique Professorum, Medicorumque privilegia, immunitates & salaria sancivit lib. 13. tit. 3. de Medicis & Professoribus l. 1. Horum, inquam, omnium, Crispi, & Constantini Junioris quinquennalia occasio fuere. Cum, uti jam diximus, annis quibus id genus solemnia celebrabantur, reis indulgentia concedi, privilegia Collegiis, & Urbibus solerent, Ecclesiæque gratiis,

gratis, & favoribus cumulari, quod Gothofredum non observasse mirum mihi accidit.

Hujus regulæ beneficio variarum legum arcana in lucem proferri, uno aut altero exemplo demonstrabo. In lib. 9. tit. 28. de *Indulgentiis Criminum* l. 9. ab Honorio Imperatore, Stilicone, & Aureliano Coss. id est, anno Christi 400. data legitur, quâ exilio damnatis, aut metallis deputatis, omnibusque omnium criminum reis Indulgentia conceditur. Hæret Gothofredus in hujus Indulgentiæ causa, atque eam quibusdam videri posse, quod quartum sæculum à Christo nato clauderetur, cum Severus Sulpicius, qui hoc ipso Consulatu scribebat, annum Christi 400. à Christo nato, & passo supputet, quam conjecturam merito rejicit, cum annos à Christo computare, recentioris sit instituti. Præterquam quod non dicit Sulpicius eum annum à Christo nato quadringentesimum esse, sed tantum à Christo passo ad præsentem Consulatum fluxisse annos 372. à Consulatu enim duorum Geminorum, annoque Eræ Dionysianæ vigesimo nono, quo ipse passionem Christi consignat, tot anni interjiciuntur. Quod non intelligens Gothofredus scribit, eum numerare debuisse annos 405. supponens nempe Christum passum esse anno 33. Eræ vulgaris, quod procul à mente Sulpicii est. Hanc conjecturam rejectam addit. *Potem magis id factum, seu hanc Indulgentiam nunc ab Honorio tributam, sive militia ergo, ad quem finem quoque spectat ejusdem hoc ipso anno lex 12. de Veteranis, lex 18. de re militari: lex 10. de desertoribus. Vel corporum & Collegiorum causa quo pertinent ejusdem l. 1. 2. 3. de his qui conditionem propriam reliquerunt. Et l. 1. utrum vi.* Ita ille. Sed hæc mera verba, data præfata Indulgentia, omnesque quas hoc anno emissas citat ibi Gothofredus, ob Quinquennalia Imperatoris Honorii post Theodosii magni mortem imperantis. Obiit enim is anno 395. Ex his, præterea constitutionibus, aliisque anno 400. datis, manifestum sit, Honorium Quinquennalia non anno 399. quo quintus Imperii ejus inchoatus est, sed anno 400. quo is absolutus, celebrasse.

Titulus primus libri 13. est de *lustrali conlatione*, de cujus veltigalis acerbitate Veteres plura habent. Vocabatur illud alio nomine *Chrysargyrum*, quod singulis lustris non tantum à negotiatoribus, sed etiam à metreticibus exigebatur. Scribit Gothofredus in Commentario ad legem primam de lustrali Conlatione à Constantio Augusto, anno Christi 357. emissam, quarto quoque anno veltigal illud solum fuisse, quod Evagrius, Zozimus, & Cedrenus illud *τραπεζιτικόν* disertè fuisse dicant. Sed cum Constantinus Magnus

V.
Causa Indulgentiæ criminum ab Honorio data.

VI.
An Chrysargyrum quarto vel quinto anno solum fuerit.

ejusdem vectigalis anno 320. in quem ejus Quindecennalia incidebant, mentionem fecerit, & Veteranis ejus immunitatem dederit, prætereaque ex tribus legibus, quas Constantius ejus filius de ea Conlatione edidit, prima emanata fuerit ipso IX. & Juliano Cæsare Coss. anno scilicet 357. quo Romæ Cæsarei Imperii septima Quinquennalia edidit, existimandum singulis quinquenniis, non verò quadrienniis illud solutum fuisse. Antiqui enim lustri nomine Quinquennalia appellarunt. Sic Sidonius carmine ad Majorianum Augustum.

*Sic lustro Imperii perennis æto
Quinquennalia fascibus dicentur.*

Id est, exacto Imperii quinquennio, quinquennalia celebrabuntur. Quod quidem rectè observavit Scaliger lib. 5. de emend. temp. licet perperam scripserit Sidonium intelligere lustrum quinque annorum absolutorum; non enim tantum exacto quinquennio, sed & eo incipiente, ea solemnia indiscriminatim facta fuisse jam docuimus. Eumenius etiam in Panegyrico pro Augustodunensibus Constantino Magno, anno 311. dicto cap. 13. ait: *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicibus.* Et infra: *quid ergo nos convenit gratulari de hoc indulgentia tua lustro. Lustro, quò licet nulla frugum cessarit ubertas, fecisti tamen, ut omnia largiora videantur fuisse, quàm fuerint.* Themistius Oratione 17. quæ de Quinquennalibus Theodolii Magni est: *Hoc nimirum est exoptatissimum lustrum, quodque sibi decennium querit. Hic circulus ille, quem sæpius insequentis accessione evolvi expediat.* Ex loco Symmachi anno 387. in Rationario Cæsareorum Consulatum referendo constat Quinquennalia primum Lustrum vocata fuisse, Decennalia secundum Lustrum, Quindecennalia tertium. Quare non dubito lustralem conlationem cum hujusmodi solemnibus connexionem habuisse, & quinto quoque anno ineunte solutam fuisse. Neque Zozimum, aliosque qui hoc tributum τετραετηρικὸν fuisse scripsere, aliter intellexerunt; cum enim quarto tantum anno exacto, quintoque incepto solveretur, lustralis dici potuit, & τετραετηρικὸν, sicut Olympias, dicitur lustrum, licet singulis quadrienniis celebraretur.

VII.
Ostenditur
ex Libanio
Chrysargy-
rum singulis
quinquen-
nialibus
fuisse.

Sed Libanius, qui eo tempore vixit, quo vectigal illud maximè acerbitate exigebatur, difficultatem dirimit in oratione contra Florentium pag. 427. ejus elegantem locum à Valesio in Notis ad Librum tertium Evagrii cap. 49. emendatum hinc adscribam: *λεγίσθη τῶνδ' ἢ τὸ τ' ἀλλὰ πάντα τετραετηρικὸς, εἴτε ἢ ἐστὶν ὁ ἀφόρητος φόρος, ἄργυρον, ἢ χρυσὸς φέρῃται πρὸς τὰς δηνάριας πεντατηρίδας. ἴσθημα ἐστὶ*

ἢ ὑπερπλεῖ ἀπὸ τῆς ἐμπορίας τῶν σίφων τῷ θαλάτῃ ἢ ἐκείνων ἐς διαδόσθαι χρυσοῦν, δις μόλις ἄρτι προσφέρουσιν αἱ χεῖρες, ἀπόλλητα, διαφύγει ἢ ἢ νευροφραγῶ. ὡς ἐγὼ πολλάκις εἶδον τῶν σιμῶν ἢ ἐς ἕσπερον ἄεροντας, δμνήντας μὲν ἐν αὐτῇ τὰ πάντα ἢ) σφίσι. ἢ μὲν τῷτο γε αὐτὸς ἀπαλλάττει τῆς ἐγκομίαν, καὶ ὑλακτόντων, καὶ μόνων ἢ δακτόντων. ἕτος ἢ καρδῆς, ὁ βασιλεὺς, πλείων τῶν δουλείαν καθίστησιν, ἐκβάλλον ἐλευθερίας τὰς ἡδὲ τῆς γονίων πολυμέρες, ἢχ' ἵνα αὐτοῖς δέξεται τῶν τιμῶν τὸ κισώτιον, ἀλλ' ἵνα αὐτὴν ἴδωσιν ἐἰς τῶν ἢ κατσαίγοντῶ ἀξίαν ἐρχομένην. Quæ sic interpretor, Iam verò dicamus etiam malum illud, quod reliqua cuncta longè superat. Id autem est tributum intolerabile, Chrysargyrum scilicet, quo fit, ut singula quinquennalia, quoties jam propinqua sunt, terrorem animis injiciant. Et nomen quidem huic conlationi speciosum est ex Mercatoribus. Sed cum isti mari utantur ad merces suas divendendas, si quibus manus agrè panem suppeditant, funditus pereunt. Nec immunis ab hoc malo futor, quos quidem ego sapius vidi, scalpro ad cœlium sublato, jurantes in eo sua omnia reposita esse. Nec tamen istud eos liberat à vexatione eorum, qui ipsis incumbunt, & qui latrant, ac tantum non mordent. Hoc tempus Imperator, servorum numerum auget, spoliat enim libertate eos, qui à Parentibus venundantur, non ut ipsi pretium venditionis in arcam suam referant; sed ut illud in manus compulsoris transire videant. Ex quibus ut id obiter dicam, intelligis jure ab antiquo Auctore quæstionum Veteris ac Novi Testamenti in quæst. 75. scriptum, *pænosum aurum*, tributum illud vulgò vocatum fuisse; verumque esse quod diximus, singulis quinquenniis solum illud fuisse. Neque his obstat quod 1.56. βασιλικῶν tit. 12. habeat; αἱ ἢ τὸ τέλῶ αὐτὸ παρέχοντες ἀδοίαν ἐχέτωσαν, ἢτε ἐν-Κωνσταντινοπόλει, ἢτε ἐν τῇ ἰσαρχίᾳ καταβαλεῖν αὐτὸ ἢτε ἢ τέταρτον καὶ ἢ ἡμισίον, ἢτε ἢ τριταίτιαν δεχῶ μὲν τοι ζηνίας καὶ διαστροφῆς, id est, qui verò tale onus agnoscunt, in eorum arbitrio sit id solvere Constantinopoli, vel in provincia, sive quarto quoque anno, sive ultra quadriennium, sine damno & perverſitate ulla; Nam cum Quinquennalia & id genus festa quinto quoque anno, eoque sæpe incipiente ederentur, eodem tributum illud solvebatur, quod hic tantum intendimus; ideoque aliquando quarto anno, aliquando *ultra quadriennium*, ut præfata lex ostendit.

Denique cum Anastasius Imperator *velitigal miserabile prorsus, Deoque invisum, & barbaris ipsis indignum*, ut illud Evagrius lib. 3. cap. 39. appellat anno Christi quingentesimo primo ejus Decennialibus dedicato aboleverit, ut in Consulatum Cæsareorum Rationario videre est, constat illud Quinquennialium instar quinto quoque anno

collectum fuisse, præfaramque legem non nisi hujusmodi festivitatum beneficio rectè intelligi posse.

VIII.
*Varia leges
 Decennaliū
 ope explica-
 ta.*

Horum etiam solemnium ope causam intelligimus cur Honorius in septimo suo Consulatu anno Christi 407. gesto, Legem sextam dederit, quæ extat lib. 11. tit. 12. *de immunitate concessa*, quâ definit nullam immunitatem valere, nisi Palatini Sacrarum Largitionum prius hujuscemodi preces quibus immunitas petitur, instruxerint. Eo enim anno Honorius Quindecennalia Imperii cum patre initi celebravit, comperitque tot immunitates iis in festivitatis à Principe postulas fuisse, ut ei facilè obrepere potuerit, quam etiam ob causam data lex unica, quæ extat eodem libro, titulo 13. *Si per obreptionem fuerint impetrata*; Valentinianus enim Junior Merobaudes II. & Saturnino Coss. id est, anno Christi 383. in quem Theodosii Magni Quinquennalia competeabant, ob eandem rationem Constitutionem illam emisit. Libro duodecimo, tit. 13. *de auro Coronario*, lex quinta, quâ neminem ad conlationem auri coronarii cogi vult absque consuetudine Theodosius Magnus, data est *Richomere, & Clearcho Coss. XV. Kal. Febr.* id est, anno Christi 384. Quo sextus Imperii Theodosii annus incæpit, ideoque ejus quinquennialium hoc, vel præcedenti anno actorum occasione; sed Gothofredus, qui ad hæc solemnia animum non advertebat, scribit alterutrâ occasione oblatum aurum coronarium nunc Theodosio Magno, vel ob filium Arcadium anno elapso Augustum appellatum, vel ob victoriam aliquam de hostibus reportatam, fortè de Sarmatis, aut Persis; sed leves hæc conjecturæ. Ea etiam ex lege discimus inter causas auri coronarii principibus offerendi quinquennalia, & id genus festa numerata fuisse.

IX.
*Decennaliū
 ope subscrip-
 tiones legum
 emendari
 possunt.*

Juvat & Quinquennialium doctrina ad varias ejusdem Codicis subscriptiones enodandas. Lex tertia de auro coronario data est. *XI. Kal. Jul. Sabaria, Valentiniano, & Valente A.A. Coss.* Inscriptaque ad Probum P.F. P. Gothofredus dicit addendum II. Si lex hæc ad annum 368. Vel III. Si ad annum 370. referatur, cum Probus anno 365. quo Valentinianus, & Valens primum Consulatum gessere Præfectus Prætorio non esset. Sed cum, eorundem Imperatorum quintus Imperii annus, inchoaretur anno 368. non alio Constitutio illa emissa. Sic in lib. 16. tit. 2. *de Episcopis, Ecclesiis, & Clericis* l. 18. ad Claudium Proconsulem Africæ data est *XIV. Kalend. Mart. Trev. Valentiniano & Valente A.A. Coss.* & tamen anno 365. quo uterque primum Consul processit, Valentinianus cujus est ea lex, Treviris non fuit, neque Claudius Proconsul Africæ, ut rectè observat Gothofredus,

duſ, qui hæret an hæc lex ad annum 368. ſecundo Valentiniani & Valentis Conſulatu notatum, vel ad annum 370. quo uterque tertium Conſul fuit. Sed non dubium quin anno 368. utriuſque Imperatoris Quinquennialibus dicato, lex hæc emiſſa fuerit; cùm ſit de privilegiis Clericorum à Conſtantio Imperatore, ultimo vitæ ſuæ tempore indultis, ſub Juliano verò abrogatis, reſtituendis. Ex his ſatis intelligitur, quid Decennialium, & id genus feſtorum, in Codicis Theodoſiani legibus enucleandis, uſus eſſe poſſit.

CAPUT QUINTUM.

Decennialium beneficio Faſti Conſulares, & hiſtoria tum Romana, tum Byſantina Scriptores illuſtrati.

A conjunctione cum Quinquennialibus, Decennialibus, & id genus feſtis, Faſtos Conſulares magnam lucem accipere ex eo patet, quòd animus, cujus ratio pabulum, à nudis Conſulum nominibus repellatur, memoriaque in eis addiſcendis obruatur. Noſtrum regularum ope, non quidem omnium, ſed Cæſareorum, qui præcipui ſunt, conſulatum cauſam & occaſionem habes. Qui faſtis Conſularibus explicandis, reſtituendisque huc uſque operam navarunt, cum ſibi tantum finem præfixere, ut rectam Conſulum ordinariorum ſeriem nobis exhiberent. Conor ego rationem aſſequi cur Auguſti & Cæſares iis potius, quàm aliis annis Conſulatum ediderint: quam cùm plerumque Decennialia, aliaque hujusmodi ſolemnia ſuggerant; iis Faſtos ſummoperè illuſtrari nemo negaverit. Verum quidem eſt in iis feſtis celebrandis non ſemper Imperatores trabeam Conſularem induiſſe; ſive eos Domitiani ſeptemdecim Conſulis ambitio immoderata ab ea dignitate ſuſcipiendâ abalienaſſet; ſive quod hoc honore ſe aliquando defraudarint, ut aliis largirentur: quas duas cauſas Auſonius in oratione de ſuo Conſulatu cap. 11. tangit, poſt Commodum tamen, præſertimque poſtquam Imperium Conſtantinopolim tranſlatum fuit, has feſtivities Imperatores ut plurimum trabeati edidère. Ex quo & facile Conſulatum ab iis ſuſceptorum ratio, quâ Faſti ab obſcuritate vindicati, peti poſſet.

Decennialium etiam, & id genus feſtorum beneficio intelligimus, quando Imperatores ad ea edenda Conſulatum non ſuſciperent, eundem ad propinquos, viroſque illuſtiores tranſtuliffè. Severus anno

I.
Rationibus quibus Conſulatus inſiti Faſtorum difficultates emolliſſa.

II.
Conſulatus cum Decennialibus con-

currentes
pluris, quam
alii facti.

203. Septimio Getâ , & Plautiano Consulibus, Decennalia celebra-
vit, quorum alter, ejus frater; penes alterum verò summa Imperii
erat. Anno 333. Constantius Cæsar Constantini M. Filii Decenna-
lia Cæfarei Imperii edidit, Dalmatio & Xenophilo Consulibus. Erat
Dalmatius Dalmatii Censoris Constantini M. fratris filius, & trien-
nio post, Cæfareâ dignitate ab eo ornatus est. Anastasius, qui anno
491. Imperium iniit, Paulum fratrem anno 496. Fastis nomen dare
voluit; quia, ut ex Continuatore Marcellini colligimus, eo anno
Quinquennalia sua edidit. Occurrent in Fastis percurrendis alia hu-
jusmodi exempla.

III.
Anastasius
in Consula-
tus Augu-
stos muta-
tionem in-
vexit.

Horum etiam ope aliquam in Consulibus Cæfareis, imperan-
te Anastasio, mutationem factam fuisse subodoratus sum; Is,
qui, ut max. dixi, anno 491. Imperator renunciatus est, secun-
dum Consulatum, non anno quinto, aut sexto Imperii, uti de mo-
re, sed anno septimo, Christi nempe 497. sumpsit. Dein post De-
cennium, anno 507. rursusque post alterum, decennium anno
517. Consul processit, ideoque alium à recepto morem invexit. Et
quidem eum multa immutatio narrat Suidas verbo *Ανασι* : *ἔτε-
θῆν τὸ χεῖρον ἡγεμονίᾳ, καὶ ὅσα ἐν αὐτῷ τῶν βασιλείων ἰσθμῶν μετα-
σε*, id est, *Hic in deterius mutatus universum Imperium in Aristocra-
tiam mutavit, omnes magistratus vendens &c.* Quod, ut fallor, spectat
quod scribit Procopius in Historia Arcana pag. 101. ubi postquam
dixit Justinianum & triginta duobus annis quibus imperabat, nullam
tributorum remissionem fecisse, addit: *Quid si per septemdecim, ut
Anastasius Imperator, illis indulgisset, publicorum dissolutionem, nec
se quidem satis pro rei ac temporis conditione fecisset.* Jam antea idem
Procopius Romanorum Principum morem, aliàs à nobis observatum,
his verbis descripserat, quæ ad majorem hujus operis illustrationem
hic recitanda: *fuit Romanis Impe: atoribus mos per antiquum, ut qua su-
peressent aris alieni publici partes tenuiores, earum remissionem non so-
mel, sed iterum ac sæpius (in Quinquennialibus nempe, Decenniali-
bus & id genus festis) subditis darent, ne quia attritis fortunis nomi-
na hæc dissolvendo non essent, perpetuò his angustiis versarentur, neve
indebita exagitandi vectigales ansam, Quæstores haberent. Hæc autem
Princeps (nempe Justinianus) intra annos duos atque triginta nihil tale
subjectis condonavit.* Justinus qui Anastasium excepit, septimo etiam
Imperii anno Consulatum iniit, cui cum Justinianus anno 527. suc-
cessisset, septimo etiam Imperii anno Consulatum edidit, anno nem-
pe Christi 533. quod si post primum, alterum, ac tertium decen-
nium, eandem dignitatem non resumpsit, id ideo fuit, quia post an-
num

num 541. per annos viginti ſex , in eo munere , mox mox abrogando , Baſilius Junior continuatus fuit. Per ea tempora Quinquennialia & id genus feſta , more quidem ſolito aëta, ſed illud de novo indictum , ut anno Imperii ſeptimo , ac decimo ſeptimo , & ſic deinceps , eadem fierent quæ annis Quinquennialibus & id genus, feſtis dicatis fieri conſueverant. Quod cum nemini fuerit obſervatum , juvat illud aliquod exemplis demonſtrare. Chronicon Alexandrinum anno 507. Anaſtaſii III. & Venantii Conſulatu notato ſcribit : *Hoc anno , longus murus , Anaſtaſianus appellatus , conditus eſt. De quo muro Suidas in voce Αναſταſίης habet: Anaſtaſius Imp. longum murum extruxit , ſexageſimo milliaro ab Urbe Conſtantinopoli , protendiur autem à Mari , quod eſt ad ſeptentrionem , uſque ad mare , quod eſt ad meridiem. Et longitudo quidem ejus continet quadraginta millia , latitudo verò pedes viginti.* Eodem anno Theophanes ſcribit : *Hoc anno Imperator Anaſtaſius Daras Caſtrum Meſopotamia magnum atque firmum in Romana ac Perſice dittonis finibus ſitum mœnibus cinxit : & Eccleſias , horreaque reponendis frumentis , ac Ciſternas recipiendis aquis , nec non porticus in eo conſtituit , & Nuncupavit Anaſtaſiopolim: Sed & publica commoditari duo balnea dicavit , & loco civitatis conſtitit jura.* Verum quidem eſt Auctorem Chronici Alexandrini idem referre anno Chriſti 498. qui Anaſtaſiani Imperii octavus erat , ſed utrumquæ Auctorem deceptum fuiſſe exiſtimo , illudque conſignandum eſſe anno 497. nam anno 507. longus tantum murus extructus , perperamque Theophanes Anaſtaſiopolis ædificationem cum hujusmodi muri conſtructione confudit, quod oſtendit author Chronici Alexandrini , qui eam urbem alio anno ædificatam ſcribit , licet & ipſe in anno erret. Juſtinianus etiam anno Chriſti 543. qui Imperii ejus decimus ſeptimus erat , eadem præſtitit , quæ in Quinquennialibus & id genus feſtis ; ſcribit enim Theophanes : *eodem anno ingens illa aenea columna ad palatium poſita , que dicitur Auguſteus , abſoluta eſt : & equeſtris Imperatoris Juſtiniani ſtatua in eam ſublata.* Denique Auctor Chronici Alexandrini anno 563. quo poſt ſeptimum Imperii annum tertium Decennium Juſtinianus inchoavit , hæc ſcribit : *Hoc anno 36. regni Juſtiniani , menſe Apelleo , ſive 24. Decembris ſecundum Romanos , primâ die Indictionis XII. feſtum Dedicacionis S. magnaue Dei Eccleſia Conſtantinopoli ſecundò celebratum eſt. Quæ cum ſcribat ſub Indictione X I. & Baſilii Conſulatu XXII. Ea facta eſſe manifeſtum eſt legendum eſſe : hoc anno 37. non verò 36. ex quibus intelligis poſt hanc mutationem , templa dedicata , Urbes conſtructas , aliaque publica opera facta , tam annis Imperii ſeptimo ,*

decimo septimo, & sic deinceps, quam anno quinto, decimo, & sic aliis ejusdem rationis annis.

IV.
Mutationis
ab Anastasio
investigata
vestigia.

Post mortem Justiniani, quæ die 14. Novembris annis 565. contigit, Justinus Junior Imperium suscepit, annoque 567. Consulatum ad Augustos in perpetuum transtulit, & ut verosimile est, Quinquennialia & id genus festa celebrare desuit. Qua de re infra: nihilominus anno quinto, septimoque Imperii opera publica ab Imperatoribus, uti ante abrogatum Consulatum ordinariū, facta; Theophanes enim anno 571. quo septimus Justinii Junioris cœpit, habet: *Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Ecclesiam cœpit Iustinus adificare in orphanorum hospicio, aliamque SS. Apostolorum, qua Zenonis Imp. tempore conflagravit, in Triconcho. Ad Ecclesiam quoque S. Deipara Blachernarum duas absides addidit, & hanc qua septentrionem, illam qua Meridiem respiciat, extruxit in celeberrimo illo templo, totamque molem illam in Crucis normam composuit.* Mauritius anno 582. mense Augusto Imperium iniit, de quo Theophanes anno Mundi secundum Alexandrinos 6082. qui Kalendis Septembris anni Christi 589. incipit, hæc scribit: *Eodem anno Mauritius supremus Imperator SS. Quadringenta Martyrum Ecclesiam à Tiberio (ejus prædecessore) exadificari cœpit: & jam ad opus medium ductam absolvit.* Verum quidem est cœptum tunc fuisse octavum ejusdem Imperatoris annum; ex his tamen intelligi potest, non malè à nobis conjectum fuisse Anastasium in Consulatus Augustorum aliquam mutationem invexisse; cum etiam post abrogatum Consulatum ordinarium hujusce mutationis aliqua supersint vestigia: cujus mutationis causa, quæ mihi incomperta, ab aliis forsan detegi poterit.

V.
Nuncupationes
Cæsarum
Consulati-
bus illigata
Fastos illu-
strans.

Denique cum nuncupatio Cæsarum annis Quinquennialibus & id genus festis addictis fieri soleret, iisdem pariter annis Tribunitia Potestas concederetur, & Imperatores in Augustei Imperii consortium alios adsciscerent, manifestum est nuncupationes has suis Consulatibus, Quinquennialibusque & id genus solemnibus, in quibus cæ actæ sunt, illigatas, Fastos & utiliores & faciliores reddere; quod ipsa etiam experientia edocebit.

VI.
Locus Dio-
nis Decen-
nialium be-
neficio ex-
plicatus.

Nec obscuræ historiæ Augustæ scriptorum locis Decennialium beneficio minor lux affusa, quod aliquot exemplis ostendo. Scribit Dio lib. 71. Marcum Aurelium Imperatorem cum post octo annorum absentiam Romam venisset, liberalem erga populum se exhibuisse: *remisit*, inquit, *omnibus etiam id quod fisco, Erariove publico debebant ab annis sex & quadraginta, absque sexdecim annis Hadriani, jussitque Syngraphas omnes scriptas de iis rebus in foro comburi.* Erat is annus

annus Christi 177. quo mense Septembri Indictio prima Constantiana proleptica cœpit, idemque Imperator Proconsularis Imperii Tricennalia celebravit. Hoc in loco Scaligero in Animadversionibus Eusebianis ad num. 2134. & Petavio in lib. de doctr. temp. aqua hæsit; ille enim existimabat pulcherrimum se ante Constantinum Indictionis exemplum in iis verbis reperiisse, quod ab una Indictione ad alteram inclusivè sedecim anni sint: quem ex eo Petavio refellebat, quod Indictio annis 15. non 16. definiatur. Sed præterquam quod Olympias, quæ quatuor tantum annis constabat, quinquenniis aliquando dicitur, uti in hoc versu Ovidii lib. 4. de Ponto, Eleg. 6.

In scythia nobis Quinquennis Olympias acta est.

Adhuc restat difficultas, cur eo potius numero, quam alio, tam Hadrianus, quam Marcus Aurelius remissionem hanc circumscripserint. Genuina itaque hujus loci explicatio à Decennialibus & id genus festis repetenda. Hadrianus, ut primum Romam venit, quidquid fisco, ararioque debebatur, remisit, definito tempore annorum sedecim, ex quo id beneficium collatum esse voluit, inquit idem Dio lib. 69. hoc est, ut explicat Scaliger remissionem hanc circumscripsit fini annorum XV. Imperiū iniiit Hadrianus anno Christi 117. annoque 132. quo forsan Quinquennialia celebrare decreverat, sedecim illi anni absoluti; ab eo verò ad 177. utroque termino incluso, quadraginta sex anni interjiciuntur; tributaque, quæ ratione novem lustrorum, seu novem Quinquennialium, à populis debita erant, Marcus Aurelius remisit: uti enim jam ostendimus, solebant Imperatores iis annis, quibus hæc solemnia celebrabant, Indulgentiam concedere, tributaque vel in toto, vel in parte relaxare. Merè autem fortuitum fuit, quod Hadrianus Indictione primâ Constantinianâ Prolepticâ Imperium inierit, eadem etiam Indictione primâ Quindecennialia, ipseque Marcus Tricennalia Proconsularis Imperii sicuti & quod Antoninus Pius anno Christi 147. quo prima Indictio proleptica cœpit, Decennialia Cesarei Imperii ediderit. Verum est harum Remissionum debitorum Epochas ab aliis annis nobis ignotis forsan repetitas fuisse, cum libro undecimo Codicis Theodosiani titulo 28. l. 3. de Indulgentiis debitorum ab Honorio anno Christi 401. data Reliquorum, ut vocabant, Indulgentiam ab aliis annis quam quibus hujusmodi solemnia acta, desumptam fuisse ostendat. In ea enim idem Imperator ait se plenam omnium Reliquorum cujuscumque generis Indulgentiam ad primum usque solum Consulatum, annum nempe Christi 386. concedere; prætereaque per novennium, ab eo nempe anno ad annum 395. quo patre mortuo, imperare cœpit, Reliquorum exactionem, se suspendere.

dere. Ac denique ab eo anno ad annum 401. quo præfata lex data, Reliqua solvi præcipere, licet in iisdem annis nulla id genus festa celebravit. Sed quidquid sit de initio Epocharum Remissionum tam ab Hadriano, quàm à Marco factarum, certum est utrumque Imperatorem non ad Indictiones, quæ nondum natæ erant, sed ad Decennalia & id genus festa respexisse. Ex eo etiam quod Auctor Chronici Alexandrini sub Largi & Messalini Consulatu, anno videlicet Christi 147. scribat: *His Coss. as alienum remissum, tabula creditorum ab Antonino Augusto exusta.* Perperam Colligit Scaliger longè ante Constantinum Indictiones in usu fuisse, cum ideo Antoninus Pius hanc summam eo anno remiserit, quia in eundem Imperii ejus Cæsarei Decennalia incidebant.

VII.
Locus difficilis Auctoris inserit explicatur.

Hujus etiam regulæ ope explicari potest locus difficilis, qui legitur in Panegyrico Incerti Auctoris cap. 16. Constantino Magno anno 313. dicto. Loquitur hic de Quinquennialibus Maxentii Augusti, quæ idem Imperator die septimo Kalendas Novembris Imperii Natali, quo septimus ejus annus inchoabatur, edere destinaret, aitque: *Sed divina mens, & ipsius urbis æterna majestas, nefario homini (maxentio) eripuerunt consilium, ut ex inveterato illo torpore, ac sædissimis latebris subito prorumperet, & consumpto per desidiam sexennio, ipsum diem Natalis sui ultima sua cæde signaret, ne septenarium illum numerum sacrum & religiosum inchoando violaret.* Dicunt quidam viri docti Oratorem in hoc falsum, quod Maxentium diem Natalis sui cæde suâ signasse, dicat, ne septenarium illum numerum sacrum & religiosum inchoando violaret. Nam si cæsus est, inquit; ipso die Natalis sui, manifestum est cæsum ipso die, quo Imperium inierat septimumque annum inchoarat. Quod quidem verum est. At num ob id Orator falsus est? Jam enim ostendimus Quinquennalia & id genus festa dupliciter considerari posse, vel tanquam terminum & complementum præcedentium annorum; vel secundò ut quinque sequentium periodum. Orator itaque diem Natalem Maxentii, ut præcedentium annorum terminum tantum, non verò ut sequentis periodi initium consideravit. Neque in alio hujus loci arcanum consistit.

VIII.
Locus Mamertini explicatur.

Mamertinus in Oratione Maximiano Herculio dictâ capite primo scribit orationem ejusdem Imperatoris Quinquennialibus præparasse, additque: *Gaudeo igitur, si fas est confiteri, dilatam esse illam cupiditatem meam: neque enim orationis ejus, quam composueram facio jacturam, sed eam reservo, ut Quinquennio rursus exacto Decennialibus tuis dicam, quoniam quidem Lustris omnibus predicandis communis oratio est;* quæ verba vir doctissimus explicans scribit Maximianum

num Herculium Quinquennio evoluto Quinquennalia celebrasse, ex eoque deinde colligit Decennalia decimo ejus Imperii anno expleto edidisse. Sed Fastorum à nobis explicatorum series ostendit eum hallucinari, Herculiumque tam Cæsarei, quàm Augustei Imperii Quinquennalia anno quinto ineunte, & Cæsarei Imperii Decennalia anno decimo pariter ineunte celebrasse. Mamertinus itaque quinquennium inchoatum, exactum, absolutumque vocat, quia uti capite 2. numero XXII. diximus, veteres, annos qui ante Quinquennalia fluxerant, Quinquennii nomine appellabant, licet eadem solemnia primo anni quinti die, aut etiam primo die septimi peragerent, sicque Orator hunc loquendi modum usurpare potuit, quod & aliis exemplis jam declaravimus. Porro panegyris illa dicta videtur anno Christi 191. post utraque ab eodem Herculio quinquennalia celebrata, cum dicat Orator se Orationem, quam composuerat, ejus Decennialibus reservare; in eaque nullam de Constantio Choro & Galerio Maximiano, qui anno 292. Cæsares nuncupati sunt, mentionem faciat; altera verò Panegyris, quæ die Natalis Urbis habita est, cujusve idem Orator eodem capite primo meminit, anno 289. vel circiter ab eo recitata. Quare non video cur Jacobus de la Baune, qui veterum Panegyricorum editionem adornavit, utramque anno 292. dictam fuisse scripserit.

Eorundem Decennialium ope, Spartiano in Hadriano cap. 6. sua fides restituenda: *Patris Patria nomen*, (inquit hic Auctor de eo Imperatore loquens) *sibi delatum statim, & iterum postea distulit: quod hoc nomen Augustus serò meruisset.* Huic contradicit Scaliger in Animadversionibus Eusebianis ad numerum 2142. duabus Inscriptionibus innixus, in quarum priori legitur: IMP. CÆSARI. DIVI. TRAJANI. PARTHICI. FIL. DIVI. NERVÆ. NEP. TRAJANO. HADRIANO. AUG. PONT. MAX. TRIB. POTEST. COS. II. P.P. JUVIRI VIARUM. In altera verò IMP. CÆS. DIVI. TRAJ. THICL. FIL. NERVÆ. NEPOTI. TRAJANO. HADRIANO. AUG. PONTIFICI. MAX. TRIB. POTESTA. IL. COS. II. P.P. COLON. ULPIA. TRAJANO. AUG. Quibus favet Orokus libro 7. c.22. ubi scribit: *Idem quoque continuò Pater Patria in senatu ultra morem Majorum appellatur, & uxor ejus Augusta:* Nilominus cum Spartianus rationem, quæ Hadrianus permotus titulum illum distulit, afferat, & Eusebius in Chronico, Auctorque Chronici Alexandrini testentur, eundem anno Imperii decimo, quo nova induci solebant, Patrem Patriæ vocatum fuisse, Spartianum non errasse affirmare cogimur. Ed magis, quò in nullis nummis & Epi-

IX.
Hadrianum
Patris Pa-
tria nomen
distulisse
ejus Decen-
nalia ostendit.

graphis, quæ apud Goltzium extant, Hadrianus ante adeptam Tribunitiam potestatem X. Pater Patriæ dicitur. Quod si ipso Imperii initio nomen illud sumpsisset, in nummis & in Inscriptionibus ut plurimum ei attribueretur: Existimandum itaque studio quorundam privatorum nomen illud ante Decennalia, sed non auctoritate publicâ, ei datum: *Hadrianus* (qui Antiochiæ Imperium suscepit) à *Senatu petiit per literas, ut sibi Imperium confirmaret* (quod & habet Spartianus loco citato) *negavitque velle sibi ultos unquam honores decerni, ut erat antea consuetudo, nisi eos ipse à Senatu peteret*, inquit Dio lib. 69. Datus igitur titulus ille Hadriano antequam ipse peteret, vel Senatus decerneret; sed nec ab eo petitum, nec à Senatu decretum antequam Decennalia celebraret. Nec alia modò hujus difficultatis, quæ non parva est, solutio occurrit. Quoad Orofii auctoritatem, is non dissimili ratione eodem lib. c. 22. loquitur, ait enim Valerianum *max ut arripuit Imperium* Christianos persequutum esse, tum *Illico à sapore captum esse*. Quare is loquendi modus huic authori familiaris.

X.
Decennaliū
ope Collegæ
Imperii cog-
niti.

Prætermitto hęc alia loca alibi à me explicata, ut dicam me deprehendisse horum præcipuè solemnium beneficiò, antequam plures Augusti simul imperarent, Imperatores aliquos Imperii Collegas sibi adscivisse. Cùm enim qui Imperio Proconsulari & Tribunitiâ Potestate donati fuerant, Decennalia & id genus festa non minus quàm Cæsares & Augusti celebrerent, manifestum inde sit tertium ordinem, eumque Cæsarem gradui superiorem, Augustorum verò dignitati in aliquo inferiorem eos constituisse. Hæc siquidem festivitates Imperii nota & indices erant, ideoque à Cæsaribus celebrabantur, quia ad Imperium destinati erant. Quam etiâ ob causam qui patribus viventibus in Imperii Augustei consortium vocati fuerant, nedum ea festa ob eam nuncupationem peragebant, sed & post illorum mortem iterabant, ob novum videlicet Imperium quod tunc inibant. Quare cùm cùm Marcus Aurelius v. g. post adeptum Imperium Augusteum, non tantum propter illud, sed & propter Cæsareum, insuperque propter Imperium Proconsulare ea solemnia ediderit, liquet tria hæc tres diversorum potestatis & honoris gradus denotare. Hos Spartianus in *Ælio Vero* cap. 1. insinuat, cùm his verbis ejusdem vitam incipit: *In animo mihi est, Diocletiane Auguste, non solum eos qui Principum locum in hac statione quam temperas, retentarunt; sed illos etiam qui vel Cæsarem nomine appellati sunt, nec Principes aut Augusti fuerunt, vel quolibet alio genere, aut in famam, aut in spem Principatus venerunt, cognitioni munus tui sternere.* Et ne quis cavilletur ipsum Augustos &

& Prinipes non distinguere, clariùs se ipsum in fine ejusdem vitæ explicat. *Mibi propositum fuit omnes, qui post Casarem Dictatorem, hoc est, Divum Iulium, vel Caesares, vel Augusti, vel Principes appellati sunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii, aut parentes Caesarum nomine consecrati sunt, singulis libris exponere.* Ubi vides cum tria hominum genera, quorum vitam describere instituerat, disertè distinguere, Cæsares nempe, Principes, & Augustos; & ad duo præfata loca intelligenda Decennalia & id genus festa non parum conducere.

C A P U T S E X T U M.

Chronologia, Geographia, & Nummographia Decennalium beneficio illustrata.

Licet Decennialibus, & id genus festis ad Imperatorum initia constituenda Viri Doctissimi aliquando abusi fuerint, certum tamen ea aliis præsertim adminiculis accedentibus, ad eundem finem plurimum sæpè conducere. Hervvartus capite 262. suæ Chronologiae, ut Scaligerum, qui Constantinum Magnum anno 307. Imperium inivisse perperam opinatus est, confutaret, argumentum ab ejus Tricennialibus anno 335. celebratis deducit, aitque, positâ eâ opinione Constantinum tempus suis Tricennialibus congruum, vivum non attigisse, cum ea die 25. Julii anni 337. edenda fuissent, ipseque jam die 22. Maii è vivis excessisset. Sed valdè fallitur vir eruditissimus, non tantum quod existimet eas festivitates non nisi anno quinto, decimo, & hujusmodi ineuntibus celebratas fuisse, ut videre est cap. 230. ejusdem Chronol. sed etiam quia eundem Scaligerum reprehendit, quòd in Animadversionibus Eusebianis scripserit, Nicomedienses Vicennalia, imò universum Orientem Constantini magni Tricennalia integro anticipasse anno, justòque citiùs eadem celebrasse. Valdè enim appositè ad suam sententiam Scaliger locutus est, cum pluribus exemplis constet has festivitates aliquando dilatas, aliquando verò anticipatas fuisse. Ex alio itaque capite hæc sententia rejicienda. Jacobus Gothofredus Codicis Theodosiani doctissimus Commentator libro 4. titulo 23. *de longis temporis prescriptione* primam legem explicans *Roma Idibus Januariis Sabino & Rufino Coss.* anno nempe Christi 316. datam, quâ possessiones à Superioribus Principibus concessas

I.
*Decennialium
abusum ad
Imperatorum
initia præm.
da.*

concessas usque ad Decennalia sua Constantinus Magnus confirmat, ait haberi hic characterisimum certissimum Imperii Constantiniani, qui cum anno 306. die 25. Julii Patri successerit, ejus Decennalia in annum 316. incidere necesse est, cum tamen anno præcedenti legitimo tempore eadem solemnia is Imperator celebrasset, imò & anno 314. per anticipationem edere potuisset. Quare ea festa se sola ad Imperatorum initia certò firmanda non semper idonea. At non raro usu venit, ut eorundem beneficio certum initi Imperii tempus assequamur.

II.
Maximinus
se ipsum
Augustum
dicit.

Initium Imperii Galerii Maximini huc usque in magna controversia positi, ejus Quinquennialiorum, quibus alia suffragantur, ope me deprehendisse existimo. Licinius anno 307. tertio Idus Novembres Augustus à Galerio Maximiano renunciatus est, ut infra videbimus, quod quidem Maximinus egi è admodum tulit, qui hætenus *Cæsar duntaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo præ cæteris tyrannico ingenio præditus Augustus à semetipso renunciatus est*, inquit Eusebius lib. 8. cap. 13. Egregia sunt in eandem rem Lactantii lib. de mortibus persecutorum, capite 32. verba: *nuncupato igitur Licinio Imperatore Maximinus iratus, nec Cæsarem se, nec tertio loco nominare volebat* (ex quibus verbis conijcere est Galerium Maximianum primum sibi locum, secundum Licinio, tertium Galerio Maximino tunc attribuisse, Constantinum verò & Maxentium Augustorum filios nuncupasse, ut ex mox dicendis magis liquebit) *Mittit ergo ad eum* (nempe Galerius Maximianus) *sape legatos, orat sibi parcat, dispositionem suam servet, cedat atati, & honorem deferat canis. At ille.* (Galerius Maximinus) *tollit audacius cornua, & præscriptione temporis pugnat se priorem esse debere, qui prior sumpsit purpuram, preces ejus & mandata contempsit; dolet bestia* (Galerius Maximianus) *& mugit, quod eum ideo ignobilem fecisset Cæsarem, ut sibi obsequens esset; is tamen tanto sui beneficio oblitus, voluntati ac precibus suis impiè repugnaret. Victus contumacia* (Galerius Maximinus) *tollit Cæsarem nomen, & se, Liciniumque Augustos appellat, Maxentium & Constantinum filios Augustorum. Maximinus postmodum scribit quasi nuncians in campo Martio proximè celebrato Augustum se ab exercitu nuncupatum. Recepit ille maestus ac dolens, & universos quatuor Imperatores jubet numerari Galerius nempe Maximianus. Baluzius in Notis ad Lactantium, hæc verba: victus contumaciâ tollit Cæsarem nomen &c. de Galerio Maximiano explicat, non quidem ut nomen Cæsarem aboleret, sed ut ab eo deinceps abstinerent illi, qui in spem Imperii adoptarentur, & sic excluderetur Maximinus. At non is Lactantii sensus esse videtur.*

videtur. Nam quis contumaciæ ſuccubuit, niſi qui contumax erat Maximinus? Quis à Cæſaris nomine abhorrebat, niſi qui ſe Cæſarem dici nolebat? Cur Galerius Maximianus qui ſenior Auguſtus erat ruruſum ſe cum Licinio Auguſtum appellaret, novo huic loco non assignato? Profectò ſi Galerius Maximianus Cæſareum nomen ſuſtulſſet, Maximinum de omni gradu deieciſſet, quod rerum poſtea geſtarum ſeries illum non feciſſe oſtendit, imo neque potuiſſe, cum is ejus preces, mandataque contemneret. Denique Maximinus non ſcripſiſſet poſtea ſe ab exercitu Auguſtum nuncupatum fuiſſe, niſi de præfata nuncupatione à ſe facta, quam exercitui tribuebat, intellexiſſet, hæcque ultima verba *univerſos quatuor Imperatores jubet numerari*, oſtendunt iſta: *ſe, Liciniumque Auguſtos appellat*, explicanda eſſe de Maximino, qui ſe & Licinium Auguſtos nuncupavit, aliter non quatuor, ſed quinque Imperatores Maximianus Galerius juſſiſſet numerari, nempe ſe ipſum, Maximinum, Licinium, Conſtantinum, Maxentium. Ex eo verò quod Maximinus Maxentium & Conſtantinum filios Auguſtorum nominaverit, colligitur, id jam antea Galerium Maximianum feciſſe, Maximinumque hac in parte hujus diſpoſitionem ſervaviſſe; nam niſi ille hæc antea nomina Maxentio & Conſtantino tribuiſſet, quomodo Maximino, qui tantum Cæſar erat, tertium locum assignare potuiſſet, cum Auguſtorum filiis Cæſares anteferrentur. Eodem nomine ab Eutropio lib. 10. ubi de Mortè Galerii Maximiani locutus eſt, Conſtantine & Maxentius appellati: *Reſpublica tum à quatuor Imperatoribus tenebatur, Conſtantino & Maxentio filiis Auguſtorum, Licinio & Maximino novis hominibus*. Quæ verba præfatam Galerii Maximiani diſpoſitionem contradictionem paſſam eſſe, Liciniumque in tertium poſtea locum reſectum fuiſſe oſtendunt, quod etiam Baluzius loco laudato probat ex edicto in favorem Chriſtianorum anno 313. emanato, & ab Euſebio libro 8. cap. 7. relato, ubi tres Imperatores nominantur, & Galerii nomen ut ſenioris Principis primo loco ponitur, tum Conſtantini, dein ac poſtremo Licinii. Quæ idèd fuſius explicare placuit, quia parum huc uſque cognita.

Difficultas modò eſt, quo præciſè anno Maximinus ſe ipſum Auguſtum dixerit; & quidem Petavius in Chronico, ubi ſcribit Licinium tertio Idus Novembres anno 308. nuncupatum fuiſſe Auguſtum, quod ei, aliisque pluribus Idatius in Faſtis perſuaſit, Maximini initium ſub finem ejusd. m. anni, vel ſub ſequentis exordium non conjicere non potuit: Sed cum ea opinio ſuſtineri ampliùs non poſſit, tota controverſia ſita eſt, an anno 307. exeunte, vel 308. ineunte,

III.
*Initium Maximini ejus.
Quinquennialibus de-
ciſum.*

Aurelio tradidisse anno Abrahami 2186. qui cum in anno Christi 169. mense Septembri incipiat, dubios suspensosque nos habet, an Eusebius intellexerit Apologiam illam anno 169. vel sequenti, Marco Aurelio oblatam. Unde & Petavius, aliique viri docti illud anno 170. consignant. Sed cum Marcus Aurelius anno 169. Cæsarei Imperii Tricennalia ediderit, iisdemque annis Indulgentiam concedi, Apologiaeque porrigi mos fuerit, non dubium quin anno 169. Apologeticus ille liber conscriptus fuerit, quinve rectè ab Auctore Chronici Alexandrini id eo anno collocatum fuerit. Idem Eusebius anno Abrahæ 2310. scribit primùm Diocletianum adorari se ut Deum, & Gemmas vestibus, calceamentisque inferi iussisse, cum ante eum omnes Imperatores in modum Judicum salutarentur, & Chlamydem à privato habitu plus haberent. Cum verò is annus Abrahæ in anno Christi 393. mense Septembri inchoetur, annoque sequenti absolvatur, incertum, quò ex his duobus annis id acciderit. Hanc Decennialiorum regula difficultatem tollit, ostenditque Diocletianum, qui anno 293. Consul processit, & Decennalia edidit, hanc novitatem induxisse, cum, uti jam diximus, annis quibus hæc solemnia peragebantur, non rarò nova mundus videret.

VI.

*Eumenii
Oratio pro
Flaviensibus dicta
anno 311.*

Eadem pariter Regulà anni, quibus orationes ad Imperatores habitæ, aut quibus libri antiqui scripti aliquando deteguntur. Sic ex Constantini M. Quinquennialibus, quorum mentionem facit Eumenius in gratiarum actione Constantino M. Flaviensium nomine dicta, deducimus eam anno 311. non sequenti, ut quidam perperam scribunt, recitatam fuisse. Postquam enim is narravit centum ab eo Imperatore relaxatum fuisse, ait cap. 13. *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius! ô lustrum quod meriti hanc Imperii tui æquavit ætatem* (id est, ô lustralis remissio, quæ plena & perfecta est, sicut annus Imperii tui quintus, qui plenus est, quia exactus, & non inchoatus tantum) *Quinquennialia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt. Illa enim quinto incipiente suscepta* (id est, anno Christi 310.) *omnibus populis jure communia, nobis hæc propria que plena sunt.* Id est, anno quinto evoluto celebrantur, sive laudibus extolluntur. Gothofredus in Commentario Codicis Theodosiani lib. 11. tit. 3. *sine censu vel reliquis l. 1.* dicit eam legem, cujus hæc subscriptio: *dat. Kalend. Jul. Agrippina Constantino A.V. & Licinio Coss.* Eò prorsus pertinere, cujus nomine Eumenius Constantino pro Flaviensibus gratias egit, quia ea ad Antonium Marcellinum Præsidem Provinciæ Lugdunensis primæ, in qua sita Flavia, seu Augustodunum inscripta. Ex quo & deducit eam subscriptionem corrigendam

rigendam, ſcribendumque *Constantino A. 11. & Licinio Coſſ.* Quia, ut inquit, anno 319. Quo *Constantinus Licinio Cæſare Collegâ Quintum Conſulatum geſſit*, non in Gallia, ſed in Pannonia fuit. Contrâ verò anno 312. antequam in *Maxentium* moviſſet, hæſit in Gallia inferiore, & quidem *Agrippinæ*, ut ex capite 13. alterius ejuſdem *Eumenii Panegyrici*, qui incipit *Facerem*, ubi & Pontem *Agrippinenſem* in *Francos* extruxiſſe eum memorat, patet. Ex quibus tandem omnibus colligit præfatum *Panegyricum* non niſi anno 312. recitatum fuiſſe. Sed quidquid de ea ſubſcriptione ſit, quam examinandî hîc locus non eſt, non dubito quin *Gothofredus* in ejuſdem legis & *Panegyris* copulatione errarit; præfata enim lex de cauſa *Provinciae Lugdunenſi* communi agit: *Eumenius* verò præ remiſſione ſpeciali gratias habet. Deinde *Constantinus* anno Imperii quinto, ut diſertè habet *Eutropius* lib. 10. bellum adverſus *Maxentium* commovit, & copias ejus multis præliis fudit. Quare anno 311. bellum illud inchoatum, neque enim, ſi *Kalendis Juliis* anni 312. adhuc *Coloniæ* *Constantinus* reſediſſet, tot prælia ante ſeptimum *Kalendas Novembris*, quo victus *Maxentius*, committere potuiſſet. Unde quæ idem *Eumenius* de ponte *Agrippinenſi* in *Francos* extructo habet, ad annum 311. non ad ſequentem pertinet; ac denique perperam inde deducit *Gothofredus* orationem hanc *Coloniæ Agrippinæ* habitam fuiſſe.

Eadem methodò investigandus annus, quo *Syneſius* egregiam, de *Regno ad Arcadium Imperatorem*, orationem *Constantinopoli* habuit. Ait *Syneſius* ejuſdem orationis initio, in hymno tertio, ac nonnullis aliis locis, cauſam hanc *Legationis ſuæ* habuiſſe, ut *Pentapoleos*, ac nominatim *Cyrenes Patriæ ſuæ calamitoſæ ac ſemirutæ*, opis ac ſubſidii aliquid ab *Imperatore* peteret, quæ barbaris, effertisque vicina gentibus ægrè ſe ab illorum infeſtatione defenderet. Cùm verò urbes ab *Imperatoribus* aut extruerentur, aut reædificarentur, annis, quibus *Decennalia* & id genus feſta celebrabant, examinandum venit, quibus in *Arcadii* ſolemniis hæc oratio recitata fuerit. *Petavius* in *Notis ad Syneſium* obſervat hunc libro de *Inſomniis* pag. 148. triennem hanc legationem fuiſſe, ſignificare, quod & in hymno 3. & in *Epiftola* 41. idem *Syneſius* inſinuat, designatque annò, quò *Constantinopoli* diſceſſit, *Aurelium Conſulem* fuiſſe. Geſſit hic *Conſulatum Stilicone* Collegâ anno 400. quare annus 398. triennii illius primus, annus verò 400. ultimus fuit. *Arcadius* anno 383. *XVI. Kalendas Februarias à Theodoſio Patre* *Augustus* dictus eſt, annoque 395. eidem *XVI. Kal. Februarii demortuo* ſucceſſit.

VII.

Quo anno
Oratio de
regno à Sy-
neſio dicta.

cessit. Anno 397. Quindecennalia Imperii vivente Patre suscepti celebravit, eo enim anno Theophanes habet : *hoc anno sexto mensis Pauni Kalendas* (hoc est die vigesima prima Maij) *Sancti Propheta Præcursoris & Baptista Ioannis Reliquia Alexandriam translata sunt.* Anno autem 399. Quinquennalia Imperii post Patris mortem in initium Imperator edidit, quod ex iis, quæ idem Theophanes eodem anno habet, colligitur : *Arcadius Imperator militum Numerum, quos dixit Arcadicos, Constantinopoli instituit.* Ea itaque Oratio iis in Quinquennialibus habita. In Codice Theodosiano lib.7. tit. 1. *de re militari* l. 17. revocari suos quosque ad numeros (ita tunc legiones vocatæ,) & Sedes, tam Præsentales, quàm Provinciales milites ab Arcadio iubentur Kalendis Februariis, anni 389. Et Synesius in eadem Oratione inter alios defectus exitium Imperio Orientali minantes, ponit hanc vagandi militum licentiam. Pagina enim 22. agens de Barbaris militibus, quorum operâ tunc Imperator utebatur, subjicit : *At ne quidem contrarias illis (Barbaris) viris opponere, & perinde ac si illorum (vires) nostra essent vacationem à militia postulantibus indulgere, cæteraque qui in regione versantur, aliis rebus occupari permittere, quid aliud est quam hominum ad interitum festinantium? Natale Imperii ab Arcadio vivente patre in initium incidit in diem decimum septimum Januarii, quare eo die, anno 399. ea Oratio habita, cujus fructus ea Arcadicorum militum institutio. Petavius anno 397. aut 398. recitatam scribit, sed cum priori illo anno nullam. Ex his festivitibus Arcadius celebravit, annoque 398. nondum Constantinopolim pervenisset Synesius (alioquin si eo anno Orationem illam mense Januario recitasset, tanto postea tempore ibidem commoratus non fuisset,) sequitur præfato tantum anno eam dictam esse.*

▼ III.

Urbes annis quibus hæc festivitates celebrabantur, constructæ.

Variis enim exemplis in Consulatum Cæsareorum Rationario legendis liquet, annis, uti jam insinuavimus, quibus hæc festivitates edebantur, urbes aut constructas, aut reparatas fuisse; unde Geographia non tantum nummorum cognitione, quod docuit Spanhemius lib. de præstantia, & usû Numismatum, sed etiam Vicennialiorum, & id genus festorum notitiâ locupletari in posterum poterit. Neque enim satis est Geographo situm urbium declarare, sed & earum fundationis tempus, quando illud sciri potest, accuratè notare debet. Scribit Eusebius in Chronico anno Abrahami 2237. *In Palestina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, urbs condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Iulio Africano scriptore temporum.* Desinit is annus Abrahami in anno Christi 221. quo quartus Heliogabali annus cœpit. Anno sequenti Alexandro Severo Collegâ idem Heliogabalus

gabalus Conſulatum quartum geſſit, Pridieque Nonas Martias interfectus eſt. Quare ea legatio ab Africano anno 221. Suſcepta, non verò anno 220. ut perperam Petavius in Chronico, eaque urbs non ab Heliogabalo, ut videtur, ſed ab Alexandro Severo ejus ſucceſſore reedificata. Cùm enim idem Heliogabalus Quinquennalia menſe Junio, anni 222. edere deberet, miſſus ad eum Africanus, qui eam civitatem inſtaurandam peteret, ſed eo ineunte Martio occiſo, initio Imperii Alexandri urbs denuò conſtructa. De ea videndus Valeſius in notis ad Sozomenum lib. 5. cap. 21.

Longè celebrioris civitatis ædificatæ tempus, certiusque, ejuſdem regulæ beneficio è tenebris eruitur. Ea eſt Conſtantinopolis, cujus dedicationem in annum 330. in quem quinta Conſtantini Magni Quinquennalia incidebant, factam fuiſſe inter omnes convenit, ſed de cujus conditùs anno magna inter viros doctos controverſia. Petavius in Chronico, & Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani ejus fundamenta jacta ſcribunt, anno, quo Januarius, & Juſtus Conſulatum geſſere, qui Chriſti fuit 328. Quòd auctor Chronici Alexandrini habeat: *His Cæſſ. Conſtantinus Romã profectus & Nicomedia Bithynia metropoli moratus, ſapeque Byſantium profectus, primum Byſantii murum inſtauravit, magnamque partem ad-veterem murum adjeçit, novumque cum eo conjunxit, urbemque ipſam Conſtantinopolim dixit. Circum, novis ex ære ſtatuis exornavit, omnique arte eribunal, ubi Imperator ſpectacula faceret, ad Romani theatri formam perfecit &c.* Apud eundem Auctorem legenda. Sed cùm Conſtantine Magnus nulla hoc anno ſolemnia ediderit, hujus Civitatis conditus ad annum Vicennialium ejus, vel Nicomediæ vel Romæ actorum, pertinet, quòd quidem juxta noſtram regulam neceſſariò dicendum. Et attentis adminiculis, quæ eidem ſuffragantur, non dubium quin anno 325. poſt Vicennalia Nicomediana urbs fundata fuerit. Socrates enim lib. 1. cap. 16. ait: *celebrata igitur feſtivate publicè Vicennialium ſuorum, ſtatim ad Eccleſiarum inſtaurationem, omne ſtudium ſuum contulit, idque tum in aliis civitatibus preſtitit, tum in urbe ſibi cognomine. Quam quidem Byſantium antebac appellatam magnopere amplificavit, & ingentibus cinctam muris, variisque adificiis exornatam, Regina urbium Roma exaquans, Conſtantinopolim nominavit; utque nova Roma vocaretur, lege ſanxit.* In eundem annum conditum ejus conjiciunt Sozomenus, Theophanes, Nicephorus, & Cedrenus licet hi duo poſtremi conditum cum Encœniis & Dedicatione imperitè confundant. Ac Julianum Imperatorem Orat. 1. in ea ſententia fuiſſe, ex Philoſtorgio lib. 2. cap. 9. elicio. Ait Julianus de Conſtantino

IX.
Annus Vi-
cennialium
Conſtantini
annum con-
ditis Con-
ſtantinopo-
les indicat.

Constantino : *Posteaquam verò Dominus omnium est constitutus , tum sui nominis urbem infra decem annos extruxit.* Parte aliâ Philostorgius ait *Constantinum octavo & vicesimo Imperii sui anno ex Byzantio Constantinopolim condidisse.* Annus vicesimus octavus Constantini absolvitur anno Christi 334. à quo per decem annos retrocedendo , pervenitur ad annum 325. quo juxta Julianum civitas condita cœpta. Allatius lib. 1. de consensu Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis cap. 14. qui in hoc arcanum non penetrabat , ait legendum esse *το τῷ ἑξήκωτῳ* , id est , *anno vicesimo* , ne tam miro , inquit , anachronismo res conturbasse Philostorgium affirmare cogamur. Sed frustra , locus purus est , Philostorgiusque de anno , quo absoluta Constantinopolis , non de eo quo ejus fundamenta jacta , loquitur. Denique hanc nostram sententiam confirmat Auctor Chronici Alexandrini , qui anno 361. quo Julianus Cæsar Quinquennalia celebravit scribit: *Incœnia magna Ecclesia ejusdem urbis Constantinopoleos celebrata sunt , anno trigesimo quarto , plus minus , quam fundamenta Constantinus victor Augustus jecerit. Acta sunt Encœnia XVI. Kal. Martias , qui dies est mensis Peritii , seu Februarii XIV.* Si à die 14. Februarii anni Christi 361. per annos triginta quatuor retrocedas , pervenies ad menscm Februarium anni Christi 326. Quare eo anno , vel potius superiori exeunte , illius Ecclesiæ fundamenta jacta : quo loco , non tantum confirmatur Ecclesiæ annis quibus hæc solemnia celebrarentur , & extructas & dedicatas fuisse. Sed præterea urbem Constantinopolim in prioribus vel saltem in posterioribus Constantini Magni Vicennialibus conditam fuisse , ideoque quæ idem Auctor Chronici Alexandrini anno 328. scribit intelligenda esse de ejusdem operis continuatione , non verò de priori ejus fundatione : Ideo porro plura egregia ædificia anno eodem peracta , quia Constantius Cæsar , qui anno 323. eo honore decoratus fuerat , Quinquennalia sua celebravit ; at Constantinum M. extra solemnia à se edita , urbem sui cognominem condere cœpisse prorsus incredibile ; eò magis , quò non nisi in propriis id genus festivitibus , ejusdem encœnia celebravit.

X.
Decennialiū
ope Inscriptio-
nes expli-
cata.

Non parum denique Decennialiorum , & id genus festorum notitia ad epigraphas , quæ in nummis & marmoribus leguntur , explicandas conducit. Ejus beneficio intelligimus hunc nummum v. g. quem Scaliger in Notis Eusebianis retulit , rectè à Valesio in Notis ad lib. 16. Ammiani expositum fuisse. Legitur in eo : IMP. CAESAR TRAJANUS HADRIANUS AUG. P.M. TR. P. COS. III. PP. ANNO DCCCLXXIV. NAT. VRBIS R. CIR. CON. S. C. Id est , *Natali urbis Roma Circenses concessi Senatusconsulto.* Incipit is annus urbis

urbis in anno Christi centesimo vicesimo primo, in quem Quinquennialia ejusdem Imperatoris incidebant. Quare rectè ea verba adhibita ad horum verborum Ammiani lib. 16. interpretationem, ostendendumque *urbis templum* hoc anno ædificatum fuisse; *Et urbis templum*, (inquit Ammianus loquens de iis, quæ Constantius Augustus Romæ videre gestiebat,) *forumque pacis, & Pompeii theatrum, & odeum &c.* Quo & egregiè pertinere ostendit, quod scribit Athenæus lib. 8. cap. 16. *ἔτυχεν ἡ ἕσα ἱερῆ, τὰ παρίλια μὲν παλαιὰ μακάριεα, νῦν ἡ Ρωμαῖα τῆ τῆς πολιῆς τύχη καὶ καθιδεμένη ὑπὸ τῆ βασιλείας Ἀδριάνου. ἐκείνη τῶ ἡμέραν κατ' ἐσιαυτὸς ἐπίσημον ἄγνοι πάντες ἱερῶν οἱ Ρωμαῖοὶ κατηκύντες, ἢ οἱ ἐπιδημῶντες τῆ πόλει.* Id est, *celebrantur enim Parilium dicta quondam feria, nunc Romanas appellant, extructo, dicatoque Fortuna Urbis templo, ab optimo, & humanissimo Imperatore Hadriano. Eum scilicet diem cum solempni celebritate quotannis festum agunt, non solum Romanis cives, sed etiam quotquot externi homines Roma sunt.* Ex iis, inquam, verbis Valesius sibi elicuisse videbatur Hadrianum eo anno Natalem urbis Romæ celebrasse, eoque nomine vocari, exinde sanxisse eum diem, qui antea Parilia erat dictus. Egregia explicatio, quam ejusdem Imperatoris Quinquennialia certam reddunt, quæ tamen si ad eadem non respicias, infirma erit. Annis siquidem quibus hujusmodi solemnia peragebantur, & templa constructui, ac dedicati, & nova induci in more positum erat, quemadmodum jam observavimus, unde conjectura Valesei optima. In eo is tantum errat, quod scribat id actum Olympiad. 225. anno 2. qui erat, inquit V. Imperatoris Hadriani. Præfato enim anno urbis, cœptus tantum annus primus Olympiad. 225. quintusque ejusdem Imperatoris. Erratum pariter à Calvisio in suo opere Chronologico, Petavioque in Chronico, qui scribunt Hadrianum, rebus Urbis, Italiæque compositis anno Christi 120. ad lustrandas Orbis Romani Provincias, profectum esse: ac primo in Galliam, & Germaniam; deinde in Britanniam, ac anno 123. in Orientem transiisse. Neque enim, quemadmodum ex præfata Epigraphe deducitur, ante annum centesimum vicesimum primum Româ discessit Hadrianus; neque tardius in Orientem, quam anno centesimo vicesimo secundo profectus est, uti tam ex Eusebio in Chronico, quam ex Chronici Alexandrini auctore discimus. Quare anno 121. ejus Quinquennialibus dicato, in Gallias, & Germaniam, indeque in Britanniam transit, in qua *murum per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros, Romanisque divideret*, inquit Spartianus in ejus vita cap. 11. Quod autem in præfato nummo Hadrianus *Pater Patriæ* dicatur, existimo

id potius privatorum studio, ac consuetudine, quam auctoritate publica actum fuisse juxta dicta capite quinto num. IX.

XI.
*Inscriptiones
duo Decen-
nialium ope
explicata.*

Decennalium pariter beneficio, quo anno variæ Inscriptiones dicatæ sint, intelligimus. Onuphrius in libro II. Fastorum anno Urbis 1058. Epigraphen refert. Quæ legitur in marmore, Romæ in Thermis Diocletiani, effosso.

CONSTANTIUS. ET. MAXIMIANUS. INVICTI. AUGG.
SEVERUS. ET. MAXIMINUS. CAESS.
THERMAS. ORNAVER. ET. ROMANIS. SUIIS. DEDICAVER.

Refert aliam in eandem rem Tristanus Tom. 3. pag. 424. quæ Romæ apud templum S. Sufannæ extat.

DD. NN. DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS INVICTI
SENIORES AUGUSTI PATRES IMPERATORUM ET
CAESARUM CONSTANTIUS ET MAXIMIANUS
INVICTI AUGG. SEVERVS ET MAXIMINVS
NOBILISSIMI CAESARES. THERMAS FELICES
DIOCLETIANI. AUG. FRATRIS SUI NOMINE
CONSECRAV. COEPTIS AEDIFICIIS PRO TANTI
OPERIS MAGNITUDINE OMNI CULTU
PERFECTAS ROMANIS SUIIS DEDICAVERUNT.

Thermæ Diocletianæ anno 302. quo Constantius Chlorus & Galerius Maximianus Cæsares Decennalia celebrarunt, constructæ, quemadmodum in Fastorum Rationario diximus. Cùm verò Severus & Maximinus Kalendis Maiis anni 305. Cæsares renunciati fuerint, Constantiusque Augustus anno 306. octavo Kalendas Augusti obierit, eadem Thermæ alterutro anno dedicatæ. Sed cùm idem Constantius & Galerius Maximianus anno 306. Cæsarei Imperii Quindecennalia celebrarint, manifestè liquet eodem anno, non verò 305. easdem dedicatas, quod non nisi Regularum nostrarum ope dignosci potest.

XII.
*Explicatur
Numisma
Diocletiani.*

Tristanus tomo tertio pag. 341. egregium græcum Diocletiani numisma affert, quo eum quinto Imperii anno ineunte Quinquennalia celebrasse discimus: hoc Fastorum Consularium series non nisi valde imperfectè indicarat, Anno enim 288. quo quintus Imperii ejus
annus

annus inchoatus eſt, non ipſe, ſed Maximianus Hercuſius II. Janu-
riô Collegâ Conſulatum edidit; ex quo ſuſpicandi locus fuit, co
Imperatore Conſule, Diocletianum feſtum illud celebraſſe; ſed Nu-
miſma illud id manifeſtè demonſtrat. Legitur in eo ΑΚ. Γ. ΑΥ. ΟΥ.
ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. Id eſt, *Imperator Caſar Caius Aurelius Va-
lerius Diocletianus Auguſtus.* Viſitur in eo idem Imperator Laurô
coronatus, & in averſâ parte figura ſtans quæ in ara ſacrificat, ac
præterea hæ literæ: L. E. id eſt, *anno quinto.* Quæ figura, vel etiam
Veſta ſacrificans in nummis, in quibus hujulinodi vota diſtinctè
exprimuntur, (uti v. g. in nummo Marci Aurelii ab Occone relato,
in quo Tribunitia ejus Potestas XXV. notatur, ac illius vota ſuf-
cepta Decennialia ſecunda memorantur, Veſtaque ſacrificans coram arâ
ſculpta eſt,) ſæpè exhibetur: cujus rei varia exempla in Faſtorum
Rationario videre eſt. Et tamen idem Triſtanus, qui non adverterat
plura Imperatorum numiſmata ad ea ſolemnia reſpectum habere,
perperam dicit figuram hanc ab alicujus civitatis, in qua pluribus
ſacrificiis pietatem Diocletianus oſtentarat, incolis poſitam fuiſſe;
indeque de expenſis ab eodem in ſacrificiis factis, aliſque hujusmo-
di diſſerit, quæ parùm ad iſtius numiſmatis explicationem faciunt.

Idem Triſtanus eodem tomo pag. 298. Probi Imperatoris nummum
exhibet, in cujus poſtica parte viſitur templum octo columnarum;
in eoque figura ſedens dextrâ victoriolam, ſiniſtrâ haſtam tenens, ac
circùm legitur, ROMA E A E T E P. Quod numiſma in ejus
Quinquennialibus cuſum. Quod eò magis exiſtimandum, quò aliud
ejuſdem Imperatoris referat is author, in quo Probus radiis corona-
tus conſpicitur, ac veſte Conſulari, quæ Palmata dicebatur, indu-
tus, & in cujus poſtica parte viſitur etiam templum in quo Impera-
tor ille à Victoria coronatur. Is enim in quarto ſuo Conſulatu Quin-
quennialia edidit, & quia aliquod templum in honorem Romæ, quæ
tanquam Dea colebatur, conſtruxerat, illud in nummis anno quo
feſtum illud edidit, percuſſis, repræſentatum. In iis ſiquidem qui
annis quibus hæc feſta celebrata, percuſſi fuere, ſæpe templa repræ-
ſentata fuiſſe, ex iis quæ in faſtorum Rationario dicemus, manife-
ſtum fiet. Oto pag. 260. Nummum Antonini refert in quo is dicitur.
Trib. Pot. XV. Coſ. IIII. & in cujus poſtica parte cernitur templum
octo columnis ſuffultum ac circùm **TEMPLUM DIVI AUG. RE-
STITUTUM.** Cuſus iſte anno 152. quò eundem Imperatorem Quin-
decennialia celebraſſe oſtendemus. Quare non dubium quin præfatus
Probi in ejus Quinquennialibus percuſſus fuerit, ipſeque eo anno
aliquod templum, aut ædificavit, aut dedicavit; & tamen idem Tri-

XIII.
*Explicatur
Numiſma
Probi.*

stanus scribit, postquam Gentes barbaras idem Imperator domuisset, Romanos sibi in animùm inducentes eum *Æternum* futurum, in hujus opinionis argumentum, Romæ Deæ sub *Æternæ* titulo templum ædificasse, præfatisque Numismatis Signum illud impressissè : quæ explicatio omninò improbabilis.

XIV.
*Explicatur
Numisma
Aureliani.*

Denique idem Tristanus pag. 254. nummum græcum Aureliani refert, in quo is laureâ coronatus delineatur; & in postica parte repræsentatur Aquila Coronam gerens, inter duo signa militaria posita, cum duobus captivis in inferiori parte nummi. Circùm scribitur: L. Δ. id est, *anno quarto*. Ait is Auctor eam Aquilam, signa, captivosque, Imperii Romani gloriam ab Aureliano in priorcm ac antiquum statum restitutam significare; prætereaque eisdem captivos cum Orientem & Occidentem recuperasse ostendere. Sed his nimis tenuiter nummus ille explicatus. Cusus is anno Christi 274. cujus initio Aurelianus Quinquennalia edidit; ideoque anno ferè anticipavit. Post enim ejus Româ eodem anno discessum plura ab eo acta, quam ut intra paucos menses perfici potuerint. Eo autem anno culum ex eo colligitur, quòd in nummis vota Quinquennalia, aliaque id genus expressis verbis repræsentantibus, duo captivi signo militari assidentes plerumque cernantur, ut aliquot exemplis in Fastis digerendis ostendimus, & Constantini Magni nummus, qui apud Tristantum loco laudato pag. 550. extat, fidem facit. Eundem is Imperatorem galeatum exhibet, ac in averfa parte hæc verba: VIRTUS EXERCIT. Cum Labaro & Signo militari, in quo scriptum est: VOT. XX. in cujus signi pede duo captivi sedent. In nummis itaque annis hujusmodi festivitibus dicatis, percussis, qualis ille, qui in Decennialibus vel Vicennialibus Constantini cusus fuit, captivi sedentes, victoriæ, aliaque id genus ut plurimùm repræsentantur. Ex quorum cum præfato Aureliano convenientiâ intelligimus non tantùm ante mortem hunc Imperatorem Quinquennalia edidisse, sed etiam eadem anticipasse.

XV.
*Error Antiquarium
in Numismatum descriptione.*

Valdè igitur, ut his tandem finem imponam, observanda, quæ in nummis Quinquennalia vel Decennalia distinctè exprimentibus repræsentantur, quoque anno ii percussis. Nihil enim ad alios in similibus solemnibus cufos, neque voris Quinquennialibus aut Decennialibus conceptis verbis signatos explicandos magis conferre potest. Unde iis Antiquariis, qui non nisi ferè averfas numismatum partes, aut sub unica alicujus Imperatoris affigie earum plures variis plerumque annis cufas exhibere solent, non succensere non possum, cum hoc pacto non sibi tantùm, sed & aliis ad eorum enigmata solvenda viam præcludant

præcludant : & quod pejus , Lectorem incautum in errorem inducant. Qui itaque rei aded utili operam navare voluerint , ab ea agendi ratione prorsus cavere debent , ac Sebastianum Erizzum imitari , qui quæ in antica parte leguntur , prius describit , ac dein quæ in poſtica explicat ; parum curans ſæpius ejuſdem Imperatoris titulos repetere , modò eos , uti ſe habent , repræſentet , & cuilibet averſæ parti anticam ſuam aſſignet. In errorem non diſſimilem ii etiam non rarò incidunt , qui vetera Manuſcripta ſummo literarum emolumento è tenebris eruunt , publicique juris faciunt. Cùm enim veteris ſcripturæ quantumvis perverſæ veſtigia bonâ fide referre , ipſoſque etiam nœvos ac maculas repræſentare deberent , ut aliis occaſionem conjectandi ſæpè veriora , quàm quæ ipſi , præberent ; fracta ſuo modo interdum reſtituunt ; Lacunas ex conjecturis ſuis ſupplent , efficiuntque ut Manuſcripta tædioſè revolvere non rarò necèſſe ſit. Quamobrem utrorumque cura ac diligentia deſideratur ; expeditque , ut tam numiſmata , quàm Manuſcripta , eò quò diximus modò , deſcribantur ; cùm verum ſit illud quod Seneca prodit , *in quo præto non niſi lacertam alter invenit , poteſt alter leporem capere.*

C A P U T S E P T I M U M .

Aliquot Imperatorum Decennalia , & id genus feſta , de quibus major difficultas eſſe poteſt , explicantur.

Q Uia omnium Quinquennialium , & id genus feſtorum à Cæſaribus , Imperii Collegis , & Auguſtis celebratorum ſericem exhibere decrevi , ex iſſque aliqua ſunt , de quorum anno major controverſia eſſe poteſt , ideo hîc ea ſeorſim examinanda. Illa quidem , uti jam diximus , ab Auguſto , qui per intercifa Decennia & Quinquennia Imperium ſuſcepit , originem ducunt , ſed cùm Tiberius ex Imperatoribus primus fuerit , qui ſemel in perpetuum illud acceperit , quique Senatus-conſulto ſibi ad tempus illud decerni paſſus non fuerit , hæc ſolemnia propriè ab eo incipienda. *διελθόντων ἱ ἡ δέκα ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἡγοριματῶ εὐδ' ἐς τὴν ἀναλήψιν αὐτῆς ἐδωὸς ἐΑῆθν. ἐδ' ἡ ἰδ'εῖτο, κατατέμνων αὐτῷ ὡσπερ ὁ αὐγυς ἄρχων,* inquit Dio lib. 57. *cùm decem anni abiſſent Imperii , non eguit Senatus-conſulto ad recipiendum illud. Neque enim petebat imperare interſcindens ipſum Imperium , ut Auguſtus.*

I.
Quinquennialia, & id genus feſta propriè à Tiberio incipiunt.

II. Cùm ex Clemente Alexandrino, ut prima parte hujus Dissertationis cap. 3. ostendimus, Proconsulare Imperium eidem Tiberio anno Christi decimo, quinto Kalendas Septembris collatum fuerit, ejusdem Imperii Decennalia in annum Christi viccesimum, Vicennalia verò in annum tricessimum incidebant. Et tamen, ut videre est in Fastis, annò vicesimo primo, ac rursùs tricésimo primo Consul processit, & juxta secundam Consulatum Cæsareorum regulam, eadem solemnia edidit. Ex quo sequi videtur anno Christi undecimo illud Imperium ei concessum fuisse. Sed quia Clemens Alexandrinus neque in die, neque in mense erravit, non videtur etiam in anno errasse, eò magis quò Suetonius in Tiberio, ubi cap. 20. dixit: *dedicavit & Concordia adem*, quod mense Januario ejusdem anni factum, statim de eodem Imperio Tiberio collato ait: *ac non multò post lege per Consules lata, ut Provincias cum Augusto communiter administraret &c.* Breve itaque tempus inter eam nuncupationem & dedicationem intercessit. Præterea Dio lib. 56. de rebus M. Emilio Lepido & Statilio Tauro Consulibus, anno nempe Christi undecimo gestis, Tiberium Proconsulem vocat: *Tiberius & Germanicus, cui pro Consule erat Imperium, impressionem in Germaniam fecerunt.* Ac paulò post: *Ludis in honorem Natalium Augusti actis, in Italiam reversi sunt.* Ubi vides initio anni Christi undecimi Tiberium Proconsulem vocari, argumento, quia anno superiori quinto Kalendas Septembris eo honore decoratus fuerat; cùm enim de die nulla difficultas esse possit, Tiberius non diceretur à Dione Proconsul initio anni Christi undecimi, si quinto tantùm Kalendas Septembris ejusdem anni Proconsulare Imperium accepisset: eò magis quò expeditio finita fuit nono Kalendas Octobris, in quem Natale Augusti incidit. Non videtur igitur à sententia Clementis recedendum; ob idque dicendum, vel Tiberium anno Christi vicésimo & tricésimo Decennalia & Vicennalia celebrasse, & Consulatum in annum vicessimum primum; & tricessimum primum distulisse, vel tam Consulatum, quam eadem solemnia in eosdem annos rejecisse, vel demique Tiberio imperante secundam Consulatum Cæsareorum regulam non ita scrupulosè observatam, eosque Consulatus ob alios fines susceptos. Quare de re plura in ordinatione Consulatum dicemus.

III.
Antoninus
Pius Augusti
Imperii
Vicennalia
nono anno
distulit.

Cæsarum Decennalia in Antonini Pii nummis primùm distinctè sculpta fuisse jam diximus. Factus est is Collega Imperii quinto Kalendas Martias anni Christi 138. eodemque anno, die decima Julii in Hadriani demortui locum successit. Quare tam Proconsularis, quàm Augustei ejus Imperii Vicennalia anno Christi 157. aut sequenti

quenti de more celebranda erant. Et quidem Proconſularis Imperii Vicennalia anno viceſimo exacto edita fuiſſe, docet Nummus ab Onuphrio lib. 2. Faſtorum & Occone laudatus, in quo legitur: ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. XXI. & in poſtica: VOTA SOL. DEC. I L. COS. III. At Imperii Auguſtei Vicennalia uno anno diſtulit, quod ex nummo ab utroque laudato colligitur. Signatur ille: ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. XXII. & in averſa parte: VOTA SUSCEPTA DE C. III. exiſtinabat idem Onuphrius Antoninum anno Chriſti 158. quinto Kalendas Martias, quô Tribunitiam Potestatem XXI. iniit, vota Decennalia ſecunda ſolviſſe, & anno 159. eadem die Tribunitia potestate XXII. inchoarâ, vota Decennalia tertia ſuſcepſiſſe: quem rectè Noriſius diſſertat. de votis Decennal. cap. 3. confutat, quod eadem die vota ſolverentur, & nova in alterum Decennium conciperentur: quod ex Plinio lib. 10. Epist. 44. ab eodem Trajano ſcripta probat: *ſolemnia vota pro incolunitate tua, quâ publica ſalus continetur, & ſuſcepimus Domine pariſer & ſolvimus.* Qua de re plura idem Noriſius, qui non alio modo nodum ſolvit, quàm dicendo Hadrianum non niſi anno Chriſti 139. demortuum, ideoque Antoninum Pium legitimo tempore Auguſtei Imperii Vicennalia celebrariſſe, cùm Tribunitiam Potestatem primam anno 138. ſuſcepſiſſet. Sed hæc viri doctiſſimi ſententia de Hadriani morte priori hujus Diſſertationis parte penitus à nobis averſa eſt, ideoque Antoninum Pium ea Vicennalia anno non legitimo peregiſſe certum, indubitatumque. Cujus rei alia exempla mox occurrent.

Commodus Marci Aurelii filius morem hæc ſolemnia cum Tra-bea Conſulari edendi, qui jam in deſuetudinem abierat, renovavit; cujus exemplum ſucceſſores, præſertimque Imperatores Orientales imitati ſunt. Is à Marco Aurelio Patre anno 175. Piſonis & Juliani Conſulatu notato, die & menſe incertis, non tantùm Tribunitiâ potestate, ſed & quod hætenus nemini obſervatum, Imperio Proconſulari decoratus eſt. Primum à Noriſio rectè ſtabilitum; ſecundum verdè ex nummis, in quibus ejus Quinquennalia, Decennaliave annotata, manifeſtè deducitur. Neque enim hæc ſolemnia celebrata, niſi vel ob Imperium Cæſareum, vel ob Imperium Proconſulare, vel denique ob Imperium Auguſteum. Neque Auguſtus, nec Tiberius, neque quiſvis alius propter ſolam Tribunitiam potestatem hujusmodi feſta peregit, ut notum eſt. Verum quidem eſt in hac ſecunda Imperii Romani adminiſtrationis forma nullum alium Collegam me deprehenſiſſe, ſed hunc ea dignitate donatum, ac anno poſt, quinto Kalendas

IV.
Quinquennalia, & id genus vota Commodi explicantur.

Kalendas Novembris, ut docet Lampridius in ejus vita cap. 12. à patre Augustum nuncupatum, tandemque eidem anno 180. successisse, indubitatum esse debet. Quare juxta Numismata ab Occone relata sic hujusmodi solemnità à Commodò celebrata ordinari debent. Anno 181. quo Antistio Burro Collegà tertium consulatum gessit, Imperii Proconsularis Quinquennalia celebravit. In nummo enim ejusdem Imperatoris legitur: VOTA DECEN. SUSC. TR. P. VI. IMP. III. COS. III. P. P. S. C. qui Consulatus ostendit Notisium deceptum fuisse, quando scripsit hæc Quinquennalia anno præcedenti, quò nondum eum Commodus inierat, celebrata fuisse. Nam quod idem vir doctissimus eum nummum ad Quinquennalia Augustei Imperii vivente Patre suscepti referat, factum id ex communi errore, in quo omnes huc usque versati sunt, eundem nempe Commodum Imperii Collegam non fuisse. Hujus festi index ac signum quod in Chronico Alexandrino eodem anno legitur: *His Coss. Antiochia Artabanus homo copiosus populo in ade Daphnes nuncupat à, sportulas (locus non est integer) & Cereris æterna portiunculas, seu pannum fragmina magnificè & ambitiosè sparsit, panesque illos politicos seu civiles appellavit, eo quod civibus suis eos impertisset, ad eamque rem perpetuandam ex suis prædiis, annuos sumptus destinavit, qui sportulis illis civium æqua ratione responderent. Vicesimè Antiocheni Artabano in Daphne statuam cum hac Inscriptione posuere: ARTABANO MEMORIA SEMPITERNA.* Jam enim diximus in annos hujusmodi solemnità consecratos res novas, aut mentorià æternà dignas sæpè reservatas; ac in iisdem statuas, obeliscos, & id genus alia erecta fuisse. Celebrata porrò hæc Quinquennalia die decimà septimà Martii Augustei Imperii post patris mortem initi Natali; alioquin non anno 181. Sed præcedenti ea edita essent, ut patet. Tum anno 183. quò Victorino Collegà quartum Consulatum gessit, secunda Quinquennalia Imperii nempe vivente patre suscepti celebravit Commodus. Hujus Imperatoris nummum exhibet Occo in quo legitur. VOTA DECENN. SUSC. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. III. P. P. S. C. Cœpta ab eo Tribunitia potestas octava anno 182. ideoque anno sequenti illud festum celebratum die etiam Natali Imperii patre vivente administrati. Ex quò & ea uno anno distulisse manifeste patet. Denique anno 184. tertia Quinquennalia, Imperii nempe post patris mortem obiti, celebravit, eodem pariter Natali die, XVII. scilicet mensis Martii. Liqueat id ex nummo, qui apud eundem Occonem extat, in quo legitur: VOTA SUSCEP. DECEN. P. M. TR. P. VIII. IMP. VII. COS. III. P. P. S. C. vides in omnibus nummis memoratis

vota Decennalia ſuſcepta legi, quia, uti oſtendimus, in Quinquennialibus vota Decennalia nuncupabantur, & quinto poſt anno, nempe in Decennialium feſto, eadem ſolvebantur.

Porro quemadmodum tria Quinquennalia, ita & tria Decennalia Idem Imperator edidit. Piora anno 185. die etiam XVII. Martii, uti hæc epigraphe demonſtrat: PRIMI DECENN. P.M. TR. P.X. IMP. VII. COS. IIII P. P. S. C. Suſcepta decima Tribunitia poteſtas à Commodo anno 284. quò, eodem die tertia Quinquennalia edidit, quare priora Decennalia nonniſi anno ſequenti ab eo peracta, eò magis quò diverſis annis hujusmodi ſolemnia exhibere ſolitus fuerit. Secunda Decennalia quinto Kalendas Novembris, Imperii vivente patre geſti anno 186. quò Glabrionè collegà quintum Conſul Proceſſit, celebravit, quemadmodum liquet ex nummo, qui apud Occonem extat: VOT. SOL. DEC. P. M. TR. P.XII.IMP. VIII. COS.V. P.P. Ex quo & colligitur eum anno 175. ante diem quintum Kalendas Novembris Tribunitiâ poteſtate & Proconſulari Imperio cohonestatum fuiſſe, alioquin anno 186. eodem die prioris Imperii Auguſtei Natali nondum Tribunitiam poteſtatem XII. aſſequutus fuiſſet; ex dictis verò ſuprà conſtat ante diem decimam ſeptimam Martii poſterioris Imperii Auguſtei natalem, eam illi dignitatem conceſſam, aliter ſecunda Quinquennalia, v.g. anno 183. in ſuo quarto Conſulatu, & in Tribunitia poteſtate octava, quam certum eſt iniſſe anno 182. non celebraſſet, ſed in nona Tribunitia poteſtate, quam præfato anno 183. ante diem decimam ſeptimam Martii inchoaſſet. Tertia Decennalia Commodus ſolvit anno 190. quò, Petronio Sepſimiano Collegà, ſextum Conſulatum edidit; quod ipſemet Conſulatus oſtendit. Profert hanc in rem Noriſius numiſma ejuſdem Imperatoris, quod apud laudatum Antiquarium pag. 326. in corona quæſtea hanc Inſcriptionem præfert: VOT. XX. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. additque, Anno Epochæ Chriſtianæ 190. idem Auguſtus fuit Conſul ſextum, quo anno deſinente decennio, ex quo patre deſuncto, rei Romanæ adminiſtrationem acceperat, vota Decennalia ſolvit, & Vicennalia nuncupavit. Eadem tamen ſolemnia dies aliquot anticipavit, antequam annum Tr. P. XV. expleret. Hæc Noriſius. Sed incertum an præfatum numiſma in Decennialibus poſterioris ejus Imperii Auguſtei, an in ejus Imperii Proconſularis Quindecennialibus percuſſum fuerit; cum in illis ſolemniis vota XX. ſolverentur, in iſtis verò nuncuparentur; eſſetque is annus poſterioris ejus Imperii Auguſtei decimus, Imperii verò Proconſularis decimus quintus. Quia tamen videtur Commodus hæc Decennalia die XVII. Martii

V.
Decennalia
& Quindecennalia
Commodi.

Martii, posterioris Imperii Augustei Natali, quo adhuc in cursu erat Tribunitia ejus potestas X V. ideo præfatus nummus ad ea referendus: eò magis quòd si in sexto suo Consulatu in eo nummo annotato, anno nempe 190. Commodus Quindecennalia Imperii Proconsularis celebrasset, vel utraque eodem die XVII. Martii edita fuissent præter ejusdem Imperatoris morem; vel Tribunitiam Potestatem XVI. tunc gessisset, eadem epigraphæ reclamante. Ea itaque Quindecennalia anno præcedenti, ut videtur, gesta. Quoad id, quod addit idem vir doctissimus, Commodum ea solemnia dies aliquot anticipasse, patet eum falli existimantem præfatum Imperatorem Tribunitiam potestatem suscepisse, vel die quinto Kalendas Martias, qua eadem ornati fuerant Pater & Avus; vel certè nonis Martiis die Natali Marci Aurelii Patris. Ex dictis enim manifestè liquet non nisi post decimum septimum Martii ad Tribunitiam potestatem evehctum Commodum; ideoque ea Decennalia legitimo tempore esse exhibita. Illud solum circa hujus Imperatoris solemnia mihi dubium restat, ne secundæ Decennalia anno 187. die decima septimâ Martij, quâ adhuc Tribunitia Potestas XII. cutrebat, ediderit. (Eo enim anno, uti in Fastis digerendis diximus, Thermæ Commodianæ Romæ dedicate sunt,) & anno 186. in quinto suo Consulatu id genus Festorum indicio, Imperii Cæsarei Tricennalia celebravit. Nam sic utraque tempore legitimo peracta fuerint; in re tamen incerta in eodem Fastorum Rationario scripsi eadem Tricenalia uno anno dilata fuisse: quod parum refert, modò certum maneat tam anno 186. quàm anno 187. hujusmodi festa edita.

VI.

*Quo anno
Gallienus
Decennalia
celebravit.*

Valerianus & Gallienus anno 253. rei Romanæ administrationem suscepere, annoque 257. quò Quinquennalia de more celebranda erant, Consules processere. Tum Gallienus Patre jam in captivitate abducto, in quinto Consulatu, quem Faustino Collegâ anno Christi 262. gessit, Decennalia celebravit. Fallitur enim Norisius qui ea in annum sequentem differt, cum Pollio in Gallienis duobus cap. 5. Gallieni & Faustini Consulatu memorato, postea cap. 8. quæ in ejus Decennalibus acta, refert, ac dein Nummii Cleionii Albini, & Maximi Dextri Consulatu, qui in annum 263. convenit, prætermisso, narrat quæ gesta sunt Gallieno & Saturnino Consulibus, anno scilicet 264. ex quo ultimo Consulatu Norisius deducit ea Decennalia Albino & Dextro Consulibus, anno nempe Christi 263. fuisse edita. Sed perperam; Consulatus enim Gallieni ea anno 262. peracta fuisse manifestum facit, & indicat Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 23. qui ubi Macriani Tyranni mortem narravit, de Gallieno

Gallieno, qui Ecclesiæ pacem dederat, ait: *Religiosissimus verò Deique amantissimus Imperator septennalem circulum jam emensus, novum Imperii annum degit, quo nos festa celebraturi sumus.* Id est, Decennalia celebrabimus. Ex quo secundæ Consulatum Cæsareorum regulæ utilitas magis ostenditur, cum ex ea innotescat, quæ à Scriptoribus historiæ Augustæ proximè ante aliquem Consulatum narrantur, ad immediatum Consulatum præcedentem non semper pertinere. Quod & alio exemplo ostendo. Capitolinus in Gordiano tertio cap. 23. ait: *Inditium non diu imperaturis Gordiani hoc fuit, quòd eclipsis solis facta est, ut nox crederetur.* Et Paulo post: *Vennsto & Sabino Consulibus inita est factio in Africa contra Gordianum tertium.* Cedit is Consulatus in annum 240. & Nihilominus anno 239. nulla eclipsis visa, sed tantum annis 237. die 12. Aprilis, & 238. die secunda ejusdem mensis. Sic Ammianus, ut ab Hadriano Valesio in Præfatione ad ejus opera, M. SS. Codicum beneficio accuratè emendata, observatum, paria Consulatum novem omisit; & tamen res gestas iis annis, quibus illi Factis nomen dedere, exposuit. Nam ne rerum ferriem interrumperet, bella duobus, aut etiam pluribus annis acta, continuâ oratione aliquando resenset. Quare in legendis Scriptorum historiæ Augustæ libris, ne ea rerum narrandarum ratio nobis fucum faciat, cavendum.

Norifius differt. de Numismate Imp. Diocletiani & Maximiani cap. 2. scribit Maximianum Herculium Vicennalia biennio anticipasse, ut cum Diocletiano, cujus Collega in Imperio erat, quique incunte anno vicefimo, Christi nempe 303. Vota Vicennalia solvit, conveniret. Addens se vix in communem sententiam trahi posse, quæ docet eundem Maximianum antequam Augustus fieret, Cæsaream dignitatem obtinuisse: quam postea sententiam aliqui viri docti amplexi sunt. Sed tam Maximianum, quàm Diocletianum legitimo tempore ea solemnia edidisse, & eundem Maximianum Cæsaream dignitatem ante Augusteam consequutum fuisse, minimè dubitandum; hoc enim postremum duobus in locis Eutropius lib. 9. & in totidem Orifius lib. 7. docent. Quod & ii omnes confirmant, qui cum annos viginti imperasse scribunt. Aurelius Victor in Epitome: *æate interit sexagenarius, annorum viginti Imperator.* Anonymus Valesianus: *Diocletianus cum Herculio Maximiano imperavit annos viginti.* Idem habet Lactantius lib. de mortibus persecutorum cap. 30. Incerti Panegyricus Maximiano & Constantino dictus cap. 8. habet: *Tè rursus vicefimo anno Imperatorem, octavo Consulè ita ipsa amplexu quodam suo Roma voluit desinere, ut videretur angurari jam, &*

VII.
Maximianus Herculius prius Cæsar postea Augustus fuit.

timere quod factum est. Tum cap. 10. Sed profecto exegit hoc varietas & natura fortuna ut illa viginti annorum continua felicitas intervallo aliquo distingueretur. Denique cap. 11. subjungit: non potuisti resistere sancta illius parentis (nempe Romæ) Imperio, & invictus licet parvisti, & te illis vigiliis illisque curis, quas viginti annos expertus fueras, reddidisti. Firmat eandem sententiam Codex Justinianeus, in quo multæ leges à Diocletiano & Maximiano datæ leguntur Diocletiano 11. & Aristobulo Coss. Tum Maximo secundo, & Aquilino Coss. Id est, annis Christi 285. & 286. quò Kalendas Aprilis Augustus renuntiatus est.

VIII.
Licinius ex
Cæsare factus
Augustus.

Verum non tantum Maximianus Herculius prius Cæsar, quàm Augustus nuncupatus est, sed ii etiam omnes, qui à Marco Aurelio ad Valentinianum seniore ab aliis Augustis Augustea dignitate donati sunt. Quod Ammianus lib. 27. de valente & Gratiano ab eodem Valentiniano Augustis factis docet: *In hoc tamen negotio Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares, sed Augustos, Germanum nuncupavit & filium, benivolè saxis. Nec enim quisquam ante hac adscivit sibi pari potestate Collegam præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua majestatis Imperatorem socium fecit. Ad quæ Verba Valefius in Notis scribit: Atqui nonne etiam Severus Bassianum & Getam filios Augustos nuncupavit, teste Herodiano in lib. 3. ? Quod si quis ab exercitu, non autem à Severo appellatos Augustos cavillabitur, ut scribit Spartianus in Severo, tum Diocletiani exemplum opponam, qui Maximianum Herculum Collegam Augustei Imperii sibi adjunxit. Sed responderi potest nec Diocletianum nec Severum Collegas sibi Augustos statim adscivisse, sed initio Cæsares tantum, ut de Bassiano quidem ac Geta scribit Spartianus, de Maximiano autem Eutropius. At Valentinianus fratrem ac filium, non Cæsares primum, ac deinde Augustos, sed statim Augustos creavit. Cùm itaque Ammianus tam Marci, quam Valentiniani factum tanquam novum & antea inauditum proponat, non solum Maximianum Herculum sed & Licinium Seniore ex Cæsare Augustos factos fuisse indubitatum esse debet. Licet id etiam de Licinio Norisius, dissertat. de Numismate Licinii & Baluzius in Notis ad Lactantium de mortibus persecutorum negent contra Victoris Schoti, Cedreni, & aliorum fidem; quam is dignitatem à Galerio Maximiano ex expeditione Italica reduce, paulò antequam Augusteâ exornaretur, anno 307. obtinuisse videtur.*

IX.
Constantius
Chlorus &

Dicit Norisius Eutropium errasse, quando scripsit: *Diocletianus Maximianum Herculum ex Cæsare fecit Augustum, Constantium & Maximianum*

Maximianum Cesare. Pleno enim, inquit Quinquennio inaugura-
 tio Maximiani Augusti, Cæsarum designationem antecessit. Sed
 non advertit vir doctissimus Eutropium diversis annis gesta brevi, ut
 assolet, summâ colligere, Idatiumque quem sequitur, non minus
 errare in Cæsareo Imperii Constantii Chlorig & Maximiani Galerii
 anno 291. consignando, quàm in Augusteo Licinii anno 308. collo-
 cando. Cæsarum enim designationem anno 292. factam fuisse, patet
 ex Consulatibus ab utrisque initis, quæ in annos Quinquennialium,
 Decennialium, & Quindecennialium eorundem incidunt: quæ dis-
 positio Consularis eorum etiam opinionem evertit, qui hanc nuncu-
 pationem in annum 293. conjiciunt, uti Baluzius in Notis ad librum
 de mortibus persecutorum. In edicto enim à Galerio Maximiano
 in favorem Christianorum dato, & ab Eusebio lib. 8. cap. 17. relato,
 Galerius Maximianus dicitur TRIB. POT. XX. Quare Kalendis
 Martiis anni 292. idem Galerius & Constantius Cæsares creati fue-
 rant, cùm Edictum illud anno 311. post Kalendas Martias emissum
 fuerit; & ut habet idem Eusebius initio Appendicis de Martyribus
 Palestinæ, post hujusmodi confessionem vita simul & doloribus libera-
 tus idem Galerius fuerit. Idque post Kalendas Maias, ut nos idem
 Lactantius docet cap. 33. 34. 35. *Decimus & octavus annus agebatur,*
inquit, cùm percussit eum Deus insanabili plagâ . . . & hæc facta sunt
per annum perpetem & jam desiciens edictum misit
hoc edictum proponitur Nicomedia, pridie Kalendas Maias, ipso octavo
& Maximino iterum Coss. (qui Consulatus in annum 311. cadit)
. nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit à Deo sed
horrenda tæbe consumptus est. Idque cognitum Nicomedia mensis ejusdem,
cùm futura essent Vicennalia Kalendis Martiis impendentibus. Annus
decimus octavus Galerii Maximiani cœpit Kalendiis Martiis anni
 309. quo exeunte, vel circiter, eo morbo is afflictus est, usque ad
 anni sequentis finem, ac initium anni 311. quo post Kalendas Mar-
 tias, ac Tribunitiam potestatem vicissimam susceptam, edictum in
 Christianorum gratiam emisit, & post Kalendas Maias ejusdem an-
 ni, cùm futura essent Vicennalia Kalendis Martiis anni 312. miseram
 efflavit animam. Ex quibus manifestè patet eum non nisi anno 292.
 Cæsarem factum fuisse, Edictumque post Kalendas Martias emissum.
 Si enim anno 293. Cæsareâ dignitate decoratus fuisset, Edictum Tri-
 bunitiam potestatem XIX. non XX. præferres si verò anno 291.
 anno vicésimo primo ejus Imperii à Kalendis Martiis inchoato VI-
 cennalia edidisset; quæ tamen Lactantius dicit anno sequenti cele-
 branda fuisse.

*Galerius
 Maximia-
 nus anno
 292. Cæsa-
 res dicti.*

X.
*Offenditur
 ex Lactantio
 Constantii
 & Maxi-
 mianum
 anno 292.
 Cæsares
 creatos fuisse.*

Sed & Numismata Græca eandem Idatii opinionem convellunt; septem enim apud Oconem extant, in quorum singulis singuli Imperii Augustei ejusdem Galerii Maximiani anni exprimentur, in quorum ultimo septimus memoratur. Quibus evincitur primò Galerium Maximianum anno 311. Kalendis Maiis, quibus imperium anno 305. inierat, adhuc in vivis fuisse, alioquin septimum Augustei Imperii annum non attigisset. Secundò Tribunitiam potestatem XX. in rescripto ejusdem Galerii memoratam, inchoatam fuisse Kalendis Martiis ejusdem anni 311. Tertiò hujusmodi rescriptum non nisi post eandem Kalendas Martias datum, eò magis quòd Lactantius doceat illud pridie Kalendas Maias Nicomediae propositum. Si enim ante Martium emissum, ejus promulgatio tandiù dilata non fuisset, cum de fine persecutioni imponendo ageretur, & postquam illud emisit, uti cum Eusebio diximus, statim perierit. Ac denique quòd præcipuè intendimus, Galerium Maximianum anno 292. Cæsaris nomen assecutum, quæ hîc per transfennam explicare placuit, quia Norisius, qui Lactantium non viderat, hujus auxilii expertus, id præstare non potuit.

XI.
*Non deducitur
 ex Spartiano
 Her-
 culium ex
 Cæsare Au-
 gustum factum
 non fuisse.*

Alterum argumentum Norisius affert ad probandum Maximianum Herculum Cæsarem non fuisse antequam ad Augusteam dignitatem eveheretur. Scribit Spartianus Ælium creatum fuisse Cæsarem ab Hadriano, non testamento, ut antea moris erat, sed eo genere quo nostris temporibus à vestra clementia Maximianus ac Constantius Cæsares dicti sunt, quasi quidam Principum filii, & Augusta majestatis heredes. Sanè, inquit Norisius, Maximianum Herculum Spartianus non omisisset, imò potius quàm Galerius Maximianus & Constantius Chlorus in exemplum vocatus fuisset, si Cæsaream dignitatem ante Augusteam obtinuisset. Sed eo exemplo Spartianus uti non poterat. Ælio enim, sicuti Maximiano Galerio & Constantio Chloro cum Cæsaris honore Tribunitia potestas collata fuit, uti ex nummis constat. Quæ tamen Maximiano Herculo non nisi cum Imperio Augusto concessa. Patet id ex duabus Inscriptionibus ab eodem Norisio & à Grutero pagina 166. recitatis In priori Diocletianus dicitur. TRIB. POT. X. Maximianus verò Herculus, TRIB. POT. IIX. In posteriori Diocletianus dicitur, TRIB. POT. XI. Maximianus, TRIB. POT. X. Diocletianus decimo Kalendas Octobres anni 284. Maximianus verò Herculus Kalendis Aprilis anni 286. Augusti renunciati sunt. Quare decima Tribunitia potestas Diocletiani anno 293. inchoatur, & sequenti absolvitur. A Kalendis verò Aprilis anni 286. ad Kalendas Aprilis anni 294. anni sunt octo completi. Unde hoc

hoc ultimo anno ea Inſcriptio dedicata, & Tribunitia poteſtas Maximiano Herculio non ante annum 286. collata; quod & poſteriori Inſcriptione comprobatur. Nam Tribunitia Poteſtas X I. decimo quinto Kalendas Octobris anni 294. à Diocletiano, & decima Kalendis Aprilis anni 295. ab Herculio aſſumpta. Quocirca hæc dedicati non potuit niſi eo anno poſt Kalendas Apriles quibus Maximianus Tribunitiam Poteſtatem X. inierat, & Diocletianus undecimam abſolvebat. Ex quo non tantum ſequitur Maximianum non niſi anno 286. quod tamen ab aliquibus negatum, factum fuiſſe Auguſtum, ſed & Tribunitiam poteſtatem ei cum Cæſarea dignitate anno 284. collatam non fuiſſe, ideoque Spartianum hoc exemplum adhibere non potuiſſe. Cum itaque nihil in contrarium alicujus ponderis afferatur, non videtur amplius in dubium vocari poſſe, an Maximianus Hercules prius Cæſar, quam Auguſtus fuerit. Quo Honore cum anno 284. duodecimo Kalendas Decembres, ut jam à nobis oſtenſum, exornatus fuerit, ſequitur eum Vicennalia ſtato tempore edidiſſe.

Sed quod de Maximiano Herculio, cum nempe hæc ſolemnia anticipaſſe, dici non poteſt, omnino de Maxentio & Licinio aſſerendum. Romæ ille anno 306. à Prætorianis Auguſtus dictus eſt ſexto Kalendas Novembres, ut mox ex Lactantio oſtendemus, quare quintus Imperii ejus anno 311. abſolvebatur: quo quidem anno Indulgentiam Chriſtianis Africanis conceſſit, ſed Quinquennalia in annum ſequentem diſtulit. Primum docet Optatus qui lib. 1. ſcribit: *tempeſtas perſecutionis peracta & deſinita eſt jubente Deo, Indulgentiam mittente Maxentio Chriſtianis libertas eſt reſtituta.* Quod eo anno factum fuiſſe rectè probat Valeſius de Schiſmate Donatiſtarum cap. 1. adverſus Baronium, qui hanc Indulgentiam in annum 306. perperam conjecit. Poſterius diſertè teſtatur Lactantius lib. de moribus perſecutorum cap. 44. ubi de bello Conſtantinum inter & Maxentium anno 312. geſto, ait: *Imminebat dies quo Maxentius Imperium ceperat, qui eſt ad Sextum Kalendas Novembres, & Quinquennalia terminabantur.* Tum cap. 46. de Galerio Maximino contra eundem Conſtantinum & Licinium bellum gerente ait: *Statuit Imperator (Galerius Maximinus) præſium diei Calendarum Maiarum (quo die Diocletianus & Maximianus anno 305. abdicarant, & Galerius Maximianus ac Conſtantiſ Chlorus Auguſti facti fuerant, ut nos poſt longam ignorationem idem Lactantius cap. 19. docet) que octavum annum mancipationis ejus implebant, ut ſuo potiſſimum Natali vinceretur, ſicut ille (nempe Maxentius) viſtus eſt Roma.* Quare Maxentius in annum 312. ſexto Kalendas Novembres, quo Tribunitiam poteſtatem

XII.
Maxentii
Quinquennalia dilata.

Potestatem VII. assumpturus erat, Quinquennalia distulerat, eamque ob rem eodem anno Consul processerat. Circa diem tamen ejusdem Maxentii Natalem hic mihi scrupulus est. In veteri Calendario filiorum Constantini tempore scripto, ad quintum Kalendas Novembris legitur: EVICTIO TYRANNI. ad quartum verò Kalendas ejusdem mensis: INGRESSUS DIVI. Quæ de Clade Maxentii & Constantini M. ingressu Eruditi communiter intelligunt, & quidem cum fundamento; cum de Licinio ea intelligi non posse videantur; ac præterea quintus Kalendas dies Romanis religiosus esset, quòd Augustus eòdem aram Victoriæ dicasset, ostendens se ex propria virtute Imperium acquisivisse, ut alibi diximus. Quæ conjectura si admittenda sit, dicendum in Lactantio loco, *ad sextum Kalendas Novembris* legendum esse, *ad quintum Kalendas Novembris*. Quod si hæc conjectura non placeat, dicendum erit cum Baluzio in Notis, ideo eam Victoriæ quinto Kalendas Novembris illigatam fuisse, quòd, ut habet Anonymus Valesianus, postera die Corpus Maxentii levatum flumine, & caput ejus incisum in Urbem perlatum fuerit; eoque modò victoria quodammodo completa.

XIII.
Licinius
Decennalia
anno anno
anticipavit.

Quoad Licinium, cum Decennalia anticipasse, annoque 315. celebrasse, certis argumentis ostendi potest, licet Norisius, qui Lactantium non viderat, Dissertatione de Numismate Licinii, cap. 3. scripserit: *Constantinus exacto decimo Imperii anno Decennalia in Occidente splendidissima pompâ celebravit anno 316. octavo Kalendas Augusti, die Natali Imperii: Licinius ejusdem non tam in Imperio Collega, quàm amulus, tertio postea mense, tertio Idus Novembris, die eisdem Natali Imperii, ejusque anno decimo incunte. Decennalia in Oriente dedit, ne Orientales Provincia, qua ipsi parebant, spectaculorum pompam Occidenti inviderent.* Profert in eam rem nummum in gaza Medicea asservatum, in quo Licinii Decennalia vota soluta, & Vicennalia nuncupata exhibentur. Visitur in eo effigies Licinii Junioris, qui anno postea 317. Kalendis Martiis cum Crispo & Constantino Juniori Cæsar creatus est, ut Auctor est Idatius in Fastis: circa eam effigiem hæc verba leguntur: LICINIUS AUG. OB DU FILII SUI, quæ sic interpretatur idem Norisius, *ob dicata vota filii sui, vel oblatio devota filii sui.* In ambitu posticæ partis, JOVI CONS LICINI AUG, id est, *Jovi conservatori, cui acceptas Victorias Licinius referebat.* Infra legitur, SIC X. SIC XX. Id est, Decennalia soluta, & Vicennalia nuncupata. Ac paulò inferius, SMNT. Id est, *signata moneta Nicomedia anno tertio.* Neque enim aliud Græcæ litteram Γ. designare probat is author, observatque

que duplicem esse Imperii Liciniani Epocham : prior quæ à tertio Idus Novembris anni 307. quo à Galerio Maximiano Augustus creatus est , eique Rhetia ac utraque Pannonia commissa ; posterior ab anno 314. quo Galerio Maximiano demortuo in altera Imperii Asiatici parte successit , cùmque tertius annus eo in numismate inscriptus de ultimo ejus imperio intelligatur , liquet , inquit , Licinium anno 316. Decennalia edidisse , ideoque anno Imperii decimo inunte ita Norisius discurret.

At tam certum, Asiaticum Licinii Imperium anno 313. inchoatum fuisse , eodemque Maximinum demortuum , quàm Europæum anno 307. exordium sumpsisse ; & quidem de priori non videtur posse posterum difficultatem moveri , cùm vel sola Tribunitia Potestas I V. Licinii adnotata in Edicto , quod Galerius Maximianus anno 311. paulò antequam moreretur , in Christianorum favorem emisit , illud evincat , nisi enim anno 307. Augustæum Licinii Imperium cœpisset , is anni 313. initio Tribunitiam potestatem quartam , seu quartum Imperii annum , quod idem est , nondum iniisset. Posterioris initium nos docet celeberrima Epocha τῆς ἐπιφάνειας τοῦ ἰουλιανῶν , Id est , à reddita pace Ecclesia , quâ antiqui Christiani usi sunt , cœpta enim ea anno 313. uti consignatur ab Eusebio in Chronico , post mortem nempe Galerii Maximini , qui paulò antea persecutioni , quæ jam in Occidente desierat , finem imposuit. Eâ Erâ utitur Chronici Alexandrini Auctor , dum Constantii Augusti mortem narrans , ait : *Constantius Augustus mense Dio , seu Novembri , die tertia , anno Antiocheno quadringentesimo decimo , Indictione quinta ; cùm Ecclesia pacem annos quinquaginta habuisset , dictis Consulibus Tauro & Florentio , mortem cum vita commutavit.* Cadit is Consulatus in annum Christi 361. anno verò 312. Kalendis Octobris annus Antiochenus trecentessimus sexagesimus primus inchoatus est ; cui si quinquaginta addas , pervenies ad annum Christi 361. quò Kalendis Octobris annus Antiochenus 410. auspiciatus est. Unde pax Ecclesiæ procurata ante mensẽ Octobrem anni 313. ideoque & ante eundem mensẽ Galerius Maximinus demortuus ; cùm Ecclesia non nisi post ejusdem Tyranni Edictum ab Eusebio lib.9. cap.10. relatam , ejusque mortem non multò post secutam , pace potita sit. Sed post librum Lactantii de mortibus Persecutorum res adhuc certior. Is cap.48. ait , Constitutionem Constantini & Licinii , quâ libertas Religionis Christianis concessa , die Iduum Juniarum Nicomediæ propositam fuisse , postquam jam idem Maximinus à Licinio victus fuisset , Constantino & Licinio tertium Coll. anno nempe Christi 313. addit-

XIV.
Asiaticum
Licinii Im-
perium anno
313. inchoa-
tum.

que: Sic ab eversa Ecclesia usque ad restitutam fuerunt anni decem, menses plus minus quatuor. Quod verissimum est; jam enim cap. 13. dixerat septimo Kalendas Martias, Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coll. anno scilicet Christi 303. persecutionem decretam fuisse à quo anno, mense, & die, ad diem Iduum Juniarum anni 313. præfati anni & menses interjiciuntur. Certum itaque indubitatumque, Maximinum anno 313. sublatum, novumque Licinii in Asia Imperium inchoatum fuisse. Verum quidem est in Chronico Alexandrino legi: *Galerius Maximinus à Licinio fusus in Cilicia cum ingenti exercitu, uti tyrannus profugus, & inglorius cum novennium imperasset, delatus est.* Sed numerantur ibi anni Juliani, & uterque extremus incompletus pro completo sumitur, quod sæpe veteres Scriptores fecisse certum est.

XV.
Origo erroris
circa annum
mortis Ma-
ximini.

Norisius in eadem Dissertatione, ut ostendat Maximinum anno tantum 314. victum fuisse, ideoque ab eo anno Asianum Licinii Imperium exordiri, dicit, anno 313. transmissam eum à Constantino & Licinio pro Christianis legem accepisse; tuncque, ut ait Eusebius lib. 9. cap. 9. *Hanc primum pro Christianis epistolam veluti suopte motu & ex propria auctoritate conscriptam ad Præsides Imperii sui, necessitate adactus direxit.* In illius Epistolæ titulo legitur: *Jovius Maximinus Augustus Sabino*, ejusque summarium est, licere unicuique Religioni inhære, cui maluerit. Sed cum postea Collegas Augustos contemneret, bellum, rupto fœdere, Licinio intulit; in quo victus celeri fugâ in Asiam se se recipiens, apud Tharsum in Cilicia periit, cum Christianorum Deo gloriam, laudemque iridisset, & absolutissimam atque uberrimam legem pro eorundem Christianorum libertate tulisset, inquit ibidem Eusebius cap. 10. que omnia contigisse anno 314. in eunte Vere probat Norisius ex Edicto, quod morti proxinus Tyrannus publicavit, in quo hæc ait: *Superiore anno datis ad singulos Provinciarum Præsides literis statuimus, ut si quis adherere huic sectæ, & Religionis illius observantiam sequi vellet, ei liceret absque ullo impedimento in proposito suo permanere.* At legem ad Præsides Imperii sui direxit post Edictum mense Martio ab Imperatoribus Constantino & Licinio ad se transmissum: quam quidem legem, cum tectetur superiore anno datam, evidenter deducitur, hanc alteram legem emissam anno 314. & ex consequenti non nisi eo anno Maximinum periisse. Eodem etiam modo Baronius in Annalibus discurret, sed utrumque falli manifestè ostendo. Eusebius lib. 9. cap. 9. postquam victoriam de Maxentio, anno 312. relatam narravit, scribit: *Imperator Constantinus & Collega ejus Licinius uno consensu legem pro Christianis absolutissimam*

ſolutiſſimam & copioſiſſimam promulgarunt. Et miracula, qua Deus in ipſis ediderat, partaque de Tyranno victoria nuncium, ipſamque adeo legem ad Maximinum qui in Orionis partibus etiam tum imperabat ſequi ipſiſſimum eſſe ſimulabat, tranſmiſere. At Ediſtum illud perit, neque ad nos pervenit. In poſteriori Conſtantini & Licinii conſtitutione ab eodem Eusebio lib. 10. cap. 5. relata non ſemel ejuſdem mentio eſt, ut doctè oſtendit Valeſus in Notis Eusebianaſ ad illud Ediſtum, ubi & quod diſcrimen inter utrumque eſſet, explicat. Prius loco incerto, poſterius Mediolani, ut habet Eusebius eodem cap. 5. datum eſt. Prius anno 312. poſterius anno 313. emanatum. Poſt prius acceptum Maximinus Epistolam Sabino Præfecto Prætorii ſui ſcripſit, juſſitque ut adverſus Chriſtianaſ Religionis ſectatores nihil acerbè ſtatueretur. At ſecundum Ediſtum anno 313. datum ad Maximinum tranſmiſſum fuiſſe, Eusebius non dicit; imò ad eum miſſum illud non fuiſſe longè veroliſſimum, cum vix datum fuit, ut Maximinus pacem fregerit, Liciniumque aggreſſus fuerit. Quare error Baronii, Noriſique ex eo procedit, quod utrumque Ediſtum à Conſtantino & Licinio in Chriſtianorum favorem diverſis annis, & diverſis etiam locis (cum anno 312, Conſtantinus Mediolani non fuerit) datum, in unum confundant; ac deinde perperam inferant literas ad Sabinum non niſi anno 313. Scriptas, cum tamen certum ſit anno ſuperiori, & poſt primum Ediſtum, non verò poſt ſecundum, quod paulò ante mortem emiſit, datas fuiſſe. Ex quibus tandem omnibus Licinium, anno 315. qui tertius Aſiatici ejuſ Imperii erat, quoque Conſul proceſſit, Decennalia edidiſſe, unoque anno anticiſſe, inferre neceſſe eſt.

Eodem anno 315. Conſtantinus M. Conſulatum etiam edidit, ſed Decennalia non niſi anno 316. quo decimus Imperii ejuſ annus abſolutus eſt, celebravit, uti jam inſinuavimus, & oſtendit *l. 1. de longi temporis præſcriptione*, quæ tit. 13. libri 4. Codicis Theodoſiani legitur, quæque Romæ data eſt menſe Januario Sabino & Ruſino Conſ. anno nempe Chriſti 316. eſtque, ut obſervat Gothofredus, Indulgentiæ Decennaliſ ſpecies quædam. In ea dicit Conſtantinus: *Ex donatione Principum rem ad ſiſcum pertinentem uſque ad noſtra Decennalia ſecuri poſſideant.* Quare tunc nondum ea peracta erant. Sufpicabar ea in annum 317. dilata fuiſſe, non ſolum quia in eum Cæſarum creatio incidit; ſed etiam quia Eusebius in Oratione quam in Triennialibus ejuſ habuit cap. 3. id indicare videtur, poſtquam enim ſingulis Decennialium circulis. unum ex ſuis liberis ad Imperialiſ throni conſortium promoviffè dixit, ait: *πρωτον γὰρ τῶ πατρὸς & οὐδὲν*

XVII
Quo anno
Conſtanti-
nus Decen-
nalia edidit.

νυμα, καὶ πρῶτον τῆς βασιλικῆς αἰῶνι δεκάδι, τῆ βασιλικῆ κοινῆ
 ἀπὸ τῆς κλήρι αὐτῆρον δέπει τῆ δευτέρῃ δεκάδι, ἢ ἰσχυρῆ τῶ χρόνῳ. ἢ
 τρίτον ἀσάνας, ἰσὶ τῆ τρίτῃ τῆς κῆ χιῶρις ἰσχυρῆς δεκάδι. Id est, ut
 ait Valesius; primo enim natu maximum, qui paterno appellatur
 nomine, primo Imperii Decennio consortem regni renunciavit: eum de-
 inde qui secundus erat aetate, secundo Imperii decennio, tertium deinceps
 tertio ejus festivitatis quam nunc celebramus decennio. Habita ea ora-
 tio anno 335. annoque 333. Constans Cæsar dictus. Vicennalia anno
 325. Nicomediæ celebrata, annoque 323. Constantius Cæsar creatus,
 in secundo nempe decennio; sed si Constantinus anno 316. Decen-
 nalia edidit, Constantinus Junior qui anno 317. Cæsar nuncupatus
 est, non in priori decennio, sed in secundo, aut saltem tantum cir-
 ca primum decennium eam dignitatem obtinuit. Valesius in Notis
 dicit priora Eusebii verba benignè interpretanda esse, & καὶ πρῶτον
 πρῶτον δεκάδι, sumendum esse pro ἀμφὶ πρῶτον &c. id est, non pro in pri-
 ma decade, sed pro circa primam decadem. At cum Socrates cap. 2.
 hujus secundæ partis num. 20. citatus utatur præpositione καὶ quando
 dicit decimo quoque anno Principes Romanos Decennalia celebrasse,
 suspicabar in præfato Eusebii loco non aliud eandem significare,
 quam in, sicut apud Thucydidem lib. 2. καὶ πρῶτον νόσον, significat ἐν τῆ
 νόσῳ, in morbo, id est, tempore morbi; sic enim Constantinus eo
 anno Decennalia celebrasset, quo Constantinum filium Cæsarem re-
 nuntiavit, alios verò Cæsares dixisset circa secundum & tertium De-
 cennium; sed Eusebius in vita Constantini, quam post præfatam
 orationem composuit lib. 4. cap. 40. de eadem Cæsarium nuncupatione
 in tribus variis hujusmodi solemnibus facta loquens, se ipsum explica-
 re videtur, cum unam eandemque præpositionem semper usurpet, hoc
 modo, ἀμφὶ πρῶτον πατρὸς δεκατηρίδα, dein, ἀμφὶ πρῶτον κισσακτηρικῶν πα-
 τήρων, ac denique, ἀμφὶ πρῶτον τρίτῃ δεκάδι, id est, circa Decennalia
 patris circa Vicennalia, circa tertiam decadem; seu Tricennalia.
 Quare dubitandum non videtur quin anno 316. ea Constantinus M.
 ediderit. Scaliger quidem lib. 5. de Emendat. temp. eadem anno 317.
 consignavit, quia eo in errore erat, ut crederet Constantinum anno
 tantum 307. Imperium suscepisse. Erratum & à Baronio qui eadem
 in annum 315. conjecit, vota quoque quæ in iis solemnibus fiebant, ab iis
 quæ quolibet anno initio Januarii pro Imperatorum salute concipie-
 bantur, non distinxit. Extat etiamnum Romæ Arcus ipsis Constan-
 tini Decennialibus erectus cum Inscriptione quæ à Tristano tom. 3.
 Notisio dissertat. de Numism. Licinii cap. 2. aliisque refertur. In cu-
 jus sine hæc verba legantur VOTIS X. VOTIS XX. & rursus SIC.
 X.

X. SIC. XX. id est, *Sicne Decennalia, sic Vicennalia.* Prioribus enim Notis vota soluta, posterioribus verò vota nuncupata exprimuntur. Ait Norisius eadem vota Decennalia soluta, ac Vicennalia concepta priori ævo neutiquam iisdem nummis ob signata fuisse, cum in Antonini Pii & Marci Aurelii Numismatis legatur: VOTA SOL. DECENN. in aliis: VOTA SUSCEP. DECENN. II. præterè in aliorum Principum nummis legatur: VOT. X. in aliis VOT. XX. quæ observatio vera, sicut & illud quod subjungit, in usu nempe postea fuisse, ut in nummis inscriberentur vota Quinquennalia vel Decepnalia soluta, & Decennalia, vel Vicennalia suscepra, ut patet ex Nummo, qui apud Oconem extat, ita signato: FL. JUL. CONSTANTINUS P. F. AUG. Et in laurea: VOT. XV. MULT. XX.

Quo verò anno idem Constantinus Quindecennalia ediderit, an nempe 320. vel 321. adhuc incertum. Contendit quidem Norisius ea anno 321. quo Kalendis Martiis Crispus & Constantinus Cæsares Quinquennalia celebrarunt, ut testatur Nazarius in oratione quam ea occasione habuit, Constantinum quoque octavo Kalendas Augusti edidisse. Sed verba Nazarii quibus hoc probatum contendit, aliter interpretanda videntur. Idem Orator cap. 2. ait: *Fruimur quidem nos presentium maxima voluptate, sed lenocinatur his jam futuri ratio, & qua temporibus disparata sunt, animorū presumptione junguntur. Quindecimum annum maximus Princeps salutaris Imperii degit* (Constantinus nempe qui anno 320. VIII. Kalendas Augusti eum annum auspiciatus, erat,) *sed auguramur jam Vicennalia* (non quidem post quatuor menses suscipienda, uti explicat Norisius, sed Vicennalia anno 325. solvenda, quod sequentia ejusdem Oratoris verba indicant,) *& venturi fidem superiorum felicitate sentimus*, (id est ex felicitate quâ hoc decennio potiti sumus futuri decenni felicitatem auguramur. Quare Vicennalia eo in loco annum viciesimum significant, non verò ipsam Vicennalium festivitatem juxta dicta in Canone octavo horum solemnium:) *Quinquennalia beatissimorum Caesarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decennis jam vota properamus, & spes volucres constiterunt.* Fundatur præterea Norisius in nummo Crispi qui in collectione Patiniana extat, in quo legitur: CRISPUS N. C. COS. II. Cum epigraphe in postica parte: BEATA TRANQUILLITAS, & in Basi, seu Ara, VOTIS XX. Cum enim Vicennalia in nummo jungantur cum altero Crispi Consulatu anno 321. Gestu, existimat Norisius exprimi ibi Constantini Vicennalia vota, quæ eodem anno die 25. Julii ejusdem Constantini natali, is Imperator nuncupavit. At nihil aliud inde colligi debet, quàm in

XVII.

Quo anno Constantinus Quindecennalia ediderit.

nummis Crispi, & Constantini Junioris, Quindecennialium patris anno superiori actorum mentionem factam esse; rationem enim votorum Vicennialium nondum nuncupatorum habitam fuisse, aut ad ea Crispum respexisse, nullo modo videtur probabile, neque id unquam in hujusmodi solemnibus usitatum. Porro Numismata duo Crispi Quinquennialia exhibentia, quae apud Tristinum Tomo 3. pag. 566. extant, observatu digna sunt. Cernitur in priori idem Crispus diademate gerentis ornato cinctus, hastam & clypeum quasi pugnaturus tenens: in aversa parte signum militare cum duobus captivis in inferiori parte exprimitur, in eoque crux accuratè elaborata cum his litteris, hoc fere modo: VOT. † circum vero: VIRTUS EXERCIT. In posteriori numismate visitur etiam signum militare cum VOT. XX. ac duobus captivis prope illud assidentibus. Quare in his solemnibus aliqua mutatio facta, cum antea Decennialia vota cruce representata non fuissent, nec Vicennialia vota in Quinquennialibus memorata. Nam quoad utrumque captivum ac militare signum, in nummis in quibus hujusmodi festivitates distinctè notantur, videri, jam alibi observavi; sicuti & in iisdem, ad exercitus victorias, signa militaria, aliaque id genus respectum habitum fuisse. Notandus & hic Tristini error Tom. 3. pag. 597. ubi allato nummo Constantini Junioris Caesaris, in quo is visitur lauro coronatus, & Consulari tra-bea indutus, ac in cujus postica parte circum scribitur: BEATA TRANQUILLITAS, exprimiturque ara cum his verbis: VOTIS. XX. dicit hunc, post relatam de barbaris victoriam, Consulem cum patre renunciatum fuisse, & Vicennialia eo in nummo expressa celebrasse. Nam hæc merè nugæ; neque enim Constantinus Junior tra-beatus Vicennialia edidit. Quare idem nummus eodem anno, quo præfatus Crispi, cujus Collega in Consulatu fuit, percussus.

XVIII.
Incertum
quo anno
Porphyrius
Optavianus
Panegyricum
dixit.

Denique affert Notisius versus duos ex panegyri Porphyrii Optaviani eodem anno 321. ut ipse autumat, acrostico carmine exarata, in qua rubris characteribus scribitur: AUG. XX. CAESS. X. Ille enim tum Constantini Patris Vicennialia, tum filiorum Caesarum Decennialia, quod eodem anno concurrebant, eodem carmine celebravit. Hinc disertè canit:

*Sancte Pater, Rector superum VICENIA lata
AUGUSTO, ET DECIES crescens solemnia NATIS.*

At illum Panegyricum in Vicennialibus Nicomedianis potius dictum videntur hi versus indicare:

*Sæclis da Constantine serena
Tempora, summe pio tricennia suscipe voto.*

Prædix

Prius verò dixerat :

— *Tu magna ad gaudia ſante
Constantino fave , te tanto in carmine muſa ;
Et ſua deſcriptis pingis Vicennia moris.*

Cùm itaque dicat Poëta ſe deſcribere vota Conſtantini M. Vicennalia , Tricennaliaque nuncupet , videtur Panegyricus dictus anno 325. quo Crispus , cujus in eo Panegyrico mentio , adhuc vivebat ; ideo autem hujus & Conſtantini Junioris Decennaliorum meminit , quia in curſu erant. Nihil ergo obſtat , quin dicamus eundem Imperatorem anno 320. Quindecennalia celebraffe , cùm Conſul ſextum , Conſtantino Cæſare Collega , proceſſerit. Extat nummus Conſularis Conſtantini Magni apud Triſtanum Tomo 3. pag.289. in quo is ceratur cum ſola conſulari , ſceptro aquiligero in dextra, & corona radiata , qua caput cingitur , præfertque in cippo VOT. XX. Sed cùm idem Conſtantinus Conſul etiam fuerit anno 326. quo Vicennalia Romana edidit , incertum an nummus ille , in Quindecennalibus , quibus vota XX. ſicuti in Decennalibus nuncupabantur , an verò anno 326. quo Vicennalia vota ſoluta ſunt , & Tricennalia ſuſcepta cuſus fuerit. Ex eo autem manifeſtè deducitur per hæc præſertim tempora in his feſtivaribus celebrandis ad Conſulatum Imperatores reſpexiſſe , quod & conjici poteſt ex nummo Conſtantis Auguſti , de quo Duſſefaius Diſſert. de Numiſmat. inferioris ævi num. 3. in in quo ſedet ipſe Conſans celiſior , caput limbo , vel lumine circumdatus cum binis Conſulibus in Tribunali , in cujus baſi legitur hæc inſcriptio : VOT.V. Quare cum anno 333. nuncupatus fuerit Cæſar , ejus Quinquennalia in annum 337. vel 338. quibus Conſul non proceſſit , inciderunt. Sed cùm tunc in his ſolemnibus magna Conſularis ratio haberetur anni illius Conſules ordinarii in eo nummo expreſſi fuere.

Superest tantum ut aliquid dicamus de utriſque Conſtantini Magni Vicennalibus , tum Nicomedianis anno 325. ut Auctor Chronici Alexandrini aliique docent , tum Romanis anno 326. celebratis , quorum Idatius in Faſtis , & Eusebius in Chronico meminere. Plerique omnes hæc ultima priorum iterationem fuiſſe exiſtimarunt , licet nullo nec ante , nec poſt eundem Conſtantinum hujusmodi feſtivarum renovatarum veſtigium extet. Si enim ea Conſtantinus iteraffeſſet , id alicujus ex prædeceſſoribus exemplo præſtitiffeſſet , aut cùm tantum ipſe nominis fuerit , aliqui ex Imperatoribus Conſtantinopolitanis cum hac in re imitati fuiſſent ; quod cùm non contigiſſe certiffimum ſit : exiſtimandum Vicennalia Romana , aliam à Nicomediensibus originem

XIX.
*Rejicitur
communis
error de Vi-
cennalibus
Romanis Cæ-
ſarini.*

originem habere, deductâ nempe ab anno 307. quo idem Constantinus à Maximiano Herculio, cujus tunc filiam uxorem duxit, Augustus appellatus est. Neque refert quod ea, Romæ octavo Kalendas Augusti, ut Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani ostendit, celebravit; cùm uti diximus, dies, quo Imperatores, Cæsares vel Augusti nuncupati fuerant, iis solemnibus indiscriminatim dicatus esset. Aliæ difficultates circa peculiaria aliorum Imperatorum id genus festa in Consulatum Cæsareorum Rationario explicabuntur. Hic tantum sedulò observandum, quando scripsimus Consulatum ratione horum solemnium ab Imperatoribus susceptum fuisse, nos non ita intellexisse, ut semper eo anno, quo Consulatum ceperint, eas festivitates ediderint; cùm ut jam vidimus, Constantinus Magnus, qui anno 315. Consul processit, non nisi sequenti Decennalia peregerit.

CAPUT OCTAVUM.

Tertia & quarta Consulatum Cæsareorum regula explicantur.

I.
Cæsares &
Augusti
alios ejus
dem digni-
tatis viros
de more
Collegas as-
sumebant.

Quinquennialibus & id genus festis, quæ huc usque in obscuro jacuerant, quæque ideo secundam Consulatum Cæsareorum Regulam constituunt, quia quædam Imperii Epocha, initiumque fuere, declaratis, venio ad tertiam, quæ ex collegio Trabeæ cum aliis Cæsaribus aut Augustis desumitur. Quando enim plures uno eodemque tempore dignitate Cæsareâ, aut Augusteâ præditi erant, ii lubentiùs simul, quàm cum privatis Consularem dignitatem inibant. Vespasianus, qui dum Imperium rexit, octavo Consul ordinarius processit, Titum filium septies Collegam habere voluit, quem admodum Suetonius in Tito cap. 6. docet. Imò Domitianus alter Vespasiani filius, qui patre imperante, quinquies Consulatum suscepit, eo, Titoque majori natu filio, Imperiique Collega Consulibus ordinariis, illo honore exornari voluit. Ammianus lib. 16. Constantium Augustum Constantini Magni filium superbiz arguit, *quod nec in Trabea socium privatum adsciverit, ut fecere Principes consecrati*, licet decies Consul ordinarius fuerit; dedignabantur enim aliqui privatorum in Consulatu collegium, à quo tamen alii hac in re moderatiores non abhorrebant. Unde contigit ut à Consulatu Diocletiani

cletiani , Ariſtobulo Collegâ , anno 285. geſtô , ad quartum Imperatoris Juliani , quem Salluſtio Collegâ , anno 363. edidit , per ferè ſeculum integrum non niſi ter privati in ſocietatem Trabæ cum Auguſtus venerint. Nam anno 285. eundem Diocletianum Ariſtobulo Collegâ Conſulem ordinarium fuiſſe , certum indubitatumque eſt , licet Idatii in Faſtis verba aliquam difficultatem facere videantur. Eo enim anno hæc habet : *His Coſſ. occiſus eſt Carinus , qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat* , quæ ſic intelligenda ſunt , ut Carinus , qui à Diocletiano in aliquot Provincias retruſus fuerat Conſulem ſe ordinarium Ariſtobulo Collegâ designarit , eodemque tempore Diocletianus eundem Ariſtobulum , licet à Carino nominatum , & in hujus caſtris militantem Collegam ſibi adſciverit. Cùmque potiorẽ Imperii partem idem Diocletianus obtineret Conſul ordinarius cum eodem Ariſtobulo , non verò Carinus agnitus eſt , ut patet ex variis Codicis Juſtiniani reſcriptis , & ex Chronici Alexandrini Auctore . ubi poſt recitatam Diocletiani inaugurationem habet : *Kalendis Ianuariis Conſul proceſſit*. Sirmundus , qui eoſdem Idatii Faſtos primus publicavit , cùm capere non poſſet unum Ariſtobulum duorum Collegam in Conſulatu fuiſſe , Diocletiani nempe , & Carini , in editione aliqua verba pro arbitrio inſeruit : *His Coſſ. occiſus eſt Carinus* (& levatus eſt Diocletianus Imperator) *qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat*. Illum enim ea verba addidiſſe fidem facit Valeſius in Notis ad lib.23. Ammiani , ubi dicit ipſum ſe manuſcriptum vidiſſe , quo Sirmundus uſus fuit , in quo præfata verba deſunt. Sed licet tertium hunc Carini , qui jam bis eam dignitatem geſſerat , Conſulatum ex Idatii faſtis optimè aſſerat idem Valeſius ; Diocletianum tamen ſuffectum tantùm Conſulem eo anno fuiſſe perperam ſcribit , ut obſervat Noriſius Diſſert. de Numiſmat. Imp. Diocletiani & Maximiani cap.1. erratque etiam Labbeus in Chronico . qui anno 285. Carinum III. ex faſtis Idatii , deinde Diocletianum Auguſtum I.I. & Ariſtobulum Conſules exhibet.

Alter qui eo ſeculo privatum ſibi Collegam adſcivit , Maximianus Hercuſius fuit , qui anno 288. cum Januario Conſulatum ordinarium geſſit. Qua in re non tantùm idem Valeſius loco laudato , ſed & alii communiter poſt Onuphrium errarunt. Poſt Diocletianum enim , & Ariſtobulum Conſulum ordinariorum ſeries ex Faſtis Idatii ita digerenda , ut non tantùm ex nummis & Inſcriptionibus , ſed & ex aliis Faſtis Noriſius loco laudatô demonſtrat.

II.
Maximianus Hercuſius privatum ſibi Collegam adſcivit.

VERA CONSULUM SERIES.	DEPRAVATA CONSULUM SERIES.
--------------------------	-------------------------------

Anno Christi 286.

M. Junius Maximus I L.
Vettius Aquilinus.287. Diocletianus I L.
Maximianus Herculeus.288. Maximianus Herculeus II.
Januarius

Maximus

Aquilinus.

Diocletianus I L.

Maximianus I L.

Maximus I L.

Januarius.

Hanc depravatam Consulum seriem nobis exhibet Onuphrius lib. 2. Fastorum, qui cum hæc verba apud Ammianum lib. 23. legisset: *Isilianus jam ter Consul adscito in collegium Trabea Sallustio Prefecto per Gallias, quator ipse amplissimum inierat magistratum: & videbatur novum adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus memineras gestum, ut illud subsistere posset, Maximum II. & Januarium, Maximiani Herculi II. & Januarii loco reposuit, quem in errorem Calvisium in opere Chronologico, Petavium in Chronico, omnesque passim alios pertraxit; cum tamen adeo certa sint testimonia, quæ Norisius affert, ad Maximiani Herculi, Januario Collega, Consulatum adstruendum, ut dubitari non debeat, quin Ammianus aut memoriâ lapsus sit, aut corruptas tabulas secutus fuerit, aut quod probabilius, locus ille, sicut alia ejusdem Auctoris non pauca, depravatus sit. Et certè eam Onuphrii ordinationem vel solæ duæ priores Consulatum Cæsarum Regulæ convellunt. Cum enim anno 284. XII. Kalendas Decembres Cæsar nuncupatus fuerit, ejus Imperii Cæsarei Quinquennalia in annum 288. incidèbant; cum verò anno 286. Kalendis Aprilis levatus Augustus fuerit, anno sequenti de novorum Consulum more Consul processit, sicuti & anno, quo Quinquennalia edidit. Erravit enim Norisius, qui cap. ultimo Dissertat. de votis Decennialibus dicit colligi ex Panegyrico die Natali ejusdem Maximiani recitato, eum Quinquennalia anno quinto exacto, Decennaliaque decimo pariter Imperii anno completo celebrasse; cum, ut jam ostendimus, veteres pro Quinquennio, vel Decennio exacto sæpè Quinquennium & Decennium inchoatum tantum, imo & aliquando sexennium, vel undecimum Imperii annum intellexerint. Onuphrius supponit anno Christi 284. quo Diocletianus Imperium iniit, Maximianum Herculum Junio Maximo Collega Consulatum susceptum processisse, ideoque*

que anno 287. eundem Maximianum Conſulem I. I. fuiſſe, ac anno 288. loco ejuſdem Maximiani I. I. Januario Collega, Maximum II. eodem Januario Collega proponit, licet nihil afferat ad probandum Conſulatum illum ſuffectum Maximiani, aut quod oſtendat anno 287. ejuſdem Maximiani Conſulatum cum nota numerali prolatum fuiſſe, ac denique nulla auctoritate ſuſtus Maximum II. loco Maximiani II. anno 288. obrudat. Solus itaque Ammiani locus ei, & Sæctatoribus errandi cauſa fuit.

Circa Tyrannorum Collegas, illud obſervandum, eos non tantum ſe Conſules ordinarios deſignaffe; (ut liquet ex nummis Poſtumi, qui Galliarum Imperium Gallieni Auguſti tempore invaſerat, in quorum aliquibus Poſtumus dicitur COS.II. in aliis COS.III. in aliis COS. V. ut videre eſt apud Triſtanum, Occonem, & alios; ac ex iis quæ diximus de Eugenio, qui occiſo Valentiniano Juniori Imperium uſurparat) ſed & eodem nonnumquam Auguſtos, qui Imperio potiebantur, Collegas ſibi in Conſulatu adſciſiſſe. Quod patet ex Inſcriptione Trevirenſi, quam refert Scaliger lib. 5. de Emendat. tempor. pag. 516. quæ his verbis notatur, *Ἐπιφανὲς Οὐαῶν τῆ Η, ἔξ Κωνſταντίνου τὸ Α.* Id eſt, *Honorio VIII. & Conſtantino primum Coſſ.* Eundem Scaligerum valde hic Conſtantiſini Conſulatus torſit, qui non adverterat Tyrannos cum Imperium alicubi per vim occupaffent, Conſules duos, aut eorum ſaltem alterum legiſſe, quorum nominibus facti ſignabantur iis in regionibus in quibus dominabantur. Conſtantineſinus, ut notat Proſper in Chronico, anno 407. Imperium in Britannia arripuit, indeque in Galliam tranſiit. Zoſimus lib. 5. ſcribit miſiſſe eum legatos ad Honorium, qui promitterent ſe partes ejuſſideliter tuiturum, quod Calviſius & Petavius in Chronico in annum 409. conferunt. Sed ejuſdem Conſtantiſini Conſulatus Honorio VIII. Collega eo anno geſtus oſtendit eam legationem anno 408. miſſam fuiſſe; eò magis quæ idem Zoſimus addat Honorium regiam Purpuram illi miſiſſe: quæ in cauſa fuit, cur in annum ſequentem ſe ipſum Conſtantineſinus eodem Honorio Collega, ſaltem in Provinciis ſibi ſubjectis Conſulem deſignarit. Et hæc de tertia Conſulatum Cæſareorum Regula, quam in eorundem Conſulatum Ratione vario variis exemplis comprobabimus.

Petitur quarta Regula ab expeditionibus militariſibus; non raro enim Imperatores cum ea ſuſciperent, vel poſtquam de hoſtibus victores evaſiſſent, Conſulatum ordinarium aſſumebant. Primura oſtendit locus Suetonii in Nerone cap. 42. qui poſtquam retulit Vindictam Imperium in Gallia arripuiſſe, de eodem Nerone loquens, ait:

Y 2 *Credens*

III.
De Collegis Tyrannorum in Conſulatu.

IV.
Expeditiones militares quarta Conſulatum Cæſareorum Regula.

Credens expeditionem necessariam, Consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus inivit Consulatum, quasi fatale esset non posse Gallias debellari nisi à Consule. Alexander Severus adeo in Consulatibus iniendis moderatus, ut intra tredecim annorum spatium quibus imperavit, duos tantum gesserit, ex iis alterum Quinquennialibus, alterum bello Persico destinavit. Concessus etiam aliquando idem honor. Cæsaribus & Augustis ob victorias relatas. Tacitus lib. 13. Annalium ubi agit de bello quod inter Parthos & Romanos propter Armeniam gerebatur, postquam Artaxata à Corbulone, cui bellum illud à Nerone commissum fuerat, capta combustaque narravit, ait: *Ob hac consulatus Imperator Nero, & Senatus-consulto supplicationes habitæ, frænaque, & Arcus, & continui Consulatus principi.* Quibus ex verbis manifeste claret tulisse consuetudinem, ut post victorias de hostibus relatas, Consulatus non tantum ducibus, quod multis exemplis ostendi posset, sed & ipsis Imperatoribus deferretur. Factum illud decretum Nerone III. & Valerio Messala Coss. anno nempe Christi 58. eoque, ut existimo, exeunte; nam anno duntaxat ejusdem Eræ sexagesimo idem Nero quartum Consulatum Cornelio Lentulo Collegâ inivit; nisi de industria is annus ab eo delectus fuerit, quod eò Quinquennale certamen instituturus esset; propter quam Institutionem Consulatum capere potuit, Augusti exemplo, qui in sexto suo Consulatu ludos propter Aethiæ victricem quinto quoque anno exhibendos instituit. Eutropius lib. 9. postquam pulsum Narsecum, Persæque à Galerio Maximiano Cæsare devictos narravit, subjungit: *Quare à Diocletiano in Mesopotamia tum morante, evans regressus ingenti honore susceptus est. Varia doinceps & simul & utriusque bella gesserunt &c.* Relata ea de Persis victoria anno 297. quæ Auctor Chronici Alexandrini scribit: *Persæ maximo bello à Constantio & Maximiano, (legendum Maximiano) Iovio Cæsaribus devicti sunt.* Inter honores utriusque Cæsari factos Consulatus fuit; anno enim trecentesimo Constantius Chlorus III. & Galerius Maximianus III. Consules ordinarii processere. Cujus rei multa exempla in Rationario Consulatum Cæsareorum afferemus.

V.
*Causa cur
 Imperatores
 ob expedi-
 tiones belli-
 cas Consulatu-
 tum sumps-
 erint.*

Instituti fuerant aliàs Consules tanquam annui Imperatores, qui exercitus ducerent, quo tamen munere Augusti, post institutum Imperium, eisdem exemere, in reliquis dignitate conservatâ, sed incrementi redditâ; &c. cum ipsi Consulari dignitati gratificari vellem Imperatores, sibi metipsis eam contulerunt, Consulatu annexo Imperio, ut una eademque oporâ civitas, qua hoc insignis decus reperit, honoraretur, inquit

inquit Libanius in Panegyrico Juliani Imperatoris. Quare non mirum si propter expeditiones bellicas Imperatores Consulatum sumerent, cum eversa republica, eorum imago quaedam remanserit, quae ea florente viguerant. Quae quidem hujus quartae Regulae ratio esse videtur.

CAPUT NONUM.

Triumpho quinta Consulatum Caesarum Regula.

Sicut Triumphalia ornamenta in Consularia transferunt; sic vice versa Triumphantes Imperatores, quod haec pompa illustrior foret; Consulatu ordinario decorari voluerunt. Jam florente Imperio Augusti aliqui utrumque inter se honorem copulaverant, uti Vespasianus, qui in tertio Consulatu suo de Judaea expugnata, & Trajanus de Dacis in quinto triumpharunt: qui mos cum a successoribus neglectus fuisset; in usum tandem ab Alexandro Severo, qui primus ex Imperatoribus Romanis bellum Persis intulit, triumphumque de iis egit, revocatus fuit. Quod licet fortuito factum, successores tamen ut plurimum sequaces habuit, ut ostendere juvat, quod Consulatum ab Augusti successorum rationes praesto esse possint. Alexandrum itaque in tertio suo Consulatu, quem Dione Collega anno 229. gessit, triumphasse de Persis non difficulter intelligitur, postquam Herodiani, qui ejus vitam scripsit, locum corruptum emendavero, qui huc usque omnes in errorem induxit. Is lib.6. cap.2. ejusdem belli Persici narrationem his verbis exorditur: *ἔσθι μὲν ἔτι τριώδεκα ἔτη, ὅσον ἐστὶν ἀπὸ τῆς πρὶν βασιλείαν ἀμειψίας διδύμοιο τῆς ἢ τριώδεκα καὶ ἑπτὰ ἐτῶν ἀπορίας ἐνομιόθεν γραμματικῶν* &c. Id est, igitur cum ad hunc modum tredecim annos (quod quidem ad se attineret) sine querela cujusque, Imperium gubernasset, ecce tibi haud opinato littera e Syria, Mesopotamiaque reddita a ducibus &c. ubi loco *τριώδεκα*, id est, tredecim, legendum *ἑπτὰ*, id est, septem & loco, *τριώδεκα καὶ ἑπτὰ ἐτῶν*, id est, anno decimo quarto, quae verba Interpres omisit, legendum *ἑβδόμῳ ἐτῶν*, id est, anno septimo, vel potius existimandum illa addititia esse, ideoque jure merito ab Interprete praetermissa quae emendatio ex ipsomet Herodiano certa redditur, qui cap.9. ejusdem libri quatuordecim tantum annos Imperii Alexandro tribuit, tam in morte ejus, quam in tempore ante bellum Persicum recensendis, anno

I.
Bellum Persicum anno septimo Alexandri Severi regnum,

scilicet inchoato pro completo numerato. Tum cap. 6. ait: *triennio mox aut quadriennio Barbari nequaquam arma resumpserunt.* Dein cap. sequenti bellum Germanicum ab Alexandro anno ante mortem suam inchoatum narrare incipit. Ex quibus claret neutiquam eum scripsisse Alexandrum postquam tredecim annos imperasset, bellum in Persas movisse; nam præter quam quod hoc omninò falsum, pueriliter sibi ipsi contradiceret, & Alexandro annos octodecim Imperii, aut circiter attribueret, licet disertè scribat eum annos quatuordecim imperasse, nullusque Historicus plures ei assignaverit, aut assignare potuerit. Cujus loci depravationem cum non advertissent Onuphrius in Fastis, Baronius in Annal. Petavius, & Calvisius in suis Chronicis, Casaubonus in Notis ad Lampridium, alique viri docti, ex Herodiani sententia, ut putabant, bellum Persicum in annum duodecimum, aut decimum tertium Alexandri distulerunt, quasi nullum intervallum inter bellum illud & Germanicum intercessisset, contra expressa Auctoris, quem se profitentur sequi, verba.

II.
Consulatus
ab Alexan-
dro ob bel-
lum Persi-
cum suscep-
tus.

Ex eo itaque Herodiani loco sic emendato colligitur bellum Persicum anno septimo Alexandri, Christi 228. inchoatum esse; idque circa Astatem, uti ex eodem Herodiano cap. 5. colligitur, ubi habet, *Astatem tolerabilius iter fecisse, dum exercitus ejus per Armeniam contenderet, eoque anno sequenti, quò Consul III. cum Dione II. processit, confecto, Triumphum Persicum egisse, exeunte Septembri, ut Lampridius in Alexandro cap. 56. ex actis publicis observavit, licet annum non expresserit. Neque tardius Alexandrum Triumphasse ex eo deducitur, quòd post eundem Triumphum, tribus aut quatuor annis, Antiochiæ commoratus fuerit, ubi hilarior jam & liberior laxatis bellorum curis, urbis ejus deliciis indulgebat, ut Herodianus cap. 6. scribit. Ab eo otio illum bellum Germanicum excitavit; quod ideo sub ejusdem Imperii sine contigisse dicendum. Cum itaque initio anni 228. se ad bellum Persicum accingeret Consulem se in annum sequentem designavit. Consulatum enim designationem adni initio de more factam fuisse jam supra ostendimus. In Orientem eodem anno profectus est. Extat nummus ejusdem Imperatoris apud Occonem, in quo is dicitur: P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. S. C. in ejus aversâ parte visitur Imperator eques, cum hasta aut pilo, præeunte Victoriâ, circum vero scriptum: PROPECTIO AUG. S. C. Qui hac occasione cufus est, præfatamque correctionem magis confirmat. Postquam in Orientem idem Imperator pervenit in Armenia. Aestate contra Persas pugnavit, confectoque bello Antiochiam copias, montium atque Hyemis asperitate attritas reduxit, ut Herodianus.*

dianus, & Zonaras testes sunt. Neuter quidem de ejus triumpho loquitur, sed illum anno Christi 229. actum, jam ex Lampridio diximus, qui cum cap. 59. auctor sit Alexandrum Romam ad bellum Germanicum profectum, inde colligere est, ipsum non multum post triumphum Antiochiam rediisse, ac illinc post aliquot annorum commorationem ingruente bello Germanico, Romam rursus venisse; sicque Herodianus & Lampridius inter se contrarii non sunt.

Neque ex Dione colligitur, ut putavit Norisius Dissert. de Numismate Imp. Diocletiani, & Maximiani cap. 6. Alexandrum anno Imperii octavo, nondum expeditionem Persicam suscepisse, ac per ejus Consulatum degisse Romam, & ad Campaniam delicias divertisse. Dio enim in Alexandro dixit se gesta anteriorum Imperatorum accuratè conscripisse, Alexandri verò sibi non licuisse pari diligentiam persequi, quod Romam non esset diu commoratus, quodque in morbum incidisset: *Dicam tamen in summa ea, quae usque ad Consulatum meum gesta sunt, eò nempe exclusò, cum ne verbum quidem de rebus illo anno gestis habeat.* Tum narrat initium belli Persici, aitque, Artaxersem Romanis formidolosum fuisse, quod maximis copiis, non modo Mesopotamiam invaderet, sed etiam Syriam, & quod Romani ita affecti essent milites, ut pars ad eum transiret, pars nobis opem ferre nollet. Ab iis etiam invasionibus Herodianus cap. 4. Profectionis Alexandri in Orientem causam deduxit. Bellum itaque Persicum ante Alexandri, & Dionis Consulatum susceptum, subjungit Dio: Prætorianos se criminatos fuisse, sed Alexandrum horum rationem habuisse nullam, at contra se magis honestasse, secumque unam Consulem designasse. Ex quibus manifestum sit jam ante annum 228, Persas per Mesopotamiam excurrisse; non enim nisi post illud tempus Dionem criminati sunt Prætoriani, neque hic tardius designatus fuit Consul, quam initio ejusdem anni 228. Ea designatione facta, ne malè à Prætorianis Dio haberetur: *jussit Alexander (ita Dio de se ipso loquens,) ut alicubi extra Urbem commoraretur in Italia, tempore hujus Consulatus mei.* Quibus verbis patet eum jam Consulem hæc scripisse, postquam domum redierat: Addit, quod cum fecissem Romam veni, ubi de eo tempore intelligendus est, quo Consul tantum designatus erat, non verò quo Consulatum gerebat, ut perperam arbitratur Norisius, neque enim id tutum, neque decorum fuisset. Tum narrat quæ postea gesta sunt, *Deinde profectus sum, cum ipso in Campaniam, versatusque cum eo per aliquot dies, visusque à militibus, cum magna securitate domum redii.* Mora itaque Alexandri in Campania pertinet ad initium anni Christi 228. non autem ad sequentem, ut interpreta-

III.
Ex Dione
non deducitur bellum
Persicum
post Alexan-
dri Consulatum
gestum
esse.

tur idem Norisius. Nec mirum quod Dio nullam contra Persas susceptam ab Alexandro expeditionem recitet, quia ante hujus in Orientem profectioem, jam domum redierat, ac fortè etiam quia, ut docet Herodianus lib. 6. cap. 6. parùm hujus belli initia fausta fuère: quæ causæ esse potuere cur de discessu Alexandri, & adversis ejus casibus ex industria siluerit; si tamen ea sciverit, cum ipsemet asserat, postquam domum rediit, ea quæ sequuta sunt, non potuisse *pariter cum iis, quæ præcesserunt, intelligere.* Unde, ut id obiter dicam, injuriâ culpatur Herodianus, quod oderit Alexandrum, cum ex optimi Historici officio, ejus incommoda dissimulare non debuerit. Triumphus itaque Alexandri anno 229. cum Trabea Consulari actus.

IV.
Discrimen
inter triumphum
Persicum, aliis-
quo.

Carolus Patinus, Erizzus, & Angelonus rectè scripsere Alexandrum in suo tertio Consulatu de Persis triumphasse, sed nummi, quibus ad illud probandum utuntur, id minimè ostendunt. In iis enim quadrigæ equorum exprimuntur cum epigraphe in antica parte: IMP. SEV. ALEXANDER AUG. & in postica: P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. Quippe hæc, ut Norisius doctissimè observavit, non Triumphum Persicum, sed alias Alexandri victorias, quas per Legatos obtinuit, exprimunt. Ille enim cum Elephantorum quadrigis peragebatur, alii verò cum equis albis siebant, cujus rei plura veterum adduci possent loca, sed sufficere hos Claudiani versus ex Panegyri de sexto Consulatu Honorii Augusti num. 105. afferre:

*Quin & Clitumni sacras victoribus undas,
Candida, qua Latis præbent armenta triumphis
Visere cura fuit.*

Sed in Triumpho de Persis Imperatores Romanos quadrigis Elephantorum usos, tam Alexandri Severi, quam Gordiani exemplis ostendit idem Norisius. Lampridius enim in Alexandro cap. 56. orationem, quam is in Senatu habuit paulò antequam triumpharet, refert, cujus hoc initium est: *Persas, Patres conscripti, vicinus. Longâ eloquentiâ opus non est: tantum scire debetis, qua illorum arma fuerint, qui apparatus. Iam primum Elephanti septingenti: iidemque turris cum sagittariis, & onere sagittarum. Ex his trecentos cepimus: ducenti interfecti jacem: decem & octo perduximus &c.* Porro eundem Alexandrum primum de Persis triumphum quadrigis Elephantorum egisse testatur laudatus Lampridius capite sequenti: *dimisso Senatu Capitolium ascendis &c. Post hoc cum ingenti gloria, & comitante Senatu pedes Palatium conscendis, cum retrò currus triumphalis à quatuor Elephantis traheretur.* Capti enim Elephantii Senatus-con-

fulcro

ſulto curru juncti ſunt, ut victoriæ pompa illuſtrior foret. Hinc Quadrigæ elephantorum Perſici triumphi propriæ evasere, quod iisdem prior de Perſis triumphus Romæ ab Alexandro peractus fuiſſet. Gordianus non multo poſt, Attico & Prætextato Coſſ. anno nempe 242. ſecundum in Perſas bellum geſſit, inſignemque de iſis victoriam reportavit, ut docet Capitolinus in Gordiano cap.27. iſ etiam elephantos plurimos cepit, ac duodecim Romam miſit, quos poſtea Philippus ludis ſecularibus conſecit. Delatis autem Romam Gordiani Laureatis, eiſque in Senatu lectis, *quadriga elephantorum*, inquit Capitolinus, *Gordiano decreta ſunt, utpote qui Perſas viciffit, triumpho Perſico triumpharet*, nempe alterum de Perſis triumphum ageret curru elephantorum veſtus. Sed eam felicitatem conſecutus non eſt, à Philippo enim præfecto Prætorio, qui ei in imperio ſucceſſit apud Cteſiphontem, accenſis in ſeditionem militibus, occiſus eſt. Non itaque præfati nummi, in quibus equorum quadrigæ expreſſæ, Perſicum Alexandri triumphum reſpiciunt.

Victorias propter quas eidem decretæ Lampridius in Alexandro cap.58. poſtquam de triumpho Perſico locutus eſt, perſtringit: *æta ſunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celſum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus, & in Armenia per Iunium Palmatum, atque ex omnibus locis ei Tabella laureata ſunt delata, quibus in Senatu & apud populum lectis, omnibus nominibus eſt adornatus.* Quid clarius dici potuit? ſi enim non niſi poſt triumphum actum iſ honor, ut ex nummis, Lampridioque deducitur, Alexandro delatus eſt, noſtra de Perſici triumpho anno conjectura, & Herodiani loci emendatiõ certa videtur. In præfatis nummis Tribunitia Potestas VIII. Alexandri memoratur, quæ cum inchoata fuerit die ſexta Martii anni Chriſti 229. eademque die anno ſequenti abſoluta, & Alexander die ſeptimo Kalendas Octobres, ut teſtis eſt Lampridius cap.56. triumphavit, quadrigæ illæ triumphales non niſi ipſo ſine anni 229. aut initio ſequentis decretæ ſunt, omnibusque tunc nominibus Alexander adornatus.

Ex Gallieni triumpho lucem accipit annus, quo Alexander triumphavit, manifeſtumque redditur, triumphum per hæc tempora cum Trabea Conſulari actum. Victi enim ab Alexandro Perſæ, dein iterum à Gordiano proſtigati octodecim annos pacem ſervarunt, donec viribus reparatis; Valeriano impetante tertium Romanis bellum intulere, ac inſigni victoriâ acceptas ab Alexandro & Gordiano clades compenſarunt, capto Imperatore, ac Legionibus cæſis, non quidem anno ejuſdem Valeriani ſexto, ut perperam habet Pollio in

▼
Quadriga triumphales Alexandri decreta.

VI.
Gallienorum Trabeam Conſulari de Perſis triumphat.

Salonino Gallieno capite ultimo , sed anno ejusdem Imperii septimo ut ijam demonstravimus tam ex nummis Græcis ejusdem Imperatoris apud Goltzium , in quorum altero legitur : L. Z. id est , anno septimo , quàm Latinis præferentibus TR. P. VII. At ne universam Asiam sub jugum mitterent , Odenatus Rex Palmyrenorum effecit. Is enim Persis in Valeriani vindictam bellum indixit , captosque eorum Satrapas ad Gallienum misit , qui cum Romam deducti essent , vincente Odenato , triumphavit Gallienus , inquit Pollio in duobus Gallienis cap. 10. qui disertè tradit hunc triumphum actum Gallieno & Saturnino Coss. anno nempe Christi 264. Cur verd Gallienus Trabeatus de Persis triumphare voluit , nisi quia jam ei in simili triumpho Alexander præluxerat ? Primus enim , quem post hunc , triumphum egisse legimus , Gallienus fuit.

VII.
Describitur
triumphus
Aureliani.

Tertius post Alexandrum Aurelianus triumphavit ; non quidem de Persis cum quibus pacem coluit , & à quorum Rege aureo etiam curru , quo in triumpho usus est , in signum amicitie donatus fuit , teste Vopiscus in ejus vita cap. 33. Sed de Oriente & Occidente , ut inquit idem Vopiscus , qui cap. 33. & 34. ejus triumphum describit : Fuit inquit , speciosissimus. Currus regii tres fuerunt : in his unus Odenati , argento auro & gemmis operosus , atque distinctus : alter quem Rex Persarum Aureliano dono dedit , ipse quoque pari opere fabricatus : tertius quem sibi Zenobia composuerat sperans se urbem Romanam cum eo visuram , quod illam non fefellit. Nam cum eo Urbem ingressa est victa & triumphata. Fuit alius currus quatuor cervis junctus , qui fuisse dicitur Regis Gothorum , quo ut multi memoria tradiderunt , Capitolium Aurelianus invehit , ut illic caderet cervos , quos cum eodem curru captos vovisse Iovi optimo Maximo ferebatur. Præcesserunt Elephanti viginti , fera mansueta Libica , Palaestina , diversa ducenta , quas statim Aurelianus privatis donavit , ne fiscum annonis gravaret : Tigridos quatuor : Camelopardali Alces , cetera talia per ordinem ducta : Gladiatorum paria octingenta : Præter captivos gentium barbararum Blemyes , Axomita , Arabes , Eudamones , Indi , Bactriani , Hiberi , Saraceni , Persæ cum suis quique muneribus : Gothi , Alani , Roxolani , Sarmata , Franci , Sueti , Vandali , Germani , religatis manibus captivi præcesserunt : inter hos etiam Palmyreni , qui superfuertant Principes civitatis , & Aegyptii ob rebellionem. Ductæ sunt & decem mulieres quas virili habitu pugnantem inter Gothos ceperat , cum multa essent interempta , quas de Amazonum genere titulus indicabat. Prælati sunt tituli gentium nomina continentem. Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea , tunica Galbina , braccis Gallicis ornatus , adjuncto sibi filio , quem Imperatorem

Imperatorem in Gallia nuncupaverat. Incedebat etiam Zenobia ornata gemmis ac catenis aureis, quas alii ſuſtentabant, præſerebantur Corona omnium civitatum aurea titulis eminentibus prædita. Iam populus ipſe Romanus, jam vexilla Collegiorum atque Caſtrorum, & Cataſtractarii milites, & opes regia, & omnis exercitus & Senatus (æſi aliquantulo triſtior, quod Senatores triumphari videbat) multum pompa addiderant.

Integrum Vopifci de Aureliani triumpho locum præter morem exſcripti, ut eruditus lector judicet, an Joannes Jacobus Chiffletius, vir ſumma eruditione præditus, conjecturâ ſuâ benè auguratus fuerit, Arcum illum, qui Veſontione ad Cælii montis radices, portam nigram, vulgò dictum, viſitur cujus expreſſam; typis figuram adducit, imaginem fuiſſe triumpho Aureliani Romæ acti, quæ à Veſontinis Aureliano ex Italia redeunti poſita fuerit, ut grati animi & benè affectæ in eum civitatis præberent indicium. Ait itaque in ſua Veſontione parte prima cap. 40. & ſequentibus, eum exhibere equos, quibus fugientem Zenobiam interceptit Aurelianus, eandem cervorum pedibus ſubjacentem, quibus idem Imperator Capitolium ingreſſus eſt, & alia in Arcûs parte ornata gemmis, & catenis aureis, quas, qui utrimque comitabantur, ſuſtentabant, Herenniannm & Timolaum, filios ex Odenato ſuſceptos, manu ſecum victos ducentem. Tetricus in tunica Galbina, videlicet in ludibrium, ſeminudus ducitur ab armato milite, vincis poſt tergum manibus cum filio quem Cæſarem curaverat ab exercitu ſuo ſalutari. Duæ muliebri habitu Matronæ in luctu vel civitates duas Palmyram & Tyanam dirutas, vel duas ex captis ſub habitu virili Amazonibus in Arcu referunt, ſic enim in Imperatorum numimis captæ provinciæ lugentes conſpiciuntur. Victor in Arcu ſummo trabeatus conſpicitur Imperator. Alatæ duæ Victoriæ, ſcilicet Orientis & Occidentis, quæ palmas tollunt, ſertum lemnifcatum, lauro, quercu, floribus, fructibusque contextum Victori ſuperponunt. Viſitur utrimque Apollo ſub Herculis nudi figura; in Herculis enim habitu Sol, vel Apollo pingebatur apud Ægyptios, & in Inſcriptione quæ apud Gruterum extat, Hercules dicitur Aureliani conſors. In eodem Arcu catenâ vinciam captivorum in ſerpentes deſinentium turbam Aurelianus tenet, quia, ut ex Vopifco & Zoſimo colligitur, fuit hic Imperator Solis cultui additiſſimus, Soli autem & Apollini dicatus erat ſerpens, qui & Inſigne Aſiæ erat. Unde ob præclara in Thracia & Græcia geſta, victamque Aſiam ſerpentes in Arcu Aureliani frequentes viſuntur. Sub fornice apparent hominum exigua ſimulachra, quæ effigies ſunt referentium

VIII.
Exiſtimat
Chiffletius
Arcum Veſontianum ſem
triumphi
Aureliani
repreſentationem eſſe.

rentium coronas, vexilla, titulos civitatum, cæteræque pompæ celebrioris fercula. Mitto alia, quæ in eodem Arcu cernuntur, quia omnibus triumphis communia, de quibus videndus idem Chifletius, qui præfata multâ eruditione illustrat, quique ostendere conatur nihil in Arcu Vefontipensi superesse, quod Aureliano ejusque præclaris facinoribus non conveniat; quod quidem verum est. At si Arcus is triumphalis Romani simulachrum fuit, non tam in eo Aureliani gesta ac virtutes exprimendæ erant, quàm quæ in Romano, tanquam ex Archetypo majori saltem ex parte figuranda. Quod an factum fuerit, rei Antiquariæ perito integrum judicium relinquo. Illud, quod tamen non advertit Chifletius, ad Aureliani triumphum facit, quod in eo Arcu Trabeâ indutus conspiciatur Imperator, ut enim in Chronologia Aurelianea ostendemus, triumphus Aureliani anno 274. quo is Consulatum secundum ordinarium gessit, actus.

IX.
Triumphus
Constantii
& Belisarii
in Consulatu
anno.

In Consulatum Cæsareorum Rationario de aliis triumphis mentio fiet. Sed de Constantii & Belisarii triumphis, de quibus major difficultas, hîc agendum; Baronius enim in Annalibus, & Petavius in Chronico ejusdem Constantii Augusti triumphum in annum 356. conferunt. Imò hic verum triumphum fuisse negare videtur, dum scribit: *Constantius Romam tertio Kalendas Maias prope triumphans ingreditur.* Qui & anno sequenti alterum Constantii Romam ad celebranda septima Quinquennalia ingressum memorat. Sed anno tantum 357. Constantinum novies Consulem & septima Quinquennalia, & verum triumphum edidisse indubitatum esse debet; eò enim hæc habet Idacius in Fastis: *Introivit Constantius Romam quarto Kalendas Maias, & edidit XXXV.* Ammianus verò de eodem Constantii Romam ingressu lib. 16. loquens, ait: *Tricesimo postquam ingressus est die IV. Kalendas Junias ab Urbe profectus est.* Quibus ex locis inter se collatis manifestè deducitur Idacium, & Ammianum non de duobus, ut perperam arbitratur Petavius, sed de uno eodemque ingressu loqui, ac septimæ Constantii Quinquennalia cum ejus triumpho, de quo disertè loquitur idem Ammianus, concurrisse; ut enim eruditè Valesius in Notis ad lib. 16. Ammiani observavit, pompa, ludique Circenses, quos hic Auctor à Constantio exhibitos populo Romano esse dicit, ad hæc septima Quinquennalia referuntur. Imò idem Valesius ex Ammiano Colligit, Constantium ante hunc adventum, quo ludos illos edidit, Romæ non fuisse nisi fortè puerum, & certum est Imperatores sæpe triumphos cum Quinquennalibus & id genus festis conjunxisse, ut in Fastis observabimus. Denique cum verè triumphasse, non tantum ex Ammiano, sed & ex Sozomèno

zomeno lib.4. cap.11. & Nicephoro lib.9. cap.33. manifeſtè liquet. Quoad Belifarium, quem ultimum omnium triumphaffe dicit Onuphrius lib.5. Faſtorum, anno Chriſti 534. in quarto Juſtiniani Conſulatu, de Vandalis ſplendidum triumphum egit, ut videre eſt apud Procopium libro ſecundo Hiſtoriz Vandalicæ, qui eo narrato addit: *Non multo poſt Belifario, quod ei ex veteri more, ad triumphi ſpeciem decras, acceſſit. Conſul enim factus, captivorum portatus humeris, curruque impoſitus, inde miſſilia ſparſit in vulgus de Vandalorum ſpoliis. Plebs argentea vaſa, Zonas aureas, multaue regis luxus inſtrumenta rapiens latata eſt, reddito per Belifarium antiqui conſulatus ſpectaculo.* Hanc quintam Conſulatum Cæſareorum Regulam ita diſertè à Procopio memoratam, non niſi poſt abſolutum opus, in eodem Auctore obſervavi, gaviſuſque ſum ſcriptorem, qui dictis fidem adſtrueret, inveniſſe. Porro in hiſtoriis Byzantinis, alios poſt Belifarium triumphaffe legimus; ac præterea Joannem Zeniſcæm, & Joannem Connemum Imperatores Orientales triumphaverunt more Beatæ Mariæ Virginis imaginem, poſt egregias de hoſtibus victorias reportatas, ſolemni per Urbem Conſtantinopolitanam pompâ devexiſſe, ut legere eſt apud Baronium annis 971. n. & 1123. num.

C A P U T D E C I M U M.

Sexta, ultimaque Conſulatum Cæſareorum Regula explicatur.

O bſervavi etiam ſumptum ab Imperatoribus, tum Ethnicis, tum Christianis, Conſulatum, iis annis in quo res majori pompa fieri ſolite incidebant. Verum quidem eſt, eas ut plurimum cum Quinquennialibus & id genus feſtis conjunctas fuiſſe; ſed quia id ſemper fieri non poterat, Imperatores iis annis, quibus eæ exhiberi debebant, Trabeam ſumebant. Inter hujusmodi, res dedicatio Templorum ab Auguſtis ædificatorum, Ludique ſeculares, quæ duo cum exquisito apparatu peragi mos erat, numerari debent. Sic anno Chriſti 75. *Veſpaſiano ſextum, & Tito quartum Conſulibus, templum Pa-* I.
Templorum
dedicatio,
Ludi ſeculares, &
alia id genus cū Tra-
bea Conſu-
lari fieri
ſolita.
ciſ dedicatum eſt, & Coloſſus ſacrâ viâ collocatus, quem ferunt fuiſſe altum pedes centum, inquit Dio lib. 66. Vides ut annis quibus dedicabantur templa, Imperator Conſul procederet, & Coloſſos, Obeliſcos-

& id genus alia erigeret, quod & in Quinquennialibus & id genus festis etiam solebat, ut in fastis digerendis ostendemus. Sed quia in Ludis secularibus aliqua occurrunt, quæ explicatione indigent, de posterioribus hîc agemus, cum priores ad rem præsentem non faciant. licet porro cum quinti celebrati sunt, nondum mos invaluisset, ut cum ea dignitate ederentur, ob eorum tamen cum subsequenti connexionem ab iis exordium ducemus.

PI.
Claudius
Sextos Ludos
seculares
Trabeatus
celebrat.

Quintos Ludos C. Furnio, C. Innio Silano Coss. anno (nempe Romæ conditæ) 737. Caesar Augustus & Agrippa fecerunt, inquit Censorinus lib. de die natali cap. 17. concurrat is annus Urbis Varronianus cum anno Juliano vicesimo nono; qua in re observavit Augustus numerum seculi unius, ita ut post annos centum & decem Ludi illi editi sint. Sextos autem fecit Tiberius Claudius Caesar III. & L. Visellio III. Coss. anno 1000. Inquit idem Censorinus: ex cuius verbis patet, Claudium ultimorum ludorum sub Augusto editorum rationem non habuisse, sed anni tantum Urbis centenarii; cum post sexaginta solum tres annos, sextos Ludos seculares celebravit: quod factum, ut ex subsequenti Imperatoribus in iisdem Ludis edendis alii Claudium, alii Augustum imitati sint, seu alii post centum & decem annos, alii ipsis Urbis centenariis eisdem Ludos exhibuerint. Sed quod Consulari munere fungens eos Ludos ediderit, omnes præter Severum, sequaces habuit. Hoc quidem à nullo, neque ex veteribus, neque ex recentioribus animadversum, sed ita tamen se habuisse, in legendis Fastis à nobis ordinatis liquebit. Scaliger lib. 5. de Emendat. temp. pag. 493. scribit malè Claudium anno Christi quadragesimo septimo, qui erat octingentesimus Urbis, Ludos seculares celebrasse, cum idem Urbis annus non nisi octingentesimo primo completus sit. Debuerat igitur, inquit, anno quadragesimo octavo. Sed vana hæc observatio, cum falsissimo innitatur fundamento, Antiquos nempe non nisi annos integros in eorum collectione numerasse. Quem in errorem non tantum idem Scaliger, sed & plures alii, quemadmodum alibi diximus, inciderunt. Idem Author in eodem errore constans perperam etiam docuit Seculum antiquitus centum & undecim annis conflatum fuisse, cum certum sit, illud tantum centum & decem annis, ultimò extremò numeratò, constasse.

III.
Ludos seculares
Domitianus
Trajanus
editus.

Septimos (nempe seculares Ludos) Domitianus (celebravit) se XIV. & L. Minucio Rufa Coss. anno 1000. inquit Censorinus. Is annus Urbis cum anno Christi 88. convenit. Quare Domitianus Ludorum secularium, non à Claudio, sed ab Augusto edito-

rum rationem habuit ; quamquam nec hoc tempus rectè observavit, cum aliqui anni desint ; quare non nisi animi sui libidinem ea in re secutus est : exemplo tamen Claudii Consulatum assumpsit. Ex iis Ludis, ejus Triumphis, Quinquennialibus, & cæteris hujusmodi, plurimum ejus Consulatum ratio reddi potest. Antoninus Pius, anno Urbis nongentesimo, qui cum anno Christi 147. concurrat, Ludos seculares celebrare debuit ; sed Censorini de iis silentium, illos tunc editos non fuisse ostendit. Victor tamen Schotti hæc scribit : *Denique annis, quibus publica egit, viginti, idem mansit, celebrato magnificè Urbis nongemesimo.* In quorum Ludorum à secularibus diversorum celebratione, Ludorum secularium à Claudio editorum rationem habuit, sed tamen, ut ille, Consulatum non cepit. Quibus Victoris verbis plane convellitur Scaligeri sententia supra allata, Ludos nempe seculares sextos edendos fuisse anno Urbis conditæ 801.

Octavos (nempe seculares Ludos) *Imperatores Septimius, & M. Aurelius Antoninus, Silone, & Libone Coss. anno 1900. celebrarunt.* Cadit is Consulatus in annum Christi 204. quò Severus, nulla Claudii, ac Domitiani Ludorum secularium ratione habita, anno ducentesimo vicesimo post exhibitos ab Augusto Ludos quintos, octavos edidit. Quod etiam in causa fortè fuit, cur Severus Consulatum non capessierit, quia Augustus sine Trabea quintos Ludos edidit. A Ludis Augusti, nempe ab anno Urbis 737. ad Ludos Severi, annum videlicet Urbis 957. anni sunt ducenti, ac viginti, ultimò terminò comprehensò, seu duo Secula, uti antiquitùs numerabantur ; ex quo & magis Scaligeri sententia evertitur, qui vult Seculum annis centum & undecim fuisse compositum. Loquitur de istis Severi Ludis Herodianus lib.3. cap.8. Cujus verba cruce[m] doctis fixere : *ἀϊονίαι δ' αὐτὰς ἑκατον εἰ τότε, ἀκόουσις τριῶν γενεῶν διαδρομῶν ἐπιτελεῖσθαι*, id est, *seculares hi tunc appellabantur, celebratos, (intellige vidimus) ut aiunt decurso trium spatio Etatum.* Γενεῶν vocabulo sæpe utuntur antiqui Historici, quot verò annos Γενεῶν contineat, & quid eo nomine intellexerit Herodianus, inter doctos non convenit, ut videre est apud Lindenbrogium in Notis ad caput 17. Censorini, & Boeclerum in Notis ad Librum tertium Herodiani pag. 419. sed non dubito, quin hîc accipi debeat pro sæculo centum annis composito, & Herodianus intelligendus sit de spatio trecentorum annorum, seculis inchoatis pro integris numeratis, ut ejus moris est ; nisi enim ita numeraveris, difficulter te ex hac voce expedit. De ultimis Ludis secularibus Censorinus non egit, quia aureum suum libellum de die natali, anno Christi 238. composuit,

IV.
Severus sine
Trabea Lu-
dos Secula-
ros celebrat.

ut primus omnium, summo Chronologiae bono demonstravit Scaliger. Quare de his major difficultas.

V.
Millesimus
Urbis cum
Trabea à
Philippo ce-
lebratus.

Nonos, ac postremos seculares Ludos, uterque Philippus, pater, & filius anno Urbis millesimo celebrarunt, sed magna inter eruditos fervet controversia, an anno Urbis millesimo inchoato, seu Christi 247. an verò millesimo primo incepto, Christi videlicet 248. ii Ludi editi sint. Scaliger enim lib. 5. de Emendat. temp. pag. 493. Petavius lib. 11. de Doctrina temp. cap. 25. Norisius Dissert. de Vet. Decennal. cap. 6. aliique, Onuphrium sequuti, contendunt, anno primo supra millesimum ineunte, hos celebratos esse. Baronius, cui multi adhæserunt, arbitratus est, eos in annum Urbis millesimum ineuntem, Christi 247. seu secundam corruptam ejus per ea tempora Chronologiam anno 249. exhibitos fuisse, à quo non discedunt Bollandus, & Henschenius in vita S. Fabiani Papæ, quæ vigesimo Januarii die in actis Sanctorum legitur. Paragrapho enim 14. num. XXIII. scribunt: *inchoata est hæc solemnitas anno Christi 247. ipsis Palilibus XI. Kal. Maii, Coss. Philippo patre II. filio primo absolutæ eisdem Coss. patre III. filio II. & hic postremus annus ferè secularibus Nummis inditus, quod forte missilia ejusmodi Numismata, vel Kalendis Januariis, vel ipso Philippi Natali, mensè Martio, erogata sint.* Hæc sententia, ut mihi videtur, certissima. Cur enim Philippus pater Philippo filio Collegæ anno 247. Consul processit, nisi quia hos Ludos Trabeatus celebrare volebat? neque aliter intelligendus Capitolinus, quando in vita Gordiani Junioris cap. 23. de eodem Philippo loquens, ait: *Millesimum ab Urbe condita annum in Consulatu suo, & filii sui celebravit.* Quæ etiam opinio ex Christianorum Jubileo confirmatur; Illud enim à Natali Christi centesimi anni ineuntis incipit, & ad Natale ejusdem centesimi exeuntis terminatur; quia nempe quando illud institutum iis persuasum fuit, eisdem Ludos, in quorum locum substituebatur, à Palilibus anni Christi 247. ad Palilia anni sequentis continuatos fuisse. Neque refert si dicas etiam anno 248. Philippum patrem III. & Philippum filium II. Consules fuisse, hic enim utriusque Consulatus, eorum Quinquennialibus, non verò Millenario Urbis dicatus fuit; cum Philippus anno 244. Imperium suscepit, & Philippum filium eodem anno Cæsarem renuntiavit (ut patet ex variis legibus Codicis Justiniani Petegrino, & Emiliano Coss. subscriptis, à Philippo Augusto, & Philippo Cæsare, ut in earum inscriptione legitur, datis.) Ac utriusque Quinquennialia in eundem annum Christi 248. inciderint. Uana sunt pariter Scaligeri fundamenta, qui ait in nummis, qui Ludos seculares exhibent,

exhibent , tertium Philippi Consulatum legi , & annum millesimum Urbis non nisi anno millesimo primo inchoato absolutum censerì , ei enim jam satisfactum. Norisius his verbis Victoris de Cæsaribus innititur : *Nostra quoque ætate post mille annos Centesimus, Consule Philippo, excessit, nullis, uti solet, solemnibus frequentatus. Adeo in dies cura minima Romana Urbis.* Philippi Sallia Collega Consulatus in annum Christi 348. competit , quò annus Urbis undecies centesimus evolutus est. Unde deducit Norisius , Ludos seculares eo anno Christi celebrari debuissè; ob idque annum Christi 248. decimos Ludos seculares vidisse. Sed ex iis Victoris verbis contrarium omninò sequitur. Querebatur enim is, quòd undecimum Urbis seculum nullis ludis , uti solebant alia , frequentatum excessisset , non verò quòd eo transacto , ii celebrari deberent. Neque satis mirari possum viros doctissimos , non advertisse opinionem , quàm imbuti erant factò Claudii , & Antonini Pii , qui in ipsis Urbis centenariis , Ludos ediderant , (ad quod respexisse utrumque Philippum , indubitatum videtur) jugulatam fuisse: Sicuti & auctoritate Osorii scriptoris Antiqui , qui lib.7. cap.20. Ludos Philippi ad annum ejus quartum initio anni Christi 247. inchoatum , refert : *Post annum tertium Imperii Philippi, millesimus à conditione Roma annus completus est: ita Ludis magnificis augustissimus omnium præteritorum hic Natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est.* Hæc igitur controversia Philippi Patris II. & Philippi filii Consulatu dirempta.

Decimi Ludi Seculares in annum Christi 304. Urbis 1057. Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Consulatu notatum , vel in annum 213. Urbis 1066. quò Constantinus , & Licinius ter Consules processere , incidebant ; qui cum prætermitti fuissent , Zozimus , Author paganus lib.2. hist. de hac ommissione questus est : *A Consulatu Libonis, & Cilonis, quò Severus Ludos seculares exhibuit, usque ad Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Consulatum, centum & unus anni elapsi fuerunt. At tunc quidem privatus ex Imperatore Diocletianus factus est, cujus exemplum Maximianus secutus est. Verum Constantino III. & Licinio III. Coss. centum & decem annorum tempus integrum aderat, quò Ludos, consueto more, celebratos oportuit.* Observatu dignum , quòd iis annis , in quos decimi Ludi seculares cadebant , Imperatores Consulatum ediderint. Quòd verò ibidem dicitur de Diocletiani & Maximiani abdicatione , eam nempe anno Christi 304. factam fuisse , suo loco à nobis confutatum. Sed nec Honorius , quòd Onuphrius libro singulari de Ludis secularibus , Baronio in Annalibus , Petayio in Chronico , cæterisque persuasit , decimos Ludos se-

VI.
Decimi Ludi seculares celebrati non sunt.

culares anno Christi 404. Urbis 1157. quo alterum seculum à nono Diocletiani Consulatu evolutum erat, celebravit. Verum quidem est Honorium, hujus Imperatoris exemplo, sextum Consulatum Aristzenetò Collegà sumpsisse, Ludosque gladiatorios suo tempore editos esse, ut discimus, ex Theodoro lib. 5. cap. 26. & Prudentio contra Symmachum lib. 2. sed illum Ludos seculares edidisse, neque ex iisdem Ludis gladiatoriiis, neque ex Claudiani panegyri in eodem sexto Consulatu dictà, quæ duo, hujus opinionis fundamenta, probari potest. Ludi enim Gladiatorii, de quibus infra, variis in occasionibus fiebant, & Claudianus in ea Panegyri sexcentis sexaginta versibus constante, in qua hujus Imperatoris Romam, quò numquam fuerat, ingressum, laudum argumentis undique petitis exornat, nullam de Ludis secularibus mentionem facit, licet nulla alia res cum hoc ingressu conjuncta luculentiorum Laudis materiam subministraret. Plurimi namque, ingentesque, aliquot ante eorum celebrationem annos, apparatus fiebant, ut ex iis, quæ Cassiodorus in Chronico de Urbis millenario, & Lactantius lib. de mortibus persecutorum de præparationibus ad Decennalia Maximiani Galerii habent, colligere licet. Profectò de similibus Claudianus non tacuisset. Contra, quia eorum omisso, Populo ingrata, dum Urbem Romam Honorium alloquentem, huncque cunctantem querelis suis impellentem inducit, ad eos non nisi strictim, & modeste alludit. Sed, ut magis pateat quantum ii, qui eum illi sensum affinxere, aberraverint, præstat tempus, quo hæc Panegyris dicta, ejusque versus referre.

VII.
Claudianus
decimis Lu-
dis seculari-
bus non fa-
vor.

Habita hæc de more Kalendis Januariis anni 404. quibus Romam Consulatum initurus, Honorius ingressus est, quod Scaliger lib. 5. de Emendat. temp. pag. 515. ex ejusdem Claudiani versibus num. 540. doctè deducit.

— *Namque idè pluviiis turbaverat omnes
Ante dies, lunamque rudem madefecerat Auster,
Ut tibi servatum scirent convexa serenum.*

Diem Claudianus serenum fuisse dicit favore quodam Numinis, cum antecedentes dies, & exitum Decembris pluvie infestassent, Lunam adhuc rudi, seu in Novilunio, quod anno 403. in diem vigesimum nonum Decembris incidit. Mirumque Nicolaum Heinsum, aliosque, qui Poëtam nobilissimum notis suis illustrarunt, hoc dictæ Panegyris tempus non observasse, sine quo plures ejus versus rectè explicari non possunt, uti ii, quibus utuntur, qui Ludos seculares ab Honorio restitutos contendunt, quique num. 390. leguntur.

Iam

Iam flavescencia centum
 Messibus astiva detondent Gargara falces,
 Spectandosque iterum nulli, celebrantia Ludos
 Circumflexa rapit centenus secula Consul.
 His annis, qui lustra mihi bis dena recensent,
 Nostra, ter Augustos, intra pomeria vidi.

Quibus Claudianus, seu Roma, quam loquentem inducit, hoc tantum denotat, seculum præteriisse, ex quo Augusti ab Urbe ab- sunt, & per illius decursum tres solum, id est, paucos Imperatores, in ea visos fuisse. Centum autem illos annos duplici periphrasi ex- primit, altera à centum messibus, altera ab evoluto spatio Ludorum secularium deducta; quæ repetitio, loquendique modus, præsertim cum de annis, ac temporum intervallis agitur, apud Poëtas frequentissi- mus est. Deducit secundam periphrasim à Ludis secularibus, quos ex formula, quæ proclamabantur, *spectandos iterum nulli*, vocat, potius quàm ex alia re, quia is annus centesimus erat, Honoriusque centenus Consul, post annum 304. quò celebrari debuissent, juxta ordinationem ab Augusto aliàs factam. Vestigium extat hujus formu- læ apud Herodianum lib. 3. cap. 8. ubi de Ludis sub Severo actis lo- quens, ait: *Siquidem Urbe tota, atque Italia, pracones itabant con- vocatum omnes ad Ludos, quos nec vidissent hætenus, nec visuri post- modò forent. ista scilicet intervallum præterita, futuraque celebratis supra omnem esse hominum ætatem significantes.* Hæc ultima verba: *su- pra omnem esse hominum ætatem*, sic in græco exprimuntur: *πᾶσαν ἡλικίαν ἀνθρώπων ἰσχυραίων*, ex quibus intelligis Herodianum nomine *γερῶν*, de quo num. IV. egimus, nihil minùs significare, quàm ἡλι- κίας voce, quæ præter alia significata, ætatem, & seculum denotat; unde explicatio à nobis tunc data, optima, Onuphrii verò lib. de Ludis secularibus, qui dicit per *γερῶν* Herodianum triginta tres an- nos, & quatuor menses, quibus aliqui Antiqui seculum composi- tum dicunt, intellexisse, minimè admittenda. Ea porro formula de- signabat, eos non visuros iterum eosdem Ludos, quando exhibe- rentur, quia tandiu victuri non erant; sed Claudianus argutè dicit: *spectandosque iterum nulli &c.* id est, nec ultimo seculo visos, nec iterum eodem spectandos, quia nempe celebrandi non erant. Quod si Claudianus scripsit, ut habent omnes veteres editiones, & omnia ferè manuscripta, *spectandosque iterum nulli*, intelligit, ut existimo, eosdem Ludos post S. verum visos non fuisse, neque eo anno visum iri. Heinsius tamen *spectandos* reposuit ex fide unius Codicis Medicei,

in quo & nos idem legimus operâ viri clarissimi Antonii Magliabeci. Serenissimi Etruriæ Ducis Bibliothecarii, magni litteratorum omnium fautoris, nobisque amicissimi. Sed sive eam, sive illam lectionem sequutus fueris, Claudianum contrarium habebis.

VIII.
Ludorum se-
cularium
sub Honorio
auctorum
fundamenta
vana.

Explodendi igitur decimî illi seculares Ludi, sicuti & restitutio Gladiatoriorum, quæ duo immeritò Honorio adscripta. Tantùm enim abest, ut hos, sicuti existimavit Baronius, anno 395. num. XIX. & XXVI. antiquum in statum reduxerit, id à Theodoretò, loco laudato scriptum fuerit, & ex Prudentio colligi possit, ut contrà, Honorius eos à Decessoribus Romæ toleratos sustulcrit, ut disertè docet ibidem Theodoretus. Quoad Prudentium lib. 2. adversus Symmachum sub finem, Honorium, postquam Romam advenit, ad Ludos gladiatorios penitùs tollendos cohortatus est, quod Honorium hoc ipso anno 404. præstitisse, ex eo deducit Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani, quod Claudianus sub finem laudatæ Panegyris, simulacra tantùm Ludorum gladiatoriorum tùm exhibita describat. Sed de his videndus idem Gothofredus tom. 5. Codicis Theodosiani *de Gladiatoribus* tit. 12. l. 1. ubi egregia hanc in rem habet, quibus Annales Ecclesiastici plurimùm illustrari possunt. Lapsum Onuphrii Scaliger lib. 5. de emendat. temp. pag. 390. agnovit, Ludosque seculares sub Honorio gestos negavit; sed in explicandis Laudatis Claudiani versibus falsa veris admiscens, Doctorum virorum in Onuphrii sententiam concedentium cursum sistere non potuit: ait enim, in iisdem versibus nullum esse centesimum annum, neque ullum seculum Romanum, licet ab hoc alteram periphrasim Poëta manifestè deducat. Addit, ultimos Ludos seculares eos esse, quos Philippi Augusti ediderunt, nullamque in Claudiano subesse causam Centenarii Natalis Urbis, non advertens à Ludis à Severo actis, ad sextum Honorii Consulatum, certum, & definitum duorum seculorum spatium fluxisse, ideoque Claudianum ad eosdem, non verò ad Ludos, Philippis Imperantibus, celebratos alluisse. Denique de Ludis gladiatoriiis, quos jam sublatis Honorium restituisse viris doctis persuasissimum erat, silet. Quare non mirum, si hanc opinionem tam penitùs insitam ex animis evellere non potuerit. Illud tantùm mihi præter opinionem accidit, ut Gothofredus in Commentario ad legem 17. *de Iudæis*, quæ præfato anno 404. Romæ ab Honorio data est octavo Kal. Augusti, scripserit hoc ipso anno & tempore æstivo Ludos seculares Romæ habitos: idque testari Claudianum in sextum Consulatum Honorii; licet in Commentario legis primæ *de Gladiatoribus* jam doctè ostendisset, Honorium eo anno

Romæ

Romæ poſitum gladiatores ſuſtulſſe, & quidem, ut prodit Theodoretus lib. 5. cap. 26. occasione Telemachi Monachi; qui ex Oriente Romam profectus, gladiatoresque Romæ pugnantes pro quodam ardore deducere conatus, à ſpectatoribus lapidibus obrutus fuit. Quam ob rem idem Imperator *Gladiatorum ſpectacula olim Romæ fieri ſolita ſuſtulit*, inquit idem Theodoretus, qui his verbis manifeſtum facit, verum non eſſe quod à Baronio in Annalibus, aliisque creditum gladiatores à Constantino Magno Romæ ſublatoſ fuiſſe: Secundò eos Romæ poſt ejuſdem Imperatoris mortem recruduiſſe; Tertio Theodoſium Magnum eodem aboleviſſe; ac denique antea ſublatoſ in eadem Urbe, Honorio imperante, recruduiſſe. Quos errores cum probè notaverit idem Gothofredus, Ludorumque gladiatoriorum ſimulachra tantum Claudianum in eadem Panegyri deſcripiſſe rectè dixerit, in communem poſtea omnium errorem, Ludos nempe ſeculares eodem anno actos, non videbatur inclinare debere. Præfata itaque Theodoretus verba, quibus communis opinio innititur, contrarium oſtendunt, neque Claudiani verſus eidem ſuffragantur.

CAPUT UNDECIMUM.

Cæſareorum Conſulatum ab Auguſto ad Marcum Aurelium & Lucium Verum Rationarium, ac Quinquennialiorum, & id genus feſtorum ordinatio juxta traditas Regulas.

Licet poſt Auguſtum Regula, quæ Conſulatum Cæſareorum notæ & indices, Quinquennialiaque & id genus feſta incipiant; nihilominus quia tam Regula, quam feſta, eo imperante, adumbrata ſunt, ipſeque exemplar fuit, quod ſibi cæteri Imperatores imitandum propoſuere, à Caii Julii Cæſaris morte cui ſucceſſit, tam Faſtorum, quam Quinquennialiorum ordinationem exordiemur, conquiſitis undique argumentis, quæ ad eandem rem facere videntur. Sufficeret quidem Cæſarum & Auguſtorum Conſulatus, eoſque quibus hujusmodi feſtivities illigatæ, hinc recensere, & utrorumque rationem reddere; ſed quia plurimum refert Faſtos Conſulares animo affigere, ac reminiscendi cauſa ſub unum aſpectum ſubjicere, idè ſecluſis aliis difficultatibus, quæ ne memoriâ retineantur, efficiunt, integros hinc deſcribemus, & aliquibus in locis emendabimus;

I.
*Ordinatio
conſulatum
& Quinquennialiorum ab
Auguſto
cepta.*

adeo ut hæc Consulatum series, quâcumque aliâ jam in lucem datâ accuratior futura sit, & ob connexionem cum Quinquennialibus & id genus festis mirâ in posterum utilitatis. Cæterum tam in causis eorundem Consulatum, quàm Quinquennialiorum annis assignandis aliquid conjecturæ dabimus, & ubi eidem locus decreit, quod tamen raro continget, Consulatus intactos relinquemus, & annum quintum Imperii decimum, & sic deinceps indicabimus, ne divinare velle videamur. Annos Urbis Varronianos à morte Caji Julii Cæsaris, à qua Romani Imperii initium pendet, ad Eræ usque Christianæ initium adhibebimus; & hanc seriem majoris claritatis gratiâ in varia capita distribuemus. In quolibet autem observandi erunt, ac si potest, memoriæ mandandi Consulatus ii, aut qui inter Eruditos magis controversi, aut sub quibus res celebriores gestæ: hujus enim cognitionis defectu fit, ut in doctrina temporum à summis etiam viris non raro peccetur, & quod extricare tentant, minus procedat.

II.
Fasti ab Im-
perii initio
ordinati.

Anno Urbis conditæ 710. Consules *C. Julius Cæsar V. & M. Antonius*, Idibus Martiis idem Julius à conjuratis interfectus est. Ab ejus morte, Caji Octavii Augusti initium ab aliquibus Historicis deductum.

711. *C. Vibius Pansa & A. Hirrius*, qui cum decessissent, *C. Octavius Cæsar*, & *Q. Pedius*, die decimâ nonâ Septembris eisdem suffecti sunt. A quo die & anno ejusdem Octavii Cæsaris Imperium à quibusdam desumptum. Ejus exemplo, Imperii initio Consulatum ut plurimum Imperatores postea capefferunt.

712. *M. Emilius Lepidus*, & *Munacius Plancus*.

713. *P. Servilius Vatia Isauricus II.* & *L. Antonius*.

714. *Cn. Domitius Calvinus II.* & *C. Asinius Pollio*.

715. *L. Marcus Censorinus*, & *C. Calvisius Sabinus*.

716. *Ap. Claudius Pulcher*, & *C. Norbanus Flaccus*. ERA HISPANICA Kalendis Januariis inchoatur.

717. *M. Vipsanius Agrippa*, & *L. Caninius Gallus*.

718. *L. Gellius Poplicola*. & *M. Cocceius Nerva*

719. *Sext. Pompeius Magni filius*, & *L. Cornificius*.

720. *M. Antonius II.* & *L. Scribonius Libo*.

721. *C. Cæsar Octavianus II.* & *L. Volcatius Tullus*. A primo Octavii Cæsaris Consulatu ad secundum, anni decem evoluti sunt. Ex quo forsitan factum, ut ex ejus successoribus plures anno decimo Imperii vel ineunte, vel transacto, eandem dignitatem sumpserint.

722. *Cn. Domitius Abenobardus*, & *C. Sosius*.

723. *C. Caſar Octavianus III. & M. Meſſala Corvinus.* Videtur is Conſulatus ab Octavio ſumptus ob bellum Aegyptiacum, noviffimum bellum civile cum M. Antonio geſtum; quem ad Actium Promontorium quarto nonas Septembris, ut tradit Dio, ſuperavit.

724. *C. Octavius Caſar IV. & M. Licinius Craſſus.* Hunc Conſulatum cepiſſe videtur Auguſtus, ut bellis civilibus ultimam manum imponeret, quod & præſtitit Alexandria in poteſtatem redactâ.

725. *C. Octavius Caſar V. & ſext. Apuleius Nepos.* Sub his Conſulibus Octavius Caſar tres triumphos egit, Dalmaticum, Actiacum, & Alexandrinum; indeque factum, ut poſtea Imperatores cum Conſulari Trabea ut plurimum triumpharint.

726. *C. Octavius Caſar VI. & M. Vipſanius Agrippa II.* decimus quintus annus hic eſt à primo Octavii Conſulatu, quo etiam poſtea ſucceſſores eam dignitatem de more capeſſiere.

727. *Octavius Caſar VII. & Vipſanius Agrippa III.* Hoc anno idem Octavius Romani Orbis Imperium in decennium accepit, ut diximus capite ſecundo hujus ſecundæ partis numero primo. Unde Imperatorum Decennalia nata.

728. *C. Octavius Caſar VIII. & T. Statilius Taurus II.* Hic & duo Conſulatus ſequentes ob bellum Hiſpanicum ab Auguſto ſuſcepti videntur.

729. *Auguſtus Caſar IX. & M. Innins Silanus.*

730. *Auguſtus Caſar X. & C. Norbanus Flaccus.*

731. *C. Caſar Auguſtus XI. & Cn. Calpurnius Piſo.* Eſt hic annus viceſimus abſolutus à primo Auguſti Conſulatu, quintuſque ab eo anno, quò orbis Imperium in decennium ſuſcepit. Tribunitia poteſtas, & Proconſulare Imperium eodem anno eidem collatum, qua de re egimus prima parte cap. 3. num VIII.

732. *M. Claudius Marcellus Aſerninus, & L. Aruntius.*

733. *Q. Aemilius Lepidus, & M. Lollius.*

734. *M. Apuleius Nepos, & P. Silius Nerva.*

735. *Q. Sertius Saturninus, & Q. Lucretius Viſpillo.*

736. *P. Cornelius Lentulus, & Cn. Cornelius Lentulus.* Cùm decimus confirmati imperii annus Auguſto exiret, in proximum quinquennium alterum regimen accepit, ut ex Dione cap. 2. hujus diſſert. n. 2. oſtendimus. M. verò Agrippæ, qui Iuliam ejus filiam uxorem duxerat, Tribunitiam poteſtatem ad idem quinquennium dedit. Herodes Judææ Rex, qui in omnibus Auguſto placere cupiebat, templum Hieroſolymitanum hoc anno cœpit extruere, veteri dirutò. Joſephus quidem lib. 15. Antiquit. cap. 14. dicit id factum anno decimo octavo

III.
Origo Dec.
natorum.

octavo ejusdem Herodis, qui præcedenti Absolutus est. Sed tempus quod inde fluxit ad materiam operi aggrediendo necessariam comparandam insumptum. Ab hoc Augusti quinquennio Imperatorum Quinquennalia originem ducunt, Cæsaresque & Augusti in Quinquennialibus & id genus festis, Cæsaris Octavii factis præeunte, postea de more nuncupati; urbesque etiam in hujusmodi solemnibus constructæ, & dedicatæ.

737. C. Furnius, & C. Junius Silanus.

738. L. Domitius Ahenobarbus, & P. Cornelius Scipio.

739. M. Livius Drusus, & L. Calpurnius Piso.

740. Cn. Lentulus, & M. Licinius Crassus.

IV.
Origo Quinquennialium.

741. Tiberius Claudius Nero, qui postea Imperator fuit, & P. Quintilius Varus. Agrippæ in aliud quinquennium Tribunitia potestas ab Augusto prorogata, ut tradit Dio, & sine dubio etiam Augustus; licet id idem Historicus non dicat. Anno sequenti idem Agrippa mortuus est. Hoc verò Augustus Pontifex Maximus factus. Unde processisse videtur, ut in Quinquennialibus & id genus festis Imperatores Religioni, rebusque Ecclesiasticis Consuluerint.

742. M. Valerius Messala, & P. Sulpicius Quirinus.

743. Paulus Fabius Maximus, & Q. Aelius Tubero.

744. Iulius Antonius & Q. Fabius Africanus.

745. Claudius Drusus Nero, & T. Quintius Crispinus.

746. C. Martius Censorinus, & C. Asinius Gallus. Altero decennio jam ad finem accedente Imperiû Augusto quintum in decennium prorogatum, uti loco laudato ostendimus, ubi & de Encæniis templi Hierosolymitani hoc anno actis, ut recte Usserius in Annalibus veteris & novi Testamenti, qui tamen ejus ædificationem tardiùs quàm par fuerat, consignavit. Hinc origo templorum in Quinquennialibus & id genus festis dedicandorum.

747. Tiberius Claudius Nero II. & Cn. Calpurnius Piso.

748. D. Lælius Balbus, & C. Antistius Venus. Augustus, ut Caium & Lucium nepotes compesceret, Tiberio Tribunitiam potestatem in quinquennium concessit, ut docet Dio, lib. 55. quo quinquennio elapso privatus Tiberius remansit usque ad tempus, quo ab Augusto adoptatus est. Factum inde ut aliquando extra Quinquennialium & id genus festorum annos, eam Imperatores, aut etiam Cæsaream dignitatem aliis communicaverint, licet id rarò contigerit.

749. C. Caesar Augustus XII. & L. Cornelius Sylla. Suetonius in Augusto cap. 26. causam cur duodecimum & decimum tertium Consulatum Augustus sumplerit, nos edocet, ut, inquit, Caium & Lucium

seu de Consulibus Cesareis.

199

Lucium filios amplissimo praeitus magistratu suo quemque deduceret in forum, ut nempe uterque Consulatum iniret post quinquennium, ex hoc Augusti facta sexta Consulatum Cesareorum Regula nata esse videtur. Sub his Coss. Christus natus est secundum probabiliorem sententiam.

750. *C. Calvisius Sabinus. II. & E. Passienus Rufus.*

751. *C. Cornelius Lentulus, & M. Valerius Messalinus.*

752. *C. Caesar Augustus XII. & M. Plautius Silvanus.* Augustus, quemadmodum supra diximus, hunc Consulatum cepit, ut Lucium filium adoptivum in forum deduceret, iisdem datis illi honoribus, qui in fratrem Caium ante triennium fuerant collati. Hic itaque Consulatus, juxta VI. Consulatum Cesareorum Regulam.

753. *Cossus Cornelius Lentulus, & L. Calpurnius Piso.* Natale Christi Dionysianum seu vulgare sub his Coss. consignatur, ideoque anno sequenti Calendis Januariis Era Communis seu Christiana, quae in posterum utemur, incipit.

ERÆ CHRISTIANÆ INITIUM.

Anno Christi primo. *Caius Caesar, & Lucius Æmilius Paulus.* Ad hunc Consulatum Caius designatus fuerat in duodecimo Augusti Consulatu, Dubitatum tamen fuit ad hæc usque nostra tempora, utrum ipse Augustus, vel idem Caius ejus nepos Consulatum hunc ediderit. Petavius lib. 12. de Doctrina temp. tam in Laterculo Consulum, quam cap. primo Consules hoc anno proponit Augustum XIV. & L. Æmilium Paulum, qui tamen in Chronico Caium postea Cæsarem exhibet. Baronius etiam Augustum & Æmilium Paulum proficitur. Sed Augustum tredecim tantum Consulatus gessisse in posterum certum esse debet, quia Dio in Indice Consulari libri 55. in quo fundantur, qui in isto errore versati sunt, iis minime suffragatur. Nam, ut notat Muretus in Notis ad Tacitum lib. 1. cap. 9. Guillelmus Xilander Dionis interpret, cum in textu legisset, Γ. Αὐγούστου υἱοῦ, id est, *Caius Augusti filius*, nisi quod Librarius leviter erraverat, & pro Αὐγούστου scripserat, Αὐγούστου, *Cæsarem Augustum* vertit, & de suo addidit XIV. Primus igitur ille hujus erroris causam præbuit, à quo nobilissima Era qualis est Christiana, exordiri non debet.

V.
Initium Eræ
Christianæ

2. *P. Vinicius & P. Alfenius Varus.*

3. *L. Ailius Lamia, & M. Servilius.*

4. *Sex. Ailius Catus, & C. Sestius Saturninus.* Caius Cæsar in Syria moritur post menses octodecim, quam frater ejus Lucius obierat. Suetonius in Augusto cap. 65. idque nono Kalendas Martias, ut

Bb legi

legi in Inscriptione, quæ Pisis extat in loco Campo-sancto dicto. Tum Tiberius *Quinto Kalendas Julias* ab Augusto adoptatur, Tribunitiaque potestate exornatur, qua de re videnda quæ diximus parte prima, capite 3. Adoptati & eadem die Germanicus, & Agrippa Marci Agrippæ filius; duo priores ab eo tempore Cæsares nuncupati. Augustus antea testiô principatus decenniô ad finem accedente, in quartum decennium Imperium suscepit. Qua de re actum cap. 2. hujus partis. Accepit etiam Proconsulare Imperium. Augustus ad censum in Italia peragendum, ut docet Dio lib. 55. factum inde ut Imperatores in Quinquennialibus & id genus festis censum egerint, adoptiones fecerint, Cæsares nuncuparint, & Tribunitiam potestatem concesserint, ut jam supra tetigimus; usuum enim & morum originem observare plurimum refert.

5. *L. Valerius Messala Volesus, & Cn. Cornelius Cinna magnus.*

6. *M. Aemilius Lepidus, & L. Aruntius.*

7. *Q. Cæcilius Metellus Creticus, & Licinius Nerva Silanus.*

8. *Furius Camillus, & Sex. Nonius Quintilianus.* Quinquennialia Imperii Cæsarei Tiberii, & Germanici. Extat nummus ejusdem Tiberii apud Occonem TRIBUNITIA POTESTATE X. notatus, in quo templum sculptum esse asserit. Quare cum anno Christi quarto, quô Cæsar dictus, sextam Tribunitiam potestatem numerare cœperit, antea enim eandem per quinquennium gesserat, constat hoc anno decimam iniisse, Quinquennialia edidisse, & de more aliorum potestæ Imperatorum aliquod templum ædificasse.

9. *Q. Sulpicius Camerinus, & C. Poppæus Sabinus.*

10. *P. Cornelius Dolabella, & C. Iunius Silanus.* Hoc anno quinto Kalendas Septembris Tiberius Proconsul & Imperii Collega ab Augusto dictus est, ut explicavimus prima parte, capite 3.

11. *M. Aemilius Lepidus, & T. Statilius Taurus.*

12. *Germanicus Cæsar & C. Fonteius Capito.* Hic Consulatus videtur Germanico delatus propter præclara militaria facinora, juxta quartam Regulam.

13. *L. Munacius Plancus, & C. Silius Cæcilia.* Augustus quintum in decennium gubernationem Reipublica invisus scilicet accepit: Tiberio Tribunitiam potestatem prorogavit: Druso Tiberii filio potestatem Consulatus tertio anno, etiam non gestâ Præsurâ petendâ concessit. Ita Dio lib. 56. Est hic decimus Imperii Cæsarei Tiberii & Germanici annus quo Ludos Decennales editos fuisse, præfata Dionis verba indicant. Porrò Drusum hoc anno principem juventutis, Cæsaremque dictum magna mihi suspicio est; quando enim Claudius Nero-

nem Principem juventutis dixit, cum Consullem designavit, ut anno Christi 51. dicemus. Verum est Drusi Consulatus annis Christi 15, & 21. gestos, huic anno non respondere, sed anno Christi 11. at per hæc tempora Imperium Romanum nondum in omnibus, uti postea rectum. Quidquid sit, initium Imperii Cæsarei Drusi adhuc obscurum. *Augustus cum Tiberio filio suo censum Roma agens invenit hominum nonagesies ter centena millia.* Ita Eusebius in Chronico, quæ tamen Onupharius in Fastis lib.2. perperam in annum sequentem differt, ipso Eusebio sibi planè contrario laudatò; cujus errorem etiam ostendit usus, jam à nobis observatus hos census agendi in annis, quibus Augusto Imperium prorogatum, & postea in Quinquennialibus & Decennialibus. Horum etiam solemnium signum & indicium Nummus Tiberii apud Oconem, in quo quadrigæ triumphales repræsentantur, & hæc verba leguntur: TI. CAESAR AUGUSTI F. TR. POT. XV. quam Tribunitiam potestatem hoc anno iniiit. In aliorum etiam Cæsarum, & Augustorum nummis Tribunitia potestate V. VI. X. XI. & hujusmodi notatis, sæpè similes quadrigæ triumphales, aut Victoria, aut hujusmodi figuræ cernuntur; ex quibus colligitur eos annis, quibus hæc festivitates actæ, aut triumphasse, aut quadrigis triumphalibus, & aliis id genus honoribus cohonestatos fuisse.

14. *Sextus Pompeius, & Sextus Apuleius.* Augustus die decima nona Septembris Nolæ mortuus est: cui successit Tiberius, jam à VI.
Obitus Au-
gusti, & in-
itium Tibe-
rii. à quinque fere annis Imperii Collega, quod ultimum frustra à viris doctis in controversiam vocatum. Zonaras in Tiberio scribit Germanicum tres filios reliquisse, quos, inquit, *Augustus in testamento suo Cæsares appellavit.* Ab hoc itaque anno Quinquennalia & id genus festa Caii Caligulæ Cæsaris, postea Imperatoris deducenda videntur.

15. *Drusus Cæsar, & C. Norbanus Flaccus.* Nondum introductus mos erat, ut Augusti proximis Kalendis Januariis post susceptum Imperium Consulatum inirent. Quare hunc gessit Drusus Tiberii filius, cui jam à triennio destinatus erat, fortè quod Imperii Proconsularis Tiberii Quinquennalia in hunc annum inciderent.

16. *T. Statilius Silenna Taurus, & L. Scribonius Libo*

17. *C. Calpurnius Rufus, & L. Pomponius Flaccus.*

18. *Claudius Tiberius Nero Augustus III. & Tiberius Germanicus Cæsar II.* Tiberium Quinquennalia Imperii Augustei quinto Imperii anno incunte edidisse ostendit hic Consulatus, juxta secundam Regulam. Ex quo error communis, qui hæc usque invaluit, scribendi nempe hujusmodi solemnia non nisi anno quinto vel decimo evolutis, prioribus seculis celebrata fuisse planè convellitur; & ex simili

subsequentium Imperatorum facto magis convelletur. Incidunt & in hunc annū Quindécennialia Imperii Cæsarei Tiberii, ac Germanici. Anno elapso duodecim celebres Asiæ urbes una nocte terræ motu prostratæ fuerant, ut habent Dio lib. 57. & Eusebius in Chronico, qui nihilominus tredecim numerat. Quibus cum multa tributi pecunia remissa, multaque à Tiberio donata fuissent, huic colossus erectus est juxta ædem Veneris in foro Romano; & in unaquaque restauratarum urbium statuæ illi positæ: ut ex Apollonio grammatico refert Phlegon Trallianus in libro de mirabilibus. Ad quorum illustrationem nummum addit Scaliger, in cujus superficie vultus Tiberii, in altera effigies Asiæ muliebris specie sedens cum his literis: CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS. Usserius in Annalibus Veteris & Novi Testamenti confert hæc in annum præcedentem; sed secunda Quinquennialiorum Regula eum errare demonstrat. Germanici Consulatus causa etiam esse potuit, quod hoc anno ad componendum Orientis statum cum ampla potestate missus fuerit, ut habet Suetonius in Caligula cap. 1. & Tacitus Annal. lib. 2.

19. *M. Junius Silanus*, & *L. Norbanus Balbus*. Germanicus Cæsar obiit.

20. *M. Valerius Messala*, & *M. Aurelius Cota*. Est hic decimus Imperii Proconsularis Tiberii annus evolutus; Consulatum tamen non nisi anno sequenti cepit; sive quod in eo suscipiendo ad hæc solemnia non respexerit, sed ad aliam causam nobis ignotam, vel quia hoc anno Decennalia egerit, & Consulatum, ut multi Imperatores fecerunt, in alium annum distulerit.

21. *Claudius Tiberius Aug. IV.* & *Drusus Cæsar II.* De hoc Tiberii Consulatu locuti sumus 2. p. c. 7. n. 2. De quo hæc Tacitus lib. 3. Annal. *Tiberii quartus, Drusi secundus Consulatus, patris atque filii collegio insignis: nam biennio ante Germanicos cum Tiberio idem honor, neque patrio latus, neque naturâ tam connexus fuerat.* Drusi itaque Consulatus juxta III. Regulam.

22. *D. Haterius Agrippa* & *C. Sulpicius Galba*. Hoc anno Drusus Tribunitiam potestatem à Senatu obtinuit, annoque sequenti Sciani insidiis sublatus est anno Tribunitiæ potestatis II. ut patet ex nummis. Ex hac concessione liquet mirum non esse si Tiberius quartum Consulatum anno vicesimo, in quem ejus Imperii Proconsularis Decennalia cadebant, non sumpserit; cum nec anno, quo hæc solemnia acta sunt, Druso Cæsari Tribunitia potestas collata fuerit, uti postea moris fuit, Rudia itaque & imperfecta, sicut quælibet alia Romani Imperii initia. Quare ex ejusdem Tiberii Consulatum dispositione

dispositione non sequitur anno Eræ Christianæ undecimo Collegam eum Imperii factum fuisse.

23. C. Asinius Pollio, & C. Asinius Vetus.

24. Sex. Cornelius Cethegus, & L. Vissellius Varro. Tiberius his Consulibus Augustei Imperii Decennalia edidit; scribit enim Dio lib. 57. *Decem annis Imperii ejus exactis ad resumendum id nihil decreto opus habuit, neque enim in decennia intercisum, quod Augustus fecerat, id gerere staterat. Ludi tamen Decennales facti.* Horum etiam Decennalium index, quæ scribit Eusebius in Chronico: *Philippus Tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ades construxerat, Cæsaream Philippi vocavit, & Inliadem aliam Civitatem.*

VII.
Decennalia
Tiberii.

25. M. Asinius Agrippa, & Cossus Cornelius Lentulus.

26. Cn. Lentulus Gatulicus, & C. Calvisius Sabinus. Hoc anno decimus quintus Imperii Proconsularis Tiberii evolutus est, quo in finem vergente factum est verbum Domini ad Joannem, ut habet Lucas Evangelista cap. 1. annoque sequenti Christus baptizatus est: quam sententiam omnium probabilissimam in alio opere explico.

27. M. Licinius Crassus, & L. Calpurnius Piso.

28. Ap. Lunius Silanus, & P. Silius Nerva.

29. C. Rubellius Geminus, & C. Fusius Geminus. Est hic decimus quintus Imperii Augustei Tiberii, quo plures ex antiquioribus Patribus Christum passum fuisse existimaverunt, quorum sententiam alibi tuebimur. Notandus porro hic, & sequentes Consulatus, quia in eorum aliquem passio Christi incidit, eamque ob rem frequens de iis mentio.

30. M. Vinicius Quartinus, & C. Cassius Longinus.

31. C. Tiberius Nero Aug. V. & A. Scianus. Imperii Proconsularis Tiberii Vicennalia in annum præcedentem competunt. Quod si hic Tiberii Consulatus eidem addictus fuit, in hunc annum dilatus est. Sed Suetonius in Tiberio cap. 65. ostendit ob alium finem ab eodem susceptum, ut Scianum nempe astu & dolo subverteret, ut à se, inquit, per speciem honoris dimitteret, Collegam sibi assumpsit in quinto Consulatu, quem longo intervallo absens ob id ipsum susceperat. Subjungit tamen Suetonius: *Deinde spe affinitatis, ac Tribunicia potestatis deceptum, inopinantem criminatus est.* Imò ait Dio lib. 58. Senatui ei Imperium Proconsulare dedisse. Quæ indicarent hoc anno Imperii Proconsularis Vicennalia Tiberium edidisse, nisi jam Drusi Cæsaris exemplo pateret, Tiberii ætate hanc Regulam nondum observatam fuisse. Scianus decimo octavo Octobris hujus anni occisus fuit.

32. *Cn. Domitius Ahenobarbus*, & *A. Vitellius Nepos*.

33. *Sergius Sulpicius Galba*, & *L. Cornelius Sylla*.

34. *Paulus Fabius Priscus*, & *L. Vitellius Nepos*. Tiberius his Consulibus Imperii Augustei Vicennalia edidit, ut testis est Dio lib. 58. *Vicesimo anno Imperii, cum frequens in Albano & Tusculi esset, in Urbem non venit, sed Consules L. Vitellius, & Fabius Priscus decennium nuncupavêre, tamquam ei, ut Augusto usitatum, tunc Imperium prorogarent. Verum hi Ludos celebrarunt, nempe Decennales. Ex Decennialibus & Vicennialibus Tiberii celebratis, anno decimo & vicesimo evolutis, intulit Onuphrius veteres Principes Romanos anno quinto aut decimo exactis Quinquennalia edere solitos fuisse. Quod Scaligero aliisque fere omnibus persuasit; sed Consulatum à sequentibus Imperatoribus gestorum series hanc communem opinionem destruit. Incidunt & in hunc annum Tricennalia Imperii ejus Cæsarei, & quinta Quinquennalia Imperii ejus Proconsularis. Extat nummus apud Occonem in quo dicit representari templum pulcherrimum cum his verbis: TI. CAE. DIVI AUG. F. August. P. M. TR. POT. XXXVI. S. C. Sumpsit Tiberius hoc anno Tribunitiam potestatem XXXVI. Unde templum aliquod horum solemnium occasione, quod etiam à successoribus factum, ædificavit.*

35. *C. Gallus*, & *M. Servilius*.

36. *Q. Plautius*, & *Sextus Papinius Galliennus*.

VIII
Caligula &
Claudius
Imperant.

37. *Cn. Proculus Acerronius*, & *C. Pontius Nigrinus*. His Consulibus die decima sexta Martii, ut rectè Suetonius & Tacitus, Tiberius moritur, cui Caius Caligula successit. Erravit enim Dio, qui scripsit Tiborium die illius mensis 26. defunctum esse, ut alibi ostendo. Kalendis Juliis Tiberio Claudio Nerone patruo suo, ac postea successore Collegâ Consulatum suffectum sumpsit, idque exemplo Augusti. Sequentes Caligulae Consulatus aliter à quibusdam ordinati, sed Dioni, & Anonymo, quæ usus est Cuspinianus, omnino standum.

38. *M. Aquilius Iulianus*, & *Nomius Asprenas*.

39. *C. Cæsar Caligula II.* & *L. Apronius Cæsarius*. Est hic vicesimus annus absolutus ab eo quo Caligula Cæsar dictus est, quæ ejus secundi Consulatus causa.

40. *C. Cæsar Caligula III.* Solus. Sumptus hic ab eo Consulatus propter bellum Britannicum, ex quo redux ovans Urbem Natali suo ingressus est hoc anno, ut habet Suetonius in ejus vita cap. 49.

41. *C. Cæsar Caligula IV.* & *Cn. Sentius Saturninus*. Hic Consulatus Caligulae Quinquennialibus destinatus erat, juxta secundam Regulam,

Regulam, ſed die viceſima quarta Januarii occiſus, ea celebrare non potuit. Eum excepit Claudius Nero ejus patruus.

42. *Claudius Aug. II. & L. Licinius Lærgus.* Sumptus hic à Claudio Conſulatus juxta primam Regulam, quæ poſt Claudium valde in uſu fuit.

43. *Claudius Aug. III. & L. Vitellius II.* Sumptus hic Conſulatus à Claudio propter expeditionem Britannicam, de qua Dio lib.60. ex qua redux anno ſequenti triumphavit, ut habet idem Dio.

44. *C. Crifpus II. & T. Statilius.*

45. *M. Vinicius II. & M. Statilius Corvinus.* Eſt hic quintus Claudii annus, quem Quinquennalia edidiſſe oſtendunt largitiones ab eo factæ, de quibus Dio lib.60. reſtitutio quinti diei Saturnalibus, ac multò magis, quæ habet Euſebius in Chronico: *Deſcriptione Roma facta ſub Claudio inventa ſunt civium Romanorum ſexaginta octo centena quadraginta millia.* Nam major hac in re Euſebio, quàm Tacito lib. XI. Annal. fides, ubi eum cenſum confert in annum Chriſti 58. Vitellii & Vipſanii Conſulatu notatum.

46. *C. Valerius Aſiaticus, & M. Meſſala.*

47. *Claudius Aug. IV. & L. Viſellius III.* Sumptus Conſulatus à Claudio propter Ludos ſeculares ſextos, juxta ſextam Regulam. Vide quæ ſupra de iſdem diximus.

48. *A. Viſellius, & L. Poplicola.*

49. *C. Gallus, & Q. Verannius.*

50. *C. Anſtinius Vetus, & M. Sullius.*

51. *Claudius Aug. V. & Cornelius Scipio.* Conſulatus is oſtendit Decennalia hoc anno Claudium edidiſſe, juxta 2. Regulam. Oſtendit & id quod habet Tacitus lib. XII. Hoc anno Virilem togam Neroni maturatam fuiſſe, & decretum à Claudio, ut *viceſimo atatis anno Conſulatum Nero iniret: atque interim deſignatus Proconſulare Imperium extra Urbem haberet, ac Princeps Juventutis appellaretur.* Toga enim annis, quibus hujusmodi ſolemnia celebrabantur, ſæpius data, & id genus nuncupationes factæ.

52. *P. Cornelius Fauſtus, & L. Salvius Otbo.*

53. *Iunius Silanus, & Q. Haterius.*

54. *Q. Aſinius, & M. Acilius Aviola.* Claudius die 13. Octobris mortuus eſt, cui ſucceſſit Nero.

55. *Nero Cæſar Aug. & L. Anſtinius Vetus.* Neronis Conſulatus juxta 1. Regulam.

56. *Q. Voluſius Saturninus, & P. Cornelius Scipio.* Annus quintus Imperii Cæſarei Neronis.

57. *Nero*

IX.

Nero Imperator.

57. *Nero Caesar Aug. II. & L. Calpurnius Piso.* Tacitus lib. 13. Annalium scribit sub hoc Consulatu pauca memoriâ digna evenisse. Quare videtur sumptus à Nerone ob primam barbam anno ætatis vicesimo exacto, quo eam Caligula, ut Suetonius in hujus vita cap. 10. auctor est, etiam posuerat, rasam: *Barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam in Capitolio consecravit.* Suetonius in Nerone cap. 15. sicuti enim Principes Romani tyrocinii die pueros exuebant, sic barbâ rasâ Juventutem, transibantque tunc in viros. Eam ob rem Nero, ut habet Tacitus lib. 14. Annal. *Instituit Ludos Iuvenalium vocabulo.* Quæ tamen institutio non nisi anno sequenti facta, ut ibidem Tacitus docet, & rectè in Notis explicat Lipsius, qui tamen in eo errat, quod scribit Caligulam anno ætatis vicesimo barbam primam posuisse; ingressus tunc enim erat annum vicesimum primum. Scribit Suetonius in Caligula cap. 11. *Vicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, uno atque eodem die togam sumpsit, barbamque posuit.* Tum cap. 12. *Non ita multò post Iuniam Claudillam Marci nobilissimi viri filiam duxit uxorem.* Natus erat Caligula pridie Kalendas Septembres anno Christi 12. annoque 33. ejusdem Eræ agebat annum ætatis vicesimum primum. Eò autem id factum esse deducitur ex Tacito lib. 6. Annal. ubi de rebus sub Consulibus ejusdem anni 33. gestis loquens ait: *Sub idem tempus C. Caesar discedenti Capreas avo comes Claudiam Marci Silani filiam conjungio accepit.* Ex quo & colligere est Caligulam eo anno Imperii Cæsarei Vicennalia edidisse, quod ad eundem annum retrahendum.

58. *Nero Caesar Aug. III. & M. Valerius Messalla,* Neronis Consulatus propter ejus Quinquennalia juxta secundam Regulam Consulatum Cæsareorum. Quò pertinet nummus ab Onuphrio relatus in quo legitur: *IMP. NERO. CLAUD. CAESAR. AUG. GER. P. M. TR. P. V. P. P.* à tergo *PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANUM. CLUSIT.*

59. *Vipsanius Apronianus, & C. Fonteius Capito.*

60. *Nero Aug. IV. & Cornelius Lentulus.* Decennalia Imperii Cæsarei Neronis, qui, ut eadem magis illustraret, Quinquennale certamen instituit, quod quovis anno quinto ageretur, Augusti exemplo qui in sexto suo Consulatu Ludos propter Actiacam victoriam quinto quoque anno exhibendos instituit.

61. *C. Cæsonius Petus, & C. Petronius Gabinius.*

62. *P. Marius Celsus, & L. Asinius Gallus.*

63. *L. Memmius Regulus, & Virginus Rufus.*

64. *C. Bassus*, & *M. Licinius Crassus*. Decennalia Imperii Augustei Neronis, quorum index persecutio hoc anno adversus Christianos excitata, uti cap. 3. hujus secundæ partis diximus, ac præterea quod sub iisdem Coss. scribit Cassiodorus: *His Coss. Therma à Nerone adificata, quas Neronianas appellavit, cujus odio mutato vocabulo nunc Alexandrina nominantur.* Ex quo corrigendus Eusebius in Chronico ubi hoc conjicit in annum Abrahami 2078. qui in anno Christi 61. mense Septembri incipit. Thermas enim & hujusmodi opera publica annis quibus hujusmodi soleannia celebrata, constructa fuisse, multis exemplis infra liquebit.

65. *P. Silius Nerva*, & *C. Julius Atticus*.

66. *L. Pontius Telesinus*, & *C. Suetonius Paulinus*

67. *L. Fonteius Capito*, & *C. Julius Rufus*.

68. *C. Silius Italicus*, & *M. Galerius Trachalus*. Cùm Julius Vindex in Gallia à Nerone descivisset, Nero quintum Consulatum suffectum sumpsit, eum debellaturus, de quo Consulatu egimus prima parte, capite. Sed cùm à Senatu quæreretur ad pœnam seipsum interfecit die nonâ Junii, non verò decimâ, ut perperam plerique scribunt. Galba, qui jam Imperium in Hispaniis arripuerat, per aliquot menses imperavit.

X.
Galba, Otho,
Vitellius &
Vespasianus
imperant.

69. *Sergius Sulpicius Galba Aug. II.* & *T. Vinius*. die decima quinta Januarii Galba occisus fuit. Josephus enim, qui tum vivebat, lib. 5. de bello cap. 6. ait eum imperasse menses septem, & dies septem, quod uterque Victor confirmat: à die autem nonâ Junii anni elapsi ad præfatum diem menses illi & dies numerantur. Quare dies ejus emortalis certus, sicut & Othonis, qui die decima sexta Aprilis periit, & decima nonâ ejusdem mensis sepulturæ mandatus est. Nam Josephus lib. 4. de bello cap. 33. dicit eum principatum tenuisse dies duos & menses tres. Sed quia Suetonius dicit eum fumeratum fuisse nonagesimo quinto Imperii die, dies sepulturæ pro die emortalis à multis perperam captus. Vitellius, qui postea imperavit die vigesima prima Decembris occisus est, ut aliàs accuratè explicabo, & Vespasianus, qui in Ægypto Kalendis Juliis Imperator electus fuerat, rei Romanæ præfuit. Præfatus portò Galbæ Consulatus juxta primam Regulam procedit. Titus & Domitianus Vespasiani filij Cæsares à Senatu dicti.

70. *Flavius Vespasianus II.* & *Titus Casar*. Domitianus Consul suffectus fuit. Sumptus ab iisdem Consulatus juxta primam Regulam.

71. *Vespasianus Aug. III.* & *M. Cocceius Nerva*. Initus hic Consulatus propter triumphum Judaicum à Vespasiano & Tito actum,

C c juxta

juxta quintam Regulam. Tito Tribunitia potestas, Imperiumque Proconsulare à Vespasiano concessum, ut alibi ostendam. Post triumphum, pacis templum à Vespasiano ædificari coeptum, ut habet Josephus lib.7. de bello cap. 24.

72. *Vespasianus Aug. IV. & Titus Caesar II.* Vespasiani Consulatus juxta tertiam, Titi verò juxta primam Regulam.

73. *Domitianus Caesar II. & M. Valerius Messalinus.* Quinquennalia Domitiani, quorum index tam ejus Consulatus, quàm quod scribit Eusebius in Chronico juxta Editionem Pontaci: *Vespasianus Capitolium ædificare orsus.* In Editione Scaligeriana, hæc anno præcedenti consignantur, sed hæc solemnia eum errorem detegunt.

74. *Vespasianus Aug. V. & Titus Caesar III.* Suffectus Domitianus Col. III. Vespasiani & Titi Consulatus juxta secundam Regulam, propter utriusque nempe Quinquennalia, quæ etiam indicat census ab utroque factus hoc anno, ut docet Censorinus de die Natali cap. 18. ubi addit postea planè fieri desisse.

75. *Vespasianus Aug. VI. & Titus Caesar IV.* Suffectus Domitianus IV. sumptus hic Consulatus juxta sextam Regulam, propter scilicet dedicationem templi Pacis, qua de re cap. X. hujus partis.

76. *Vespasianus Aug. VII. & Titus Caesar V.* Suffectus Domitianus V. Titi Consulatus juxta secundam Regulam. Est hic enim quintus Imperii ejus Proconsularis annus, juxta secundam Regulam, Vespasiani verò, & Domitiani juxta tertiam.

77. *Vespasianus Aug. VIII. & Titus Caesar VI.* Suffectus Domitianus VI.

78. *L. Commodus Vernus, & C. Cornelius Priscus.* Annus decimus Imperii Cæsarei Domitiani.

XI.
Imperium
Titi. 79. *Vespasianus Aug. IX. & Titus Caesar VII.* Juxta secundam Regulam, in hunc enim Decennalia Vespasiani, & Titi, quò pertinet, quæ hoc anno habet Eusebius in Chronico: *Vespasianus colonias deduxit, & mortuus est profluvio ventris, die nempe 24. Junii cui successit Titus filius jam Imperii Collega.*

80. *Titus Aug. VIII. & Domitianus VII.* Hujus Consulatus juxta III. Reg. Titi juxta I. & II. Decennalia enim Proconsularis ejus Imperii in hunc annum incidunt, quorum index inscriptio quæ apud Onuphrium in Fastis extat, in qua dicitur TRIB. POT. X. COS. VIII. additurque *aquas Curtiam, & Carulæ perductas à Divo Claudio, & postea à Divo Vespasiano patre suo, Urbi restitutas, cum à capite aquarum à solo venustate dilapsa essent, nova forma reducendas sua imperiosa curavit.* Pertinent & ad ea solemnia spectacula, quæ hoc anno

anno Dio lib. 66. ostendit eum populo exhibuisse per centum dies ; aedificavit etiam amphitheatrum venationum causâ quod sub anni sequentis Consulibus dedicavit, ut habet idem Dio. Ea autem solemnia aliquot mensibus ostendit nummus apud Occonem , in quo is dicitur TR. P. IX. IMP. XV. COS. VIII. P. P. repræsentaturque in eo Trophæum cum duobus captivis assidentibus , quod horum solemnium indicium ut variis exemplis infra adducendis, constabit.

81. *M. Plautus Silvanus*, & *M. Annius Pollio*. Tito Idibus Septembris de mortuo , Domitianus ejus frater imperavit.

82. *Domitianus Aug. VIII.* & *T. Flavius Sabinus* juxta I. Reg.

83. *Domitianus Aug. IX.* & *T. Virginius Rufus*. Domitiani Consulatus juxta II. Reg. Quindecennalia nempe Cæsarei ejus Imperii, nisi anno præcedenti ea ediderit, quod significare videtur Eusebius in Chronico eodem anno : *Domitiani uxor Augusta appellatur : Decreto Senatus Tius inter Divos refertur.*

84. *Domitianus Aug. X.* & *Ap. Iunius Sabinus*. Hunc Consulatum Domitianum sumpsisse existimo quod anno Christi 79. incenso à Vitalianis Capitolio, clam ipse elapsus apud Aedituum delituit : *Ac potiente rerum patre, disjecto Aeditui concuberno, modicum Sacellum JOVI CONSERVATORI, Aramque posuit, casusque suos in marmore expressit. Mox Imperium adeptus JOVI CUSTODI, templum ingens, seque in sinu Dei sacravit,* inquit Tacitus lib. 3. Hist. quod hoc anno factum fuisse nummus, qui in gaza Medicea extat, demonstrat, in eo enim legitur ; IMP. CAES. DOMITIAN. AUG. GERM. COS. X. & in altera parte : JOVI CONSERVAT. S. C. Qui titulus, qui hoc anno primum apparuit, in successorum Principum, præfertimque Joviorum nummis passim legitur, viguitque usque ad Constantinum Magnum, qui Jovis conservatoris, aliisque id genus nominibus veritis, victricis Crucis Trophæum, ac Christi Servatoris nomen in nummis obsignari jussit. Martinianus, quem Licinius anno 324. Augustum creavit ultimus omnium fuit, qui hoc nomen nummis inscripsit. Tristanus enim tomo 3. nummi ectypum exhibet, in quo legitur : D. N. M. MARTINIANUS P. F. AUG. & in postica parte : JOVI CONSERVATORI. Cùm itaque Martinianus anno 325. vel occisus, vel in Cappadociam relegatus fuerit, liquet hunc titulum per annos amplius ducentos quadraginta in usu fuisse, ejusque primariam institutionem Domitianoc apellendi Consulatus causam præbuisse. Norisius in Dissertat. de Numismat. Licinti cap. 5. hæc, & plura alia de eo titulo profert.

85. *Domitianus Aug. XI.* & *T. Aurelius Fulvius*. Domitianus hoc

XII.
Imperium
Domitiani.

anno de Germania triumphavit; inveniuntur enim nummi, in quibus ejus Consulatus undecimus legitur visiturque Germaniæ captæ typus sedentis in terra, cum his verbis: *Germania capta*. Præterea Quinquennalia Augustei ejus Imperii in hunc annum incidunt, quod pertinent hæc Eusebii in Chronico verba: *Primus Domitianus Deum se, & Deum appellari iussit.*

86. *Domitianus Aug. XII. & Servius Cornelius Dolabella.* Primus agon Capitolinus hoc anno à Domitiano institutus est, qui cum Capitolino Jovi sacer fuerit, ut docet Suetonius in Domitiano cap. 4. non indè tantum hujus Consulatus, sed & hujusmodi agonis causa huc usque obscura in lucem profertur. Non contentus enim Domitianus Jovi, quod incenso Capitolio servatus fuisset, ut supra diximus, magnificentum templum dicasse, voluit, & Quinquennale certamen Olympiadum instar celebrandum instituere, utque utraque solemnitas, cujus idem finis erat, majori pompâ fieret, Consulatum X. & XII. assumpsit.

87. *Domitianus Aug. XIII. & A. Volusius Saturninus.*

88. *Domitianus Aug. XIV. & Mimus Rufus.* Sumptus is Consulatus à Domitiano propter septimos Ludos seculares quos edidit juxta VI. Reg. & propter Vicennalia Cæsarei Imperii.

89. *Titus Aurelius Fulvus II. & A. Sempronius Atratinus.*

90. *Domitianus Aug. XV. & Cocceius Nerva II.* Decennalia Imperii Augustei Domitiani, ejusque secundus de Germanis triumphus. Nummum enim hujus Imperatoris exhibet Occo, in quo is dicitur, GERMANICUS COS. XV. repræsentaturque Germania sedens lugubri habitu induta; quare rectè, hoc anno idem triumphus in Chronico Eusebii consignatus.

91. *M. Ulpius Trajanus Crinitus, & Manius Acilius Glabrio.*

92. *Domitianus Aug. XVI. & A. Volusius Saturninus II.* Sumptus is Consulatus propter quinta Quinquennalia Cæsarei Imperii, quæ tamen non nisi anno sequenti celebrata.

93. *Sex. Pompeius, & Cornelius Priscus,* quinta Quinquennalia Cæsarei Imperii Domitiani, quorum nota secunda persecutio adversus Christianos hoc anno excitata, ut cap. III. hujus partis ostendimus, & publicatio viginti librorum de Antiquitatibus Judaicis quæ à Josepho eorum authore, celebri hoc anno facta est. Is enim in fine lib. 20. dicit se eos scripsisse decimo tertio principatus Domitiani anno, ætatis verdè suæ sexto & quinquagesimo. Natus erat, ut optime Petavius in Chronico, anno Christi 37. quare hoc anno & nobilissimum illud opus; & annum ætatis 56. absolvit, mirumque eundem

eundem Petavium ſcribere editum in lucem fuiſſe anno ſequenti, quo idem Joſephus annum 58. inchoavit, & quinquageſimum ſeptimum abſolvit.

94. *L. Nonius Aſprenas Torquatus, & M. Arricinius.*

95. *Domitianus Aug. XVII. & T. Flavius Clemens.* Eſt hic ultimus Domitiani Conſulatus propter Auguſtei Imperii Quindecennalia ſumptus. Certum autem eſt eum aliquos libidine, non ratione aliqua, quæ ideo fruſtrà quæreretur, ſuſcepſiſſe.

96. *C. Fulvius Valens, & C. Antiftius Vetus.* Domitianus XIV. Kal. Octobris occiſus eſt, poſt quem imperavit Nerva.

97. *Cocceius Nerva Aug. III. & F. Virginius Ruſus III.* Hoc anno Trajanus Collega Imperii à Nerva renuntiatus eſt, ut patet ex Panegyrii Plinii cap.8. hic Nervæ Conſulatus juxta I. Reg.

98. *Nerva Aug. IV. & M. Ulpius Trajanus Caſar. II.* Nerva juxta III. Reg. Trajanus juxta I. Conſul proceſſit. Eodem Nervà, die 28. Januarii demortuo, Trajanus Imperium ſuſcepit.

99. *C. Soſius Senecio II. & A. Cornelius Palma.*

100. *M. Ulpius Trajanus Aug. III. & M. Cornelius Fronto II.* Trajani Conſulatus juxta I. Reg.

101. *Ulpianus Aug. IV. & Sex. Articulcius Paetus.* Sumptus is Conſulatus propter Quinquennalia Imperii Proconſularis, ac triumphum de Dacis, quem hoc anno conſignat Eusebius in Chronico.

102. *C. Soſius Senecio, & L. Licinius Sura II.*

103. *Ulpianus Aug. V. & L. Appianus Maximus II.* Quinquennalia Auguſtei Imperii Trajani, ut ejus Conſulatus oſtendit.

104. *Sura II. & P. Neratius Marcellus.*

105. *Tiberius Julius Candidus II. & A. Julius Quadratus II.*

106. *L. Commodus Verus, & L. Cerealis.* Decennalia Imperii Proconſularis Trajani, quorum nota perſecutio adverſus Chriſtianos hoc anno aucta, uti diximus cap.3. hujus partis num.2. Et indicat Auctor Chronici Alexandrini his verbis: *His Coſſ. gravi bello Romanis incumbente à Perſis, Gothis, & aliis gentibus Trajanus expeditione in hoſtes ſuſcepta ſuis gratiam tributorum quoad reverteretur, fecit.*

107. *C. Soſius Senecio IV. & L. Sura III.* Decennalia Imperii Auguſtei Trajani.

108. *Appianus Annianus Trebonius Gallus, & M. Arilius Modestus Bradua.*

109. *A. Cornelius Palma II. & C. Calviſius Tullus II.*

XIII.
Imperium
Nerva &
Trajani.

110. *Clodius Crispinus, & Solenus Orfius.*

111. *L. Calpurnius Piso, & M. Vettius Bolanus.* Quindecennalia Imperii Proconsularis Trajani, quò pertinet illud Eusebii in Chronico: *Trajanus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam fecit Provincia.*

112. *M. Ulpius Trajanus VI. & C. Julius Africanus.* Quindecennalia Imperii Augustei Trajani. Ante Antoninum vota Decennalia in nummis sculpta non fuisse, cum communi opinione supra diximus. Ex nummo tamen Trajani ab Occone pag. 208. relato in quo is dicitur TR. P. COS. VI. constat hoc jam tempore eadem, licet implicitis tantum verbis, in iis signata fuisse; in postica enim parte præfati nummi sunt duæ figuræ sacrificantes ad aram, & circum VOTA SUSCEPTA. Quæ figuræ in nummis, ubi eadem vota conceptis verbis exprimuntur, sæpe etiam repræsentantur. Is itaque nummus in Trajani Decennalibus cûsus. *His Coss. Persecutio Christianorum*, inquit Idatius in Fastis.

113. *L. Publius Celsus II. & C. Clodius Crispinus.*

114. *Q. Ninnius Hasta, & P. Manilius Vopiscus.*

115. *M. Valerius Messalla, & C. Popilius Pædo.*

116. *Amilius Aelianus & L. Antistius Vetus.* Est hic vicessimus Imperii Proconsularis Trajani annus, quò cum Vicennalia edidisse ostendit monumentum ipsi Plotinæ conjugii, & Martianæ sorori positum à Senatu, populoque Romano, *quod. accessum. Italia. hoc. etiam. addito. ex. pecunia. sua. portu. tutiorem. navigantibus. reddideris.* Refert illud Onuphrius in Fastis sub hujus anni Consulibus, dicitque Anconæ in portu extare. In eo verò dicitur Trajanus T R. P O T. XVIII. Nondum itaque ea solemnia acta erant, quando hæc Epigraphæ dedicata, sed per anni decursum, quo hujusmodi festa celebrari debebant, dedicabantur, Urbes, Ecclesiæ, Inscriptiones; aliæque id genus fiebant.

XIV.
Imperium
Hadriani.

117. *Quintius Niger, & T. Vespasianus Apronianus.* die decimâ Augusti mortuus est Trajanus Hadriano successore relicto.

118. *Hadrianus Aug. II. & Claudius Fuscus Salinator.* Hadriani Consulatus juxta I. Regulam.

119. *Hadrianus Aug. III. & Q. Iunius Rusticus.* Hujus Consulatus causa triumphus, qui Trajano debitus erat, quemque Hadriano delatum recusavit ipse, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, *ut optimus Imperator ne post mortem quidem triumphum amitteret dignitatem*, inquit Spartianus in Hadriano cap. 6. cujus triumphus aliquas Inscriptiones refert Onuphrius lib. 5. Fast. is itaque Consulatus juxta quintam Regulam.

120. *L. Catilius Severus*, & *T. Aurelius Fulvius*. Is postea in Imperio Antoninus Pius appellatus est.

121. *M. Annius Verus*, & *L. Augur*. Quinquennalia Hadriani à nobis explicata cap. 6. hujus partis ad quæ referendum quod scribit Eusebius in Chronico : *Hadrianus in Lybiam, qua à Iudæis vastata fuerat, colonias deducit*. Hujusmodi enim institutiones, annis quibus similia festa celebrabantur, factas, constat ex nummo Imp. Commodi ab Occone relato, annoque Christi 186. quo prioris Imperii Augustei Decennalia edidit, percusso, in quo legitur : COL. L. AN. COM. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. id est, *colonia Lucii Antonini Commodi*, ut viri docti rectè interpretati sunt ex colono cum bove, & vacca, coloniarum deductarum typo. Quam interpretationem Hadriani Quinquennalia germanam esse ostendunt.

122. *Manius Acilius Aviola*, & *C. Corellius Pansa*.

123. *Q. Arrius Patinus*, & *C. Venidius Apronianus*.

124. *Manius Acilius Glabrio*, & *C. Bellicius Torquatus*.

125. *P. Cornelius Asiaticus II.* & *Q. Vettius Aquilinus*.

126. *Vespronius Candidus Verus* & *Ambiguis Bibulus*. Hadrianus Decennalia edidit, ut cap. 5. hujus partis num. IX. & cap. 3. ostendimus.

127. *Gallicanus*, & *Cælius Titianus*.

128. *L. Nomius Asprenas Torquatus*, & *M. Annius Libo*.

129. *P. Inventius Celsus II.* & *Q. Iulius Balbus*.

130. *Q. Fabius Catullinus*, & *M. Flavius Aper*. Hadrianum hoc anno Quindecennalia edidisse, unoque anno anticipasse magna mihi suspicio est. Nam licet, uti cap. 5. hujus partis num. VI. diximus, initio Imperii decrevisset ea anno decimo quinto exacto celebrare, nihilominus cum Athenis esset, videtur ea edidisse. Eusebius enim in Chronico ad annum Abrami 2147. qui in currenti anno Christi, mense Septembri incipit, scribit : *Salvius Iulianus perpetuum composuit Edictum*, qua de re videnda *Const. de veter. jur. emendand.* Eò præcipiebatur, ut idem jus in toto Romano Imperio administraretur, omnesque civitates Romanæ Urbis consuetudinem sequerentur. Tum anno sequenti scribit idem Eusebius : *Hadrianus Athenis Hyemam exigens Eleusinam invisit*. Quod tamen hoc anno contigisse videtur. Hadrianus enim *Aviola & Pansa Consulibus*, anno nempe Christi 122. ex Hispania in Orientem profectus est, ut docet Chronicon Alexandrinum, in quo legitur : *His Cons. Hadrianus in Aegyptum profectus condidit Antonium Theaidis III. Kal. Novemb.* Eodemque anno Athenas venit ut habet Eusebius in Chronico, consentitque

que Dio lib. 19. ubi narratâ morte Euphratis Stoici Philosophi, dicit Hadrianum in varias Provincias, regionesque, visendi causâ, profectum esse; quæ mors ab eodem Eusebio anno 121. consignatur. Tunc anno 125. idem Eusebius hæc habet: *Hadrianus sacris Eleusina initiatus multa Atheniensibus dona largitur.* Quare hoc anno ad Eleusina sacra admissus est. Id enim consueverat fieri in mysteriis magnis, quæ celebrabantur die vicesima Boëdromionis, quovis anno, secundo alicujus Olympiadis, ut testis est Plutarchus. Hoc autem anno cœptus annus secundus Olympiadis 227. præterea Onuphrius sub hujus anni Consulibus hæc Inscriptionem refert.

M. ULPIO. AUG. LIB. PHAEDIMO
 DIVI. TRAJANI. AUG. A. POTIONE
 ITEM. A. LAGUNA. ET TRICLINIARCH
 LICTORI. PROXIMO. ET. A. COMMENT
 BENEFICIOR. VIXIT. ANNIS. XVIII
 ABCESSIT. SELINUNTE. PRID. IDUS. AUGUS
 NIGRO. ET. APPRONIANO. COS
 RELIQUIAE. TRAJECTAE. EJUS
 III. NON. FEB. EX. PERMISSU
 COLLEGI. PONTIFICUM. PIACULO. FACTO
 CATULLINO. ET. APRO. COS
 DULCISSIMAE. MEMORIAE. EJUS
 VALENS. AUG. LIB. PHAEDIMIANUS
 A. VESTE. BEN. MER. FECIT

Cap. 3. hujus partis num. XVI. diximus Principum ossa annis, quibus Quinquennalia & id genus festa celebrabantur, translata aliquando fuisse; cujus rei hæc Inscriptio forsân argumentum. Nam de plebeiorum corporibus certum id observatum non fuisse, imò & ea sine necessitate, & Magistratus permissione transferre non licuisse, ut ostendit etiam Gothofredus in Commentario lib. 9. Cod. Theod. tit. 17. *de sepulchris violatis* l. 2. & 7. ubi & monumentum refert, quò cuidam privato hujusmodi translatio permittitur, his verbis subscriptum. FERETRIUM FIERI PLACET. EUBENTIUS CELSUS PROMAGISTER SUBSCRIPSI III. NONAS NOVEMB. ANTIO POLLIONE, ET OPIMIANO COS. ORDINAR. SEVERO.
 ET

ET SABINIANO COS. anno nempe Christi 155. quò nulla id genus festa celebrata sunt. Quam conjecturam proponendam duxi, ut videant viri docti an illa sit admittenda.

131. *Octavius Pontianus*, & *M. Antonius Rufus*, vel *Rufinus*.

132. *Sentius Augurinus*, & *Arrius Severianus*.

133. *Hiberus* & *Iunius Silanus Sisenna*.

134. *Servilius Servianus*, & *C. Vibius Inventius Verus*.

135. *Pompeianus Lupercus*, & *L. Julius Atticus Acilianns*.

136. *L. Ceionius Commodus Verus*, & *Sex. Fulvius Civica Pompeianus*. Hadrianum hoc anno Vicennalia celebrasse non sequenti, ut perperam Onuphrius & Calvisius consignant, duo ostendunt. Primum, Eusebius in Chronico scribit: *Ælia ab Ælio Hadriano condita*, quæ urbs progressu temporis Hierosolyma vocata fuit. Secundum, Hadrianus eundem Ceionium Consulem Ælium Verum dictum adoptavit, & Cæsarem nuncupavit, uti explicavimus parte 1. cap. 3. num. XIII.

137. *I. Ælius Verus Caesar II.* & *P. Calpurnius Balbinus*. Ælii Consulatus juxta I. Regulam.

138. *Sulpicius Camerinus*, & *Quinctius Niger Magnus*. Kalendis Januariis Ælio Vero demortuo, Hadrianus quinto Kalendas Martias T. Ælium, Antoninum Pium postea dictum, Marcum Aurelium, & Lucium Verum ejusdem Ælii Veri filium adoptat, ac præterea Antoninum Collegam Imperii renuntiat. Tum die decima Julii moritur.

XV.
Imperium
Antonini
111.

139. *Antoninus Pius Aug. II.* & *Bruttius Prasens*. Juxta primam Regulam. Hoc anno *Consulem secum Pius Marcum designavit*, & *Cæsaris appellatione donavit*, inquit Capitolinus in Marco cap. 6.

140. *Antoninus Pius Aug. III.* & *M. Aurelius Caesar*. Antonini Consulatus juxta tertiam Regulam, Marci verò juxta primam.

141. *M. Peducanus Syloga Priscinus*, & *T. Flavius Severus*.

142. *L. Cuspius Rufinus*, & *L. Staius Quadratus*. Hoc anno Antoninus Quinquennalia celebravit, ut deducitur ex Inscriptione Tribunitiâ quintâ ejusdem Imperatoris insignitâ, quam Onuphrius sub his Consulibus refert, in qua dicitur Antoninus sacrum certamen Isclasticum Puteolis instituisse, quod anno secundo cujuslibet Olympiadis celebrabatur. De quo certamine videnda, quæ scribit Trifstanus tom. 3. pag. 6.

143. *C. Bellicius Torquatus*, & *Tib. Claudius Herodes*. Quinquennalia Imperii Augustei Antonini.

144. *Lollianus Avianus*, & *C. Gavius Maximus*. Quinquennalia

lia Imperii Cæsarei Marci Aurelii , ut virilis Toga Lucio Vero data manifestum facit. Natus is erat *decimo octavo Kalendas Ianuarias*, ut ait Capitolinus in ejus vita cap. 1. qui capite sequenti addit, *post septimum annum in familiam Aureliam traductum fuisse*, anno nempe Christi 138. quo cum Marco, & Antonino ab Hadriano adoptatus est. Quare Natale ejus in annum 130. incidit, cumque Toga virilis anno ætatis decimo quarto exacto concedi soleret, non tantum liquet eam hoc anno Lucio Vero datam, sed & dedicationem templi ab Antonino Pio in Hadriani honorem constructi etiam peractam, insuperque Marcum Quinquennalia edidisse: *Qua die Togam virilem Verus accepit, Antoninus Pius ex occasione qua patris templum dedicabat, populo liberalis fuit: mediusque inter Pium & Marcum idem resedit, cum Quæstor populo munus daret*, inquit Capitolinus loco laudato cap.3. Sic Severus Getæ minori filio annum decimum quintum ingresso, anno quo Decennalia celebravit, Togam virilem dedit, ut infra videbimus. Ex quo & conjicere licet celebria quæque in hujusmodi solemnium annos reservari solitum fuisse.

145. *Antoninus Pius Aug. IV. & M. Aurelius Cæsar II.* Sumptus hic Consulatus ob varias expeditiones militares, de quibus Capitolinus in Antonino Pio cap. 5.

146. *Sex. Erucius Clarus II. & Cn. Claudius Severus.*

147. *M. Valerius Largus, & M. Valerius Messallinus.* Marcus Aurelius Cæsar Imperii Collega ab Antonino Pio renunciatus est, ut testis est Capitolinus in Marco cap.6. quæ nuncupatio Imperii Cæsarei Antonini Decennalia in hunc annum incidisse indicat. Ad hæc Chronicon Alexandrinum: His Coss. æs alienum requisitum, tabulæ creditorum ab Antonino Augusto exustæ.

148. *C. Bellicius Torquatus II. & M. Salvius Iulianus II.* Facilius in posterum erit Decennalia, Vicennaliaque Imperatorum reperire, cum, ut alibi diximus, ab Antonini Pii tempore nummis ea insculpta fuerint. Norisius dissert. de vot. Decennal. cap.3. nummum exhibet, in quo legitur: ANTONINUS AUG. PIUS P.P. TR. P. XI. & in averfa parte, PRIMI DECENNALES COS. IIII. quæ Tribunitia potestas XI. hoc anno cœpta.

149. *Cornelius Scipio Orfitus, & Q. Nonius Priscus.* Decennalia Imperii Cæsarei Marci.

150. *Gallicanus, & Antistius Vetus.*

151. *Quintilius Gordianus, & Quintilius Maximus.*

XVI.
Lucius Verus
fuit Cæsar.

152. *Sex. Acilius Glabrio, & C. Valerius Omellus.* Lucius Verus Antonini Pii adoptivus filius, qui huc usque privatus vixerat, à patre

à patre Cæsar nuncupatus est. Id quidem veterum, imo & recentiorum nullus, quem legerim, scripsit, sed illud ex Capitolini in Vero cap. 3. verbis, triumque ejus Consulatum ordinariorum dispositione colligo: *post quaesturam statim Consul est factus cum Sextilio Laterano*, qui Consulatus in annum 154. incidit, hisque verbis à Dione lib. 70. in Indice Consulari refertur: *L. Aurelius Cæsar, & Sextilius Lateranus*. Quæstor itaque anno sequenti Lucius fuit, qui licet vicessimum secundum annum tantum ageret; quia tamen ad Imperium destinabatur, gratia ætatis ei facta, sicuti Marco facta fuerat. Hic, ut tradit Capitolinus in ejus vita cap. 6. dum quaesturam gereret, Cæsaris appellatione donatus est. Lucio autem hoc anno, quò Imperii Augustei Antonini Quindecennalia, Marci verò imperii Proconsularis Quinquennalia celebrata sunt, idem honos attributus, ut etiam secundus, & tertius Lucii Consulatus Decennialibus, & Quindecennialibus destinati declarant. Unde hic Capitolini locus in Vero cap. 2. *fuitque privatus in domo Imperatoria viginti & tribus annis*, mendosus est, nisi ipsemet Auctot erraverit: Legendum enim, *tredecim annis*, loco *viginti & tribus annis*. Scriptum forte erat in exemplari XIII. postea per errorem XXIII. tandemque sine numeris exaratum, *viginti & tribus annis*. Quomodo enim privatus post hunc annum Lucius, qui non tantum Quæstor & iterum Consul fuit, sed & Cæsareâ dignitate exornatus? Quem erroré sequentia ejusdem Auctoris verba satis aperiunt: *diu autem & privatus fuit, & eâ honorificentia caruit, qua Marcus ornabatur*, (his annis ab anno 139. Cæsar erat) *namque in Senatu ante Quaesturam non sedit, neque in itinere cum patre, sed cum Præfetto Prætorii vectus est; nec aliud ei honorificentia ad nomen adjunctum est, quam quod Augusti filius est appellatus*. Per annos itaque tredecim privatus & filius tantum Augusti; per annos verò decem, Imperante Antonino, Cæsar fuit. Denique in nummis apud Goltzium Lucius dicitur tantum Cæsar, quod si Marcus, ubi Imperium adeptus est, eum Cæsarem & Augustum simul dixisset, in omnibus diceretur Augustus. Quare quando Capitolinus in Marco cap. 7. ait: *Lucium Aurelium Verum Commodum appellavit, Cæsaremque atque Augustum dixit, benignè explicandus est*; nihil enim aliud significare intendit, quam Marcum omnia supremæ Potestatis nomina in eum contulisse.

135. *Bruttius Præfens II. & M. Antonius Rufinus*. Quinquennalia Augustei Imperii Antonini. Occo refert epigraphen nummi hujus Imperatoris Trib. Pot. XVI. notatim, in cujus postica parte visitur figura diffundens cornucopiæ, in qua legitur: LIBERALITAS AUG. COS. III.

154. *Lucius Aurelius Caesar, & Sextilius Lateranus.* Lucii Consulatus juxta I. Regulam. Quindecennalia Imperii Cæsarei Marci.

155. *C. Julius Severus, & M. Rufinus Sabiniannus.*

156. *Plautius Silvanus, & Sentius Augurinus.*

157. *Barbatus, & Regulus.* Decimus annus Imperii Proconsularis Marci.

158. *Q. Flavius Tertullus, & Licinius Sacerdos.* Vicennalia Imperii Cæsarei Antonini Pii à nobis explicata capite septimo hujus partis num. 3.

159. *Plautius Quintillius, & Statius Priscus.* Vicennalia Imperii Augustei Antonini uno anno dilata, ut loco mox laudato ostendimus. Præterea vicesimus est hic annus Imperii Cæsarei Marci.

160. *T. Vibius Barus, & Annius Bradua.*

161. *M. Antoninus Verus Cæsar III. & Lucius Aurelius Cæsar II.* Ita hos Consules edit Dio. Die septimâ Martii obiit Antoninus Pius, cui Marcus Aurelius successit, qui Lucium Verum consortem Imperii fecit. *Tuncque primum Romanum Imperium duos Augustos habere capit,* inquit Capitolinus in Marco cap. 7. Quare nova Reipublicæ Romanæ administrandæ forma inducta; priorque in qua, vel soli Augusti, vel ii cum uno Imperii Collega eam hucusque rexerant, extincta: quam cum viri docti aut non adverterint, aut negarint, in alio opere demonstrabo.

CAPUT DUODECIMUM.

Consulatum Cæsareorum à pluribus Augustis simul imperantibus usque ad Imperii divisionem Rationarium, ac Decennalium & id genus solemnium ordinatio juxta nostras Regulas.

1. **A**gredimur Consulatum Cæsareorum, qui per secundam regiminis Reipublicæ Romanæ formam Fastos illustrarunt, ac eorum Quinquennialiorum, & id genus festorum explicationem; quæ utraque longè in posterum faciliora, quod ad Consulatum causas è tenebris eruendas Regulæ omnes conducant, cum contra in superiori capite earum subsidio diù destituti fuerimus. Præterea hujusmodi festa in nummis sculpta sæpè reperiuntur, in iisque celebrandis, Imperatores post Commodum, Consulatum ut plurimum sumpserunt. His solemnibus

*Anni quibus
Quinquen-
nalia & id
genus festa
celebrata
nunc facilio-
ra.*

lemnibus jam diù ſine dubio Chronica & Annales ſignati fuiſſent, ſi quanta ex iis emolumenta hauriri poſſent, Chronologi intellexiſſent. Et quidem Marcellinus in Chronico, Idatius in Faſtis, & Au-
tor Chronici Alexandrini, qui eorum aliquando mentionem fecê-
re, ſuſpicandi locum iis præbere poterant, ex ſimilibus obſervationi-
bus aliquam poſſe percipi utilitatem. Neque enim aliter in tam parvis
operibus de iisdem identidem locuti fuiſſent. Res nihilominus hæc-
tenuſ in obſcuro fuit, & quaſi nihil afferret quò Historia, Chronolo-
giaque locupletarentur, neglecta. Quare eo accuratiùs hîc pertra-
ctanda.

Anno itaque Chriſti 161. M. Antoninus Verus Cæſar III. & Lu-
cius Aurelius Cæſar II. Faſtis nomen dedêre. Is Conſulatus ejuſdem
Marci Proconſularis Imperii Quindecennialibus, & Cæſarei Imperii
Lucii Decennialibus addiçtus fuit. Ex quo & confirmatur quod jam
diximus, Lucium anno 152. creatum fuiſſe Cæſarem; quod & Quæ-
ſtura ab eodem, anno 153. geſta, oſtendit. Sic enim Germanicus,
ipſeque Marcus, cùm Cæſares nuncupati ſunt, Quæſtores in annum
ſequentem ſunt designati. Septimâ Martii die, Antonino demortuo
Marcus Imperium ſuſcepit, & uti jam diximus, novum morem in-
duxit, Lucium non Imperii Collegam, qualis ipſemet imperante
Antonino fuerat, ſed Auguſtum renuncians. Cùm porrò extant num-
miſmata, in quibus legitur. AURELIUS CAESAR AUG. PII.F. &
in poſtica parte T.R. P. X.V. C.O.S. III. liquet eum anno 147.
ante diem ſeptimum Martii Collegam Imperii declaratum fuiſſe; cùm
iis in nummis Tribunitia poteſtas XV. & Conſulatus tertius hoc
anno ab ipſo ſuſceptus, memorentur, ipſeque in iis non Auguſtus,
ſed Cæſar tantùm, & filius Auguſti dicatur. Eâ itaque dignitate, ut
conſpicere licet, quinto Kalendas Martias donatus, quò ad eam An-
toninus eveçtus fuerat, ipſeque adoptatus: quæ ſcrupuloſiùs investi-
gare juvat, quia ut liqueat an Cæſares, vel Imperatores legitimo
tempore Decennialia, & id genus feſta ediderint, eorum dies Natalis,
quo de more ea fiebant, ſciendus.

162. *Q. Iunius Ruſticus, & Veitius Aquilinus.*

163. *L. Papirius Aelianus, & Iunius Paſtor.* Quinta Quinquen-
nalia Cæſarei Imperii Marci Aurelii: *Maximis in Aſia in Chriſtianos*
motis tumultibus, multi pro Chriſto occubuere Martyres. Ita Chronicon
Alexandrinum ſub hujus anni Coſſ. hic eorum ſolemniùm effectus,
& index.

164. *C. Iulius Macrinus, & L. Cornelius Celfus.*

165. *Servilius Pudens, & Cornelius Scipio Orſtus.*

166. *Servilius Pudens II. & T. Pollio.* Capitolinus in Marco cap. 12. habet: *Petit Lucius, ut secum Marcus triumpharet; præterea ut filii Marci Caesares appellarentur.* Quibus ex verbis colligitur Marci & Lucii triumphum Parthicum, eodem anno, quo Commodus à Patre Cæsar dictus est, actum; docet autem Lampridius in Vita Commodi cap. undecimo Cæsaream dignitatem hoc anno Commodò attributam: *Nominatus inter Caesares quarto Iduum Octobrium Pudente & Pollione Coss.* Quare rectè in Chronico Eusebii secundùm Editionem Pontaci & in Chronico Cassiodori in hunc annum, perperam verò in superiorem in Editione Scaligeriana is triumphus conjectus. Ea nuncupatio, triumphusque utrumque Imperatorem, Augustei Imperii Quinquennalia, ac præterea Marcum Proconsularis Vicennalia celebrasse indicant, non minùs quam Apologia Athenagoræ, ejusque Legatio pro Christianis, in quos persecutio deservibat, hoc anno suscepta. Quæ de re videnda quæ diximus capite tertio hujus secundæ Partis, numero decimo. Ante obitum enim Lucii eam Apologiam oblatam fuisse titulus ejus clarè demonstrat. IMPERATORIBUS M. AURELIO ANTONINO, ET AURELIO COMMODO, ARMENIACIS, SARMATICIS, ET QUOD MAXIMUM EST, PHILOSOPHIS. Neque enim Commodus dictus est Philosophus, vel Armeniacus, sicuti Lucius Verus, qui in titulo Apologiæ sancti Justini, quæ secunda appellatur in Editionibus vulgaris, dicitur *doctrina amator*, ut videre est apud Eusebium lib. 4. cap. 12. Lucium verò vocatum fuisse Aurelium Commodum patet ex multis Inscriptionibus, uti ea quæ refertur à Grutero pag. 300. in qua legitur.

M. AELIO. AURELIO. VERO. CAESARE. III.
L. AELIO. AURELIO. COMMODO. II. COS.

Quæ dedicata est initio anni 161. antequam uterque Augustum Imperium obtinuisset. Vicennialium Marci hoc anno actorum fidem facit nummus apud Oconem, in quo legitur TR. P. XX. COS. III. PIETAS AUG. cerniturque figura sacrificans: iis enim in solemnibus sacrificia oblata fuisse, & in nummis eadem vota expressè exhibitibus figuram sacrificantem cœni jam dictum est alibi.

167. *L. Aurelius Verus Aug. III. & T. Quadratus.* Quindecennalia Imperii Cæsarei Lucii Veri, qui ob ea Consulatum sumpsit, utque etiam in Consulatus Marco æquaretur. Ostendit præterea idem Consulatus Lucium anno 152. dictum fuisse Cæsarem.

168. T. Iunius Montanus, & L. Vettius Paulus.

169. Solius Priſcus, & Q. Cælius Apollinaris. Lucius Verus apud Altinum periit, idque Apoplexiâ & mediâ hieme, ut docet Galenus. Tricennalia Imperii Cæſarei Marci, quorum ſignum, quæ ſcribit Chronicon Alexandrinum: *Melito Aſiaticus Sardiceniſum Pontifex, & Apollinaris Hierapoleos Antifex, & complures noſtra profeſſionis aliis Apologeticis Marco Aurelio Antonino obſulere.* Idem habet Euſebius in Chronico, qui & in Hiſtoria lib.4. cap.26. Melitonis Apologetici fragmentum refert, ut diximus cap.3. hujus, ſecundæ partis num.X. Errarunt itaque Baronius in Annalibus, qui eundem libellum anno 172. Petavius in Chronico, Henſchenius tomo 1. menſis Aprilis die 1. ubi Sancti Melitonis vitam explicat, alii que qui anno 170. Marco oblatum fuiſſe ſcripſere; ejuſdem enim Marci Tricennalia Auctori Chronici Alexandrini fidem omnem conciliant. Citat quidem idem Henſchenius Chronicum Canonem Euſebii, in quo ſub Clari, & & Cethegi Conſulatu, qui in annum ſequentem incidit, de ea Melitonis Apologia ſermo eſt. Sed jam ſupra monuimus Scaligerum nullâ antiquorum Codicum fide innixum Conſules eidem operi addidiſſe, eique plura attribuiſſe, quæ Africani, vel aliorum Auctorum ſunt.

III.
Mortuo hoc
anno Vero
Lucius Mar-
cus imperat
ſolus.

170. M. Cethegus, & L. Iunius Clarus.

171. L. Septimius Severus II. & Herennianus. Nonis Martii Marcus Aurelius Auguſtei Imperii Decennalia celebravit; viſuntur enim nummi his notis obſignati: IMP. M. ANTONINUS. AUG. TR. P. XXV. & in poſtica: VOTA SOL. DECENN. COS. III. S. C. Item PRIMI. DECENNALES. Item VOTA SUSCEPTA DECENN. II. COS. III. Quinta etiam Quinquennalia Imperii Proconſularis Marci. Quare non mirum ſi perſecutio adverſus Chriſtianos exarſit, ut ex Euſebio oſtendimus cap.3. hujus ſecundæ partis num. 3. Revocandum etiam huc, quæ ex Dione diximus cap. 5. num. VI. cui illud ex Euſebio in Chronico addendum: *Imperatores multis multa largiti ſunt: & pecuniam qua fiſco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romana urbis foro incendi fecerunt: ac ne quid bonitati deeſſet, ſeveriores quaſque leges novis conſtitutionibus temperarunt.* Quintus hic etiam annus eſt Imperii Cæſarei Comodi.

172. Claudius Maximus, & Cornelius Scipio Orſitus.

173. Claudius Severus II. & Claudius Pompeianus.

174. Annius Gallus, & Flaccus. Septima Quinquennalia Imperii Cæſarei Marci hoc anno, vel præcedenti acta. Quare contigit ut per

per hæc tempora tot Martyrum sanguine Ecclesia illustrata fuerit.

175. *Calpurnius Piso, & M. Salvius Iulianus.* Commodus Cæsar induit est *Toga nonarum Iuliarum die, & eo tempore quo Cassius à Marco desciuit*, inquit Lampridius in Commodo cap.2. Natus is erat pridie Kalendas Seprembres, *patre, patruoque Consulibus*, inquit idem Lampridius, anno nempe 161. unde anno ætatis decimo quarto exunte Togam virilem sumpsit, & ineunte Julio Cassii defectio contigit. Præterea hoc anno Tribunitia potestate & Imperio Proconsulari idem Commodus donatus est; in ejus enim Epitaphio ab Onuphrio in Fastis relato legitur: TRIBUNITIAE POTEST. XVIII. IMP. CONSULI VII. Quare si ultima nocte anni 192. quo occisus est, Tribunitiam potestatem XVIII. gerebat, primam hoc anno iniisse necesse est. Decennalia Imperii Cæsarei ejusdem Commodi hæc duo solemnia decorarunt.

176. *T. Vrasius Pollio, & M. Flavius Aper.* Commodus quinto Kalendas Decembres Imperator à patre dictus est, & triumphavit cum patre decimo Kalendas Januarias sub hujus anni Consulibus, ut docet Lampridius in Commodo cap.12. hæc quo indicant Marcum Imperii Augustei Quindecennalia hoc anno edidisse.

177. *L. Commodus Aug. & Plautius Quintillus.* Commodi Consulatus juxta I. Regulam, qui & ostendit Marcum Proconsularis Imperii Tricennalia edidisse, quam in rem facit nummus ab Erizzo pag.317. relatus in quo legitur: M. ANTONINUS AUG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. In cujus averfa parte visitur figura stans quæ sacrificat cum his verbis VOTA PVBLICA IMP. VIII. COS.III. P.P. ex quo & discimus plura ex iis Numismata in quibus eadem verba *vota publica* leguntur, annis quibus Decennalia acta, percussa fuisset.

178. *Vettius Rufus, & Cornelius Scipio Orfitus.*

179. *Commodus Aug. II. & Vespronius Verus.* Octava Quinquennalia Imperii Cæsarei Marci, quæ hujus Consulatus causa, sicuti & profectio ejusdem Commodi ad bellum Germanicum, anno elapso suscepta, ut docet Lampridius in Commodo cap.12. Notatu dignum quod sub his Coss. habet Chronic. Alex. *Commodus dum imperavit, decreta contra Christianos sustulit.* Qui effectus præfatorum Marci solemnium, sicuti quod Cassiodorus in Chronico de eodem Marco Aurelio, qui & Antoninus ac Verus dictus est, tradit: *His Coss. Antoninus Verus adeò in Editione munerum magnificus fuit, ut centum simul Leones exhibuerit.*

IV.
Imperium
Commodi.

180. *Bruttius Prasens, & Quintillus Gordianus.* Marco Aurelio die

die decima septima Martii, ut ex Dione & Tertulliano constat, de mortuo, Commodus solus imperat. Is veterem morem Quinquennialia & id genus festa cum Trabea Consulari edendi renovat. Est hic annus decimus quintus Imperii Cæsarei ejusdem Commodi inchoatus. Quo cum edidisse Quindecennialia ostendit ejus triumphus de quo Euseb. in Chronic. *Commodus de Germanis triumphavit.*

181. *L. Aurelius Commodus Aug. III. & Antistius Burrus.* Commodi Consulatus juxta I. Regulam. Quinquennialia Imperii Proconsularis vivente patre suscepti, ut ostendimus cap. 7. hujus 2. partis num. IV.

182. *Petronius Mamertinus, & Trebellius Rufus.*

183. *L. Aurelius Commodus Aug. IV. & M. Aufidius Victorinus.* Quinquennialia Imperii Augustei vivente patre suscepti, de quibus suo loco actum.

184. *M. Eggius Marcellus, & M. Papyrius Elianus.* Quinquennialia Imperii post mortem patris administrati. Euseb. in Chronic. *Therma Commodiana Roma facta: Commodus Septembrem mensem nomine suo appellavit.* Ita etiam his Coss. Cassiodorus; in editione verò Scaligeri hæc partim anno præsentis partim præcedenti referuntur. Sed quidquid sit, constat annis, quibus hujusmodi solemnia acta, & opera publica constructa, & insignes mutationes factas fuisse. Decennialia Imperii Proconsularis Commodi.

185. *Triarius Maternus, & M. Metilius Bradua.* Imperii Proconsularis Decennialia, vide dicta loco mox laudato.

186. *L. Aurelius Commodus Aug. V. & Manius Acilius Glabrio.* Decennialia Imperii Augustei Commodi ante patris mortem suscepti, ut ostendimus cap. 7. hujus secundæ partis num. IV. est etiam hic Imperii ejus Cæsarei vicesimus annus.

187. *Tullius Crispinus, & Papius Elianus.* In Chronico Alexandrino legitur: *Colosso Rhodio Commodus (Solis) caput detraxit, & suum pro illo reposuit.* ac præterea: *Therma Commodiana hoc anno dedicata Roma:* Quæ duo indicant Commodum hoc anno Tricennialia Imperii Cæsarei uno anno dilata celebrasse. Thermas enim in his solemnibus & construi, & dedicari consuevit multis aliis exemplis patebit: in lib. 2. Codicis Theodosiani tit. IX. *de pactis & transactionibus* l. 3. à Valentiniano Seniori data hanc præfert subscriptionem: *Alleg.* (id est, allegata) *Kal. April. in Basilica Thermarum Com.* Id est, Commodianarum, ubi obiter observandum in Thermis Basilicas fuisse, in quibus jus dicebatur. Unde Vopiscus in Aureliano cap. 13. *cum consedisset Valerianus Augustus in Thermis apud Byzantium, presente*

exercitum, &c. Videndus Vitruvius lib. 5. cap. 1. de Basilicis ad jus Romæ dicendum.

188. C. *Allius Fucianus*, & *Dullius Silanus*.

189. *Iunius Silanus*, & *Servilius Silanus*. Quindecennalia Imperii Proconsularis Commodi de quibus suo loco actum.

190. L. *Aurelius Commodus Aug. VI.* & *Petronius Septimianus*. Sumptus hic Consulatus à Commodo propter Decennalia Imperii Commodi post mortem patris administrati juxta secundam Regulam. Incidunt & in hunc annum quinta Quinquennalia Imperii Cæsarei ejusdem Imperatoris.

191. *Cassius Apronianus*, & *Metilius Bradua II.*

192. L. *Aurelius Commodus Aug. VII.* & *Helvius Pertinax*. Sumptus is Consulatus à Commodo propter Quindecennalia prioris ejus Imperii Augustei Cæsarei, quod, & Ludi celebres Romæ ab eo editi per quatuordecim dies indicant. Ipse Commodus Herculem se dicebat manu clavam gestans, sinistrâ cruentum gladium, quod multi occisi. Abscidit Colossi caput, sui que capitis imaginem reposuit, datâ ei clavâ, leoneque æneo subjecto, ut Herculi similis esset, de quibus Ludis plura Dio lib. 72. Ultimâ hujus anni nocte idem Commodus veneno extinguitur, ipsique incuntibus Kalendis Januarii anni sequentis Aelius Pertinax succedit.

V.
Imperium
Pertinacis,
Juliani, &
Severi.

193. Q. *Sosius Falco*, & C. *Julius Clarus*. Pertinax die vigesimâ quintâ Martii occisus est, cui successit Didius Julianus, quô Kalendis Junii pariter occiso, Severus Imperium suscepit, qui Clodium Albinum, ut Pescennium Nigrum, qui Imperium arripuerat, facilius opprimere posset, Cæsarem creavit. Porro Decennalium ope Severiani Imperii duplicem esse Epocham detexisse me arbitror. Prior desumitur ab eo tempore quo à Germanicis Legionibus, ubi auditum est Julianum cum odio cunctorum imperare, Imperator est appellatus. Spartianus in ejus vita cap. 5. dicit id factum esse apud Carnuntum Idibus Augustis. Sed certum est locum illum corruptum esse, cum Julianus, uti diximus, Kalendis Junii occisus fuerit. Legendum itaque Idibus Maii. Posterior Epocha à præfatis Kalendis Junii, quibus Julianus peremptus, deducta, ac ab utraque duplicia Quinquennalia & id genus festa.

194. L. *Septimius Severus Aug. II.* & *Clodius Albinus Cæsar*, utriusque Consulatus juxta primam Regulam. Niger vincitur in Oriente, occiditurque.

195. Q. *Flavius Tertullus*, & T. *Flavius Clemens*.

196. Cn. *Domitius Dexter II.* & L. *Messalla Priscus*. Severus contra

contra Albinum movens , apud Viminatum in Superiori Myſia Caracallam filium majorem , *apposito Aurelii Antonini nomine Caſarem appellavit* , inquit Spartianus in Severo cap. 10. quæ nuncupatio, ſicuti , & adverſus Albinum expeditio, perperam anno ſequenti à Petavio in Chronico conſignata.

197. *Claudius Lateranus, & Titus Rufinus.* Prioris Imperii Severi Quinquennalia , quemadmodum egregia opera publica ; quæ eum Byzantii feciſſe Auctor Chronici Alexandrini narrat, indicant.

198. *Haterius Saturninus, & Trebonius Gallus.* Caracalla Severi filius Imperator à patre dictus eſt Romæ , quò poſt Albinum die undècima Kalendas Martii in Galliis victum , venerat , ut habet Spartianus in Severo cap. 11. & cap. 14. factum id poſtò poſt Kalendas Junias , in quas Natale Imperii Severiani incidèbat. In inſcriptione enim , quæ Romæ viſitur in ſuperiori parte Panthei , quam infra referemus, Severus dicitur Tribunitiæ poteſtatis XI. & Caracalla TRIB. POT. V. quod oſtendit anno 203. quò Kalendis Juniiſ eam Tribunitiam poteſtatem Severus iniiit, Caracallam geſſiſſe adhuc Tribunitiam poteſtatem V. qui tamen jam ſextam ſuſcepſiſſet, ſi hoc anno ante Kalendas Junias Auguſtus dictus eſſet. Sed rectè obſervat Norſius diſſertat. de votis Decennialibus cap. 4. aliquos , annos Auguſtæ dominationis , ac Tribunitiæ poteſtatis Caracallæ numerariſ à tempore , quò is in Galliis, hujus anni initio , deſtinatus fuerat Imperator , propter quam deſtinationem in una , & altera Inſcriptione apud Gruterum pag. 267. legitur : M. AURELIO ANTONINO CAES. IMP. DESTINATO. Et in nummo infra exhibendo , annoque 217. quò occiſus eſt, cuſo, dicitur idem Caracalla Tribunitiæ poteſtatis XX. licet octavo Idus Aprilis illius anni perierit. Romæ eundem Severum Quinquennalia edidiſſe indicat quod ſcribit Herodianus lib. 3. cap. 8. magno nempe cum congiario populum Romanum proſequutum fuiſſe , & permulta induliſſe , quæ nunquam antea acceperant, ac præterea Getam filium natu minorem Cæſarem renunciariſe oſtendit locus Herodiani lib. 3. cap. 9. à Petavio in Chronico anno ſequenti , in quem perperam Caracallæ , Getæque nuncupationes conjicit, non intellectus: *ἀνατίθεαι ἡ ἰκανὸς χρόνος ἐν τῇ Πάμῃ τίς τε υἱὸς αὐτοῦ ποιῶν τῆς βασιλείας ἢ αὐτοκράτορας ἀποδίδας &c.* Id eſt , *igitur aliquamdiu Roma moratus, participato filii Imperio, exercitum in Orientem eduxit.* Putat enim Petavioſ vocem illam *αὐτοκράτορας* , non niſi de Imperio Auguſtæo intelligendam eſſe , ſed, uti jam oſtendimus, in ſecunda, & tertia adminiſtrationis Imperii Romani forma Cæſares , ipſeque nominatim Geta in nummiſ Græciſ Imperatores dicti ſunt.

199. P. Cornelius Anulinus II. & M. Aufidius Fronto.

200. Claudius Severus , & C. Aufidius Victorinus.

201. L. Annius Fabianus , & M. Nonius Mucianus. His Coss. *Therma Severiana apud Antiochiam , & Roma facta , & Septizodium instructum est.* Ita Cassiodorus in Chronico. Sed legendum *Septizonium extructum* , ut habet Eusebius in Chronico , in quo tamen perperam hæc in annum præcedentem conferuntur, tam in editione Pontaci , quàm Scaligeri , nisi mavis dicere , ut verosimilius est , Eusebium annum non definire ; ait enim hæc facta esse *Severo imperante.* Hæc opera publica , prioris Imperii Severi Decennialium signum : quæ duo numismata , ab Occone relata , hoc anno facta , ideoque anno uno anticipata , demonstrant. In priori legitur : SEVERUS PIUS AUG. PART. MAX. P. M. TR. P. VIII. In averfa parte cernitur Trophæum cum duobus captivis : quæ repræsentatio in nummis in quibus Decennalia sculpta sunt , sæpe visitur. Sed validior probatio , quæ ex altero nummo , eadem Tribunitia potestate nona , quam hoc anno iniit Severus , notatô defumitur ; in ejus enim averfa parte legitur : VOTA SUSCEPTA XX. cerniturque figura stolata , & velata stans , dextra pateram coram Ata accensa aut Tripode tenens. Quæ etiam repræsentatio in nummis Decennialiorum & id genus festorum sæpe expressa. Incidunt & in hunc annum Quinquennalia Imperii Cæsarei Caracallæ , quemadmodum diximus cap. 3. num. 4. hujusce partis : quorum indicia , quæ Spartianus in Severo cap. 16. scribit : *cum Antiochiam transisset (Severus) data virili Toga filio majori , secum eum Consularem designavit , & statim (id est, anno sequenti , quam significationem ea particula aliquando habet) in Syria Consulatum inierunt.* Natus erat Caracalla anno Christi 188. die sextâ Aprilis , qui & ejus emortualis dies fuit. Scribit enim Dio libro 78. vixisse eum annos 39. Quare hoc anno , quo ætatis decimum quartum ingressus est , ei Toga maturata est. Quod & indicat Quinquennalia ejus hoc anno celebrata esse. Quo & sexta persecutio cœpta , quæ anno sequenti magis exarsit. Rejiciendus itaque communis Chronologorum error ejusdem persecutionis initium eo anno consignans.

202. L. Septimius Severus Aug. III. & Aurelius Antoninus Caracalla Aug. Quinquennalia Imperii Cæsarei Getæ. Quæ duo indicant , primùm persecutio adversus Christianos aucta , ut cap. tertio hujus partis , num. quarto diximus ; secundùm Toga hoc anno eidem Getæ data. Scribit enim Spartianus in Severo cap. 14. *Getæ minori filio Togam virilem dedit , majori Plausiani filiam uxorem junxit.* Natus erat

erat Geta Severo, & vitellio Consulibus, sexto Kalendas Junias, ut testis est Spartianus in Geta capite tertio. Qui Consulatus suffectus, ab Onuphrio prætermisus cadit in annum Christi 189. Quare eadem quoad ætatem quàm Caracallæ fratri gratia facta, eique hoc anno virilis Toga concessa, dum annum decimum quartum ingrederetur. Caracallæ vero filia Plautiani uxor data, sed nuptiæ anno tantùm sequenti, quo Severus Decennalia celebravit, peractæ, ut habet Dio lib. 76. Porro Severi, & ejus filii Consulatus juxta secundam Regulam, licet Decennalia distulerit primus.

203. P. Septimius Geta, & L. Plautianus II. Hoc anno Severus, qui ex Oriente Romam redierat, ibidem posteriora Decennalia celebravit, ut ostendit nummus, qui apud Occonem extat, in quo legitur: L. SEPTIMIUS SEVERUS PERT. AUG, & in postica: VOT. SUSC. DEC. P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. Quæ Tribunitia potestas XI. Kalendis Junii hujus anni cœpta est. De quibus Decennialibus Xiphilinus ex Dione hæc habet: ἰ ἡ Σεβήρω ἐν τῆς Δεκάτης τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδωκότεο &c. Id est, ut vertit Xilander: *Interea Severus, postquam attigit decennium Principatus sui congiario populo, Prætoriamque militibus dabo, eis tot aureos, quot annos imperaverat dedit. Quam ob causam sibi mirum in modum placebat, cum revera nemo unquam simul tantundem eis dedisset; consumpta sunt enim in ea largitione aureorum vicies centena millia.* Norisius Dissertat. de votis Decennialibus capite quarto inquit videri significare Severum, non exacto decennio, ut moris fuerat, sed eodem ineunte Decennalia dedisse, & scriptoris Græci verba ita planè esse interpretanda: *interim Severus circa decennium sui principatus.* Sed præterquam quod error communis est Decennalia & id genus festa exacto decennio antea celebrari solita fuisse, cum indiscriminatim eo vel exeunte, vel ineunte ederentur, quæ de re non existimo post ea quæ diximus, nasci posse dubitationem, Antiqui annos ante Decennalia elapsos, sive essent novem, sive decem, sive undecim, decennii, aut magis proprie Decennialium nomine, ut in Quinquennialiorum Canonibus diximus, explicabant. Rectius idem Norisius Dissertat. de Numismat. Licinii cap. 4. ex iisdem verbis deducit solitos fuisse Augustos inter Decennialium solemnia nummos in populum spargere, ac militem ingenti donativo ditare. Unde Constantinus in suis Vicennialibus, ut tradit Eusebius lib. 3. de vita ejusdem cap. 22. ait: *universis populis, tam iis, qui per agros, quàm qui in urbibus habitabant, magnam pecunia vim distribui iussit.* Quod observandum ad Auctores Historiæ Augustæ melius percipiendos. In Zophoto porticus Agrip-

VI.
Decennalia
Severi &
reliqui anni
ejus imperii.

præ ante Pantheon extat hujusmodi Inscriptio, quæ confirmat quod sæpè diximus annis, in quos hæc solemnia incidebant, solitòs fuisse Augustos operibus publicis nomen commendare.

IMP. CAES. L. SEPTIMIUS. SEVERUS. PIUS. PERTINAX.
ARABICUS. ADIABENICUS. PARTHICUS. NAXIMUS.
PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P.P. PRO.
COS. ET IMP. CAES. M. AURELIUS. ANTONIN. PIUS.
FELIX. AUG. TR. POT. V. COS. PRO. COS. PANTHEUM.
VETUSTATE. CORRUPTUM. CUM. OMNI. CULTU. RESTI-
TUERUNT.

Onuphrius eam corrigere volens, legit *Trib. Pot. X.* Sed perperam ac nullo legitimo fundamento.

204. *L. Fabius Cilo, & M. Annus Libo.* Octavi Ludi seculares hoc anno celebrati, sed Severus præter morem Consulatum non cepit:

205. *M. Aurelius Antoninus Caracalla Aug. II. & P. Septimius Geta Caesar.* Est hic primus Getæ Cæsaris Consulatus. Geta enim, qui anno 202. Consul fuit, frater Severi Imperatoris erat, non Cæsar, licet eum in Chronico ita perperam vocet Petavius. Gestus autem est ille juxta III. Regulam. Consulatus verò Caracallæ juxta II. Est hic enim annus Imperii ejus Cæsarei decimus inchoatus, Decennaliaque ab eo celebrata ostendunt quæ scribit auctor Chronici Alexandrini: *Horum Consulatu Severus Alexandriam ingressus Christianos persequi cepit, ex quibus multi ab Alexandria, & Aegypto Augustamnicæ, Thebaidem usque pro Christo casi occubere.* Tum subjungit: *hoc tempore Gymnasium Alexandria Severianum dictum, est erectum, ingenisque sanum Pantheon nuncupatum.* Tamen dubito ne ea in sequentem annum dilata fuerint, interimque Consulatus sumptus eademque acta, ac si celebrata fuissent. Occo enim pag. 373. nummi Epigraphen recitat, quæ habet: ANTONINVS PIVS AVG. TR. P. VIII. COS. II. in postica parte: VOTA SVSCEPTA X. Representatur in ea Vesta dexterâ pateram super ara tenens, quæ figura in hujusmodi solemnium nummis sæpe exprimitur. Refert & idem Antiquarius alium Caracallæ nummum eadem Tribunitia potestate notatum in quo legitur: INDULGENTIA AVGG. IN. CARTH. idest, Carthaginienfes. Longè tamen probabilius hæc prioris Severi Imperii Quindecennialium indicia esse.

206. *Nummius Albinus, & Fulvius Aemilianus.* Quindecennalia Cæsarei Caracallæ Imperii, ut anno præcedenti dictum.

207. *Flavius Asper, & Q. Allius Maximus.* Onuphrius in Fastis scribit hoc anno Caracallam Decennalia, Augustei nempe Imperii celebrasse. Sed Consulatus ab eodem anno sequenti gestus contrarium ostendit.

208. *M. Aurelius Antoninus Caracalla Aug. III. & Geta Cæsar.* Sumptus hic ab utroque Consulatus juxta II. Regulam: Caracallam enim Imperii Augustei Decennalia celebrasse Consulatus & Augustea dignitas Getæ fratri à Severo concessa indicant. Quæ tamen de causa in titulis legum Codicis Justiniani hoc & sequenti anno datarum nomen ejus sicut Severi & Caracallæ non legatur, ignorare me fateor. Eodem anno posterioris Severi Imperii Quindecennalia acta. Occo enim pag. 358. nummum refert, in quo legitur: SEVERUS PIUS AUG. P.M. TR. P. XVI. COS. III. P.P. In cujus averfa parte, cernitur trophæum cum duobus captivis assidentibus; quæ figura in nummis Decennialiorum sæpè cernitur. Refert & alium nummum eâdem Tribunitiâ potestate XVI. notatum, in quo repræsentatur pulcherrimus pons duobus utrimque turribus munitus, qui occasione horum solemnium à Severo, ut videtur, constructus.

209. *Claudius Pompeianus, & Lollianus Avitus.*

210. *Acilius Faustinus, & Macer Rufinianus.* Quindecennalia Imperii Cæsarei Caracallæ. Occo pag. 374. hujus Imperatoris nummum refert, in quo legitur: ANTONIUS PIUS AUG. PONTIF. TR. P. XII. COS. III. In averfa parte cernitur figura cum Rhabdo dextrâ pateram super ara, sub qua animal jacet, tenens. Circum verò VOT. SOLUT. DEC. COS. III. Duodecima Tribunitia potestas anno superiori à Caracalla sumpta, & præfenti absoluta, quæ adhuc currente ea solemnia acta.

211. *Lollianus Gentianus, & Pomponius Bassus.* Severus die quarta Febr. Eboraci è vivis excessit, quem Caracalla & Geta filii excepere.

212. *Pompeius Asper, & Iulius Asper.* Exeunte Martio Caracalla Getam fratrem occidit, natum annos viginti duos, mensisque novem, ut tradit Dio lib. 77. quibus constat natum cum fuisse anno 189. ut supra anno 202. declaravimus.

213. *M. Antoninus Caracalla Aug. IV. & Cælius Balbinus.* Caracallæ Consulatus juxta I. & II. Regulam. Est hic enim annus decimus quintus exactus à quo renunciatus fuerat Augustus.

214. *Silius Messalla & Aquillius Sabinus.*

215. *Emilius Latus II. & Anicius Corealis.*

VII.
Imperium
Caracallæ
& Macrini.

216. *Q. Aquilius Sabinus II. & Sex. Cornelius Anullinus, Calliodorus loco Anullini perperam edit Venustum, additque: His Coss. Antoninus Roma Thermas sui nominis edificavit. Quod Caracallam posterioris Imperii Augustei Quinquennalia & Vicennalia Imperii Cæsarei hoc anno celebrasse demonstrat.*

217. *C. Bruttius Prasens, & Metius Extricatus. Extant apud Oecotem numismata in postica parte hanc Epigraphem exhibentia: TR. P. XX. COS. III. P. P. VICT. PART. Ubi cernitur Victoria in clypeo inscribens: VOT. XX. adestque Trophæum cum duobus captivis. Quibus ex verbis colligitur eum ante diem octavum Idus Apriles ejus Natalem genuinum, ac emortuaem Vicennalia prioris Imperii Augustei jam celebrasse; verumque esse quod supra ex Notisio observavimus, aliquando Tribunitiam ejus potestatem in nummis obfignatam ab eo tempore, quo in Galliis destinatus est Imperator, inchoatam fuisse: aliquando verò post Kalendas Junias ejusdem anni 198. post quas Senatusconsulto nomen & insignia Imperatoria ei tradita sunt. Quoad verò illud quod addit idem Notisius loco laudato, Antoninum nempe primum Romanorum Principum statum Vicennalium tempus antevertisse, multis jam à nobis exemplis contrariis confutatum. Scribit Spartianus in Caracalla cap. 6. *die Natalis sui, octavo Idus Aprilis insidiis à Macrino Prefecto Prætorii positis, qui post eum invasit Imperium, interemptus est*, nempe Caracalla inter Carras & Edessam. Quare rectè scriptum à Dione eum annos sex, menses duos, & dies duos imperasse, ultimo scilicet termino excluso. Sed erravit, scribens eum periisse die octavo Aprilis; aliter enim numerare debuisset dies quatuor, non verò duos. Errat etiam in eo quod scribat natum Caracallam pridie nonas Apriles. Eo sublato neque ea die, neque duabus sequentibus Macrinus Imperium invasit, sed *quarta demum die, qua Severi Natalis erat*, inquit idem Dio lib. 78. Incidit Natale Severi in diem quartum Idus Aprilis, ut constat ex veteri Calendario à Petro Lambecio v. c. edito, in quo ad eundem diem legitur *N. DIVI SEVERI. Id est, Natale Divi Severi.**

VIII. 218. *M. Opeius Macrinus Aug. & Adventus. Hunc Consulatum Imperium restituimus, de quo legenda quæ diximus L parte cap. 7. num. VI. Idem Imperator tertio die mensis Junii prælio vincitur, ac paulò post occiditur, cui succedit M. Aurelius Antoninus Helagabalus, seu Heliogabalus. Scribit Dio lib. 78. eum imperasse anno dumtaxat, uno, duobusque mensibus, tribus demptis diebus, si quidem, inquit, ad pugnam usque cogitationes nostras referamus. A die autem sexto Aprilis anni elapsi, quo ex Spartiano eum interfectum discimus ad tertium Junii*

Junii hujus anni diem , eo tanquam ultimo termino excluso , hujusmodi tempus interjicitur , sedulo enim advertendum Dionem Macrini Imperium à die mortis decessoris , non verò ab eo quo is electus fuerat , numerare : quò etiam modò se gessit in annis Severi computandis , quos non à die , quo Carnunto Imperator nuncupatus fuerat , sed à die emortuali Juliani decessoris , deducit.

219. *Heliogabalus Aug. II. & Licinius Sacerdos.* Consulatus Heliogabali juxta I. Regulam.

220. *Heliogabalus Aug. III. & M. Aurelius Eutychianus Comazon.* Hic Consulatus præter morem & Regulas ab Heliogabalo susceptus. Is enim ut habet Dio lib. 79. multa à recepta consuetudine aliena innovavit , & primum Consulatum , qui susceptus fuit , antequam à Senatu decerneretur , sumpsit. Eusebius ad annum Abrahami 2136. qui hoc anno Christi mense Septembri incipit , ait : *Heliogabalum templum Roma adificatum* , quod causa sufficiens Consulatus sumentis esse potuit. Illud quidem sub anni sequentis Consulibus Cassiodorus in Chronico consignat , sed existimo eum hallucinari.

221. *Annius Gratus , & Claudius Seleucus.* Lampridius in Alexandro cap. 13. docet Heliogabalum adoptasse Alexandrum Severum , eumque secum Consulem designasse , quod hoc anno contigisse Consulatus ab eodem Alexandro anno sequenti gestus indicat.

222. *Heliogabalus Aug. IV. & Aurelius Severus Alexander Caesar.* Consulatus Alexandri juxta I. Regulam , Heliogabali juxta II. cum enim hoc anno Quinquennalia edere debuisse ostendit legatio Africani pro Nicopoli construenda , uti diximus cap. 6. hujus partis num. VIII. Heliogabalus tumultu militari occisus est , postquam imperasset annos tres , menses novem , & dies quatuor ; quòd tempus , inquit Dio lib. 79. *ego numero ex quo praelio facto , omnem potentiam adeptus est.* Quare cum Lampridius in Alexandro cap. 6. scribat Alexandrum Severum die sexta Martii nuncupatum fuisse Augustum , liquet non tantum eundem diem Heliogabali emortualem fuisse , sed & intervallum quod post Caracallæ mortem Dio & Herodianus contigisse docent , Macrini Imperio attribuendum , & huc usque erratum esse ab omnibus Chronologis in Alexandri natali die consignando , quòd errorem Dionis in die emortuali Caracallæ memorando , ejusque computandi rationem non advertissent.

223. *Maximus , & Papyrius Elianus.*

224. *Claudius Inianus , & Clodius Crispinus.*

225. *L. Turpilius Dexter , & M. Macius Rufus.* Ut habet Inscriptio ab Onuphrio relata , Notisius tamen Dissertat. de numismat. Imp.

Diocletiani & Maximiani cap. 6. Fuscum I I. & Dextrum Consules statuendos esse contendit; quod varia Codicis Justiniani Rescripta, & duæ Inscriptiones apud Gruterum eisdem exhibeant; at ex iis nihil aliud deduci debet, nisi Dextri Collegam vocatum fuisse M. Maëcium Fuscum Rufum; eo magis quod Dio in Indice eisdem edas, quos Inscriptio Onuphriana.

226. *M. Aurelius Severus Alexander Aug. II. & C. Quinctilius Marcellus.* Sumptus is Consulatus ab Alexandro propter Quinquennalia Cæsarei ejus Imperii, quod etiam pertinent multi hoc anno Romæ Martyres facti, & quod scribit Eusebius in Chronico: *Therma Alexandrina Roma adificata*, quæ & in nummo quinta Tribunitia potestate signato qui apud Occonem extat.

227. *Calius Balbinus II. & Clodius Pupienus Maximus.* Qui postea Imperatores fuere. Quinquennalia Augustei Imperii Alexandri Severi, ut colligitur ex nummis, qui ab Occone pag. 413. referuntur, in quorum uno legitur: IMP. CAES. MAUR. SEV. ALEXANDER AUG. P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. S. C. in quo cernitur figura stolata stans sacrificantis ritu coram ara, dextrâ pateram tenens. In nummis enim, in quibus hæc solemnia distinctis verbis annotantur, sæpè ea representantur.

228. *Vettius Modestus, & Probus.*

229. *Alexander Aug. III. & Dio II.* Sumptus iste Consulatus ab Alexandro propter bellum Persicum, in quo & triumphum egit, ut ostendimus cap. 9. hujus partis.

230. *Calpurnius Agricola, & Clementinus.*

231. *Claudius Pompeianus & Felicianus.* Decimus annus Cæsarei Imperii Alexandri, ejusque Decennalia. Occo enim pag. 416. numisma exhibet, in quo legitur: IMP. SEV. ALEXANDER AUG. TRIB. P. X. COS. III. P. P. S. C. In postica. VICTORIA AUGUSTI, visiturque figura Victoriæ clypeum tenens, in quo VOT. X.

232. *Julius Lupus, & Maximus.* Decennalia Imperii Augustei Alexandri. Extat apud Occonem nummus hujus Imperatoris undecimâ ejus Tribunitiâ potestate notatus, in cujus postica parte libertatis typus cum his verbis: LIBERTAS AUG. qui nummi annis, quibus hæc solemnia fiebant sæpè percussi, uti it in quibus legitur: PROVIDENTIA AUG. quales duos eâdem Tribunitiâ potestate undecimâ insignitos refert idem Antiquarius, vel, SPES PUBLICA, quorum unus apud eundem extat. Aut denique in quibus sculpirur LIBERALITAS AUG. Quod iis in festivitatis populorum sibi

ſibi ingentibus beneficiis demereri Imperatores ſolerent. Quæ ad nummorum explicationem obſervanda.

233. *Maximus II. & Ovinus Paternus.*

234. *Maximus III. & Urbanns.*

235. *Severus & Quinctianus.* Hoc anno Alexander Severus apud Moguntiam occiſus eſt die decima quarta Martii, quod ex Lampri- dio cap.60. deducitur, qui ait eum imperaſſe annis tredecim, diebus novem. Dies itaque decimus quartus Martii, Natalis fuit Maximini. Huc uſque in Imperatorum diebus natalibus & emortualibus confi- gnan-
gandis accurati fuimus; neque in aliquo ex iis nos erraſſe exiſtima- mus; ſed hinc ad Diocletianum uſque Auguſtorum Chronologia valde depravata; quam in pluribus reſtituemus, & alio in opere probationes, quibus innixi ſumus, afferemus.

IX.
Imperium
Maximini
& Gordiani
Junioris.

236. *C. Iulius Maximinus Aug. & C. Iulius Africanus.* Maximini Conſulatus juxta I. Regulam.

237. *P. Titius Perpetuus, & L. Ovinus Ruſticus Cornelianus.* Sub his Conſulibus Marcus Antonius Gordianus in Africa dictus eſt Imperator qui ſtatim M. Antonium Gordianum filium Auguſtum nuncupavit, ſed poſtquam unum aut alterum menſem imperaſſent, à Maximi ſtudioſis occiſi ſunt: quod cum reſciſſet ſenatus Maximus Pupienum, & Cælium Balbinum Imperatores, Gordianum vero tertium Cæſarem nuncupavit, paulòque poſt circa menſem Octobrem Maximinus cum Maximo filio occiſus eſt.

238. *M. Ulpius Crinitus, & Proculus Pontianus.* Ante men- ſem Maium Maximus & Balbinus Imperatores à militibus trucidati ſunt, & Gordianus Junior, qui eatenus Cæſar fuerat, Auguſtus re- nuntiatus eſt.

239. *M. Antonius Gordianus Aug. & Acilius Aviola.* Gordiani Conſulatus juxta I. Regulam.

240. *Sabinus, & Vennſtus.*

241. *Gordianus Aug. II. & Claudius Pompeianus.* Quinquennalia Cæſarei Imperii Gordiani, quæ ejus Conſulatus indicat.

242. *C. Aufidius Atticus, & C. Aſinius Pretextatus.*

243. *Arrianus & Papius.* Auguſtei Imperii Gordiani Quinquen- nalia in hunc annum incidunt, ſcribit Auctoꝝ Chronici Alexandrini: *Gordianus Auguſtus inſtituit Ordinem Candidatorum, quos ſingillatim lectos velut eximios & valentes, magnaſque oris dignitate ex numero qui ſcholares dicuntur, evexit, ipſamque ſcholam ejus ordinis à ſuo no- mine, ſeniorum appellavit. Iſti ſunt ſexta ſchola.* Quidam dicunt eum ordinem inſtitutum fuiſſe à Gordiano Seniore, ſed nullo fundamen-

to, cum contrà Auctor Chronici Alexandrini eam institutionem eo anno consignet, quo similes fieri consueverant. Ea tamen solemnità in annum sequentem fuisse dilata ostendit nummus ejusdem Imperatoris apud Oeconem pag. 436. in eo legitur, IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG. P.M. TR. P. VII. COS. II. P.P. cernitur vorò Mars stans, cum scuto & hasta, in corona laurea VOTIS DECENNALIBUS S. C. nempe nuncupatis. Vides, licet Quinquennalia dilata fuerint, ea tamen quæ de more gesta esse, quòd non rarò contigisse, ex iis quæ infra dicemus, liquebit.

X.
Imperium
utriusque
Philippi.

244. *Peregrinus & Fulvius Amilianus.* Gordianus à Philippo Arabe Præfecto Prætorio, qui arripuerat Imperium, circa mensè Maium interfectus est. Errant enim communiter Chronologi, qui ob legem sextam libri tertii Codicis Justiniani tit. 42. ad exhibendum, ab eodem Philippo secundo Idus Martias sub his Consulibus datam, scribunt jam eo tempore Gordianum fuisse occisum, non animadvertentes quod scribit Capitolinus in Gordiano III. cap. 29. utrumque simul per aliquod tempus imperasse, & lib. 6. ejusdem Codicis tit. 20. de Collationibus l. 6. datam dici à Gordiano septimo Kal. Maii Peregrino & Amiliano Coss. hoc nempe anno. Quare rectè scripsit Eusebius lib. 6. cap. 34. Gordianum annos sex integros imperasse, cui suffragatur nummus præfatus Gordiani apud Oeconem, in quo legitur Tribunitia ejus potestas septima. Erratum itaque à recentioribus Chronologis, qui consensu unanimi scripsère eum non absolvisse quintum Imperii annum.

245. *M. Iulius Philippus Aug. & Fabianus Trianus.* Philippi Consulatus juxta I. Regulam.

246. *Præfens & Abinus.*

247. *M. Iulius Philippus Aug. II. & M. Iulius Philippus Cesar.* Sumptus is Consulatus à patre & filio propter millenarium urbis Romæ, Ludosque seculares à nobis explicatos cap. X. hujus partis.

248. *M. Iulius Philippus Aug. III. & M. Iulius Philippus Aug. II.* Quinquennalia utriusque Philippi; filius enim anno 244. à patre Cesar dictus fuerat, ut liquet ex titulo legum Codicis Justin. in quibus dicitur Cesar, & hoc anno dictus videtur Augustus, cum ultimi nummi ejus nomine insigniti tertiam Tribunitiam potestatem exhibeant, & in id genus solemnità hujusmodi nuncupationes fieri solerét. Ad ea Quinquennalia pertinent, quæ scribunt Auctor Chronici Alexandrini, & Eusebius in Chronico; hic enim Indiæ. XI. (nam perperam Consules per hæc tempora consignat) scribit: *Imperator Philippus unà cum filio suo Philippo instituit Collegium magnorum Candidatorum;*

didatorum, selectis speciatim Invenibus ex Classe Scholariorum, ordinemque illum sen Scholam ab Auctore ejus dixit Juniorum. Atque hi sunt e septima schola. Quæ institutio perperam Gordiano Juniori à Cedreno attribuitur. Eusebius verò ait : Philippus urbem nominis sui in Thracia construxit. Errat tamen in Regione, Philippopolis enim à Philippo Macedonum Rege in Thracia constructa, altera verò ejusdem nominis urbs in Arabia sita, de qua Ortelius in Thesaurò suo, quamque omisit Baudranus in Lexico Geographico, Philippum istum conditorem habuit. Hæc porro solemnità uno, aut altero mensè videntur anticipata fuisse, ut intra annum Urbis millenarium celebrari possent, in nummis enim hujus Imperatoris apud Occonem pag. 442. unus extat in quo legitur : IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG. P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. Ac postea sub eadem Tribunitia potestate III. ac Consulatu III. in unius averfa parte habetur : VOTIS DECENNALIBUS S. C. Quæ verba si in nummo Tribunitia potestate III. ac Consulatu III. insignito legantur, non tantum colligitur Philippum Quinquennalia vota aliquoto tempore anticipasse, sed & verum esse quod diximus alibi, millenarium Urbis intra annum ejus millesimum, non verò eò exactò, ac millesimam primò inchoatò, ut viri docti contendunt, fuisse celebratum. Quod magis confirmatur si in nummo Tribunitia Potestate III. signato in averfa ejus parte legatur, MILIARIUM SAECULUM COS. III. S. C. Sed valde dubito, ne is Antiquarius, quod ei non rarò accidit, eidem nummo plures averfas partes attribuerit, quæ tamen pertinent ad nummos alio anno percussos. Videant igitur Antiquarii an reperire sit numismata Tribunitia potestate III. ac Consulatu III. obfignata, in quorum postica parte legatur, VOTIS DECENNALIBUS aut MILIARIUM SAECULUM, neque in posterum sub uno eodemque alicujus Imperatoris titulo ea referant, quæ in averfa parte nummorum aliis annis, vel cum aliis titulis percussorum, leguntur. Certum est porro utriusque Imperatoris Decennalia hoc anno celebrata; idem enim Occo nummum refert, in quo Philippus dicitur, TRIB. POT. V. COS. III. circum scribitur, SAECULUM NOVUM, cum templo in cujus medio statua sedet; aliumque eadem Tribunitia potestate & Consulatu notatum, in cujus etiam averfa parte legitur SAECULUM NOVUM S. C. cerniturque templum octo columnis distinctum, in cujus medio sedet quædam figura. Templà verò in Quinquennalibus de more ædificata, aut dedicata. In averfa denique alterius parte legitur, FELICITAS TEMP. S. C. visiturque figura stans, dextrâ Caduceum, sinistrâ Cornu copiz tenens; in num-

his autem annis quibus ea festa celebrata culis sæpe eadem verba leguntur, aut ista, SAECULI FELICITAS, aut AETERNITATI AUG. similiave, quia, ut diximus, iis annis nova Epocha cœpta.

XI.
Imperium
Decii, Gal-
li & Gallie-
ni.

249. *Fulvius Amilianus I I. & Vestinus Aquilinus.* His Coss. circa menscm Julium uterque Philippus interfectus est, imperavitque Decius.

250. *Messius Quintus Decius Aug. I I. & Annins Maximus Gratus.*

251. *Decius Aug. III. & Q. Eruscus Decius Cæsar.* Consulatus Etrusci juxta I. Regulam, anno enim præcedenti dictus est Cæsar, cujus pater Collega esse voluit juxta III. Regulam. Uterque sub finem anni occisus est, & Gallus ac Volusianus Imperium susceperunt.

252. *C. Vibius Trebonianus Gallus Aug. II. & C. Vibius Volusianus Aug.* juxta I. Regulam.

253. *C. Vibius Volusianus Aug. II. & M. Valerius Maximus.* Sumpsit hunc Consulatum Volusianus, ut in numero Consulatum patri æquaretur. Circa initium Junii ambo Imperatores interfecti, quibus successere Valerianus & Gallienus ejus filius.

254. *C. P. Licinius Valerianus Aug. II. & C. P. Licinius Gallienus Aug.* juxta I. Regulam.

255. *Valerianus Aug. III. & Gallienus Aug. II.* Sumptus iste Consulatus propter bellum Persicum. Gallienus Junior Gallieni Augusti filius hoc anno videtur Cæsar nuncupatus.

256. *M. Valerius Maximus I I. & Acilius Glabrio*

257. *Valerianus Aug. IV. & Gallienus Aug. III.* Quinquennialia utriusque Imperatoris, quæ non tantum eorum Consulatus, sed & persecutio hoc anno contra Christianos excitata manifestat. Extat nummus apud Occonem Gallieni Imperatoris Tribunitiâ potestate V. Consulatuque tertio notatus, in quo legitur: SECUR. TEMPO. M. S. cerniturque figura decussatis cruribus columnæ innixa, dextra hastam tenens, quò dicta in utriusque Philippi Quinquennialibus confirmantur.

258. *Mammius Fuscus, vel Tuscus, & Pomponius Bassus.*

259. *Fulvius Amilianus, & Pomponius Bassus II.* His Consulibus Gallienus Junior Cæsar, & Valerianus ejus patruus subrogati sunt, & in horum locum Crinitus & Aurelianus, qua de re fusè. Supra sumptus porro hic Consulatus à Gallieno Juniore ad Quinquennialia edenda.

260. *Cornelius Secularis, & Iulius Donatus.* Valeriano Augusto sub anni præcedentis finem, vel præsentis initium à Persis capto, Gallienus

Gallienus Sólus imperare cœpit, qui ob id anno sequenti Consulatum cepit, juxta I. Regulam.

261. *Gallienus Aug. IV. & Volusianus.*

262. *Gallienus Aug. V. & Pompeius Faustinus.* Sumptus is Consulatus à Gallieno propter Decennalia hoc anno acta, uti diximus cap. VII. hujus partis.

263. *Nummius Albinus, & Maximus Dexter.*

264. *Gallienus Aug. VI. & Saturninus.* Sumptus is Consulatus à Gallieno propter triumphum hoc anno actum, de quo jam egimus.

265. *Licinius Valerianus II. & L. Casonius Macer.* Is Valerianus filius erat Valeriani Augusti, qui postea Cæsar & Augustus dictus est, ut jam explicavimus.

266. *Gallienus Aug. VII. & Sabinillus.* Sumptus is Consulatus à Gallieno propter ejus Quindecennalia, quæ tamen anno sequenti acta videntur. Extrat enim apud Occonem pag. 472. numisma in quo legitur: IMP. CAES. P. LIC. GALLIENUS P. F. AUG. P. M. TR. P. XV. COS. VII. P. P. COL. . . . IC. FEL. HEL. Cernuntur in eodux figuræ se se mutuo aspicientes. Idem Occo legit *Colonia Aventic. Felix Helvetiorum.* Tristano qui tomo tertio pag. 86. eundem nummum exhibet, legendum autumat, *Colonia Ricina Felix Helvia.* Sed quidquid sit ex ea confirmatur quod alibi diximus, annis nempe quibus hujusmodi solemnia celebrabantur, colonias ab Imperatoribus institutas fuisse, ideoque Gallienum sequenti anno Quindecennalia edidisse.

267. *Ovinus Paternus, & Arcesilaus.*

268. *Ovinus Paternus II. & Marimianus.* Gallienus mense Martio occisus; Pollio enim in Claudio ait, nono Kalendas Aprilis Romæ mortem ejus esse nunciatam: ei Claudius successit.

269. *M. Aurelius Claudius Aug. II. & Ovinus Paternus.* Juxta I. Regulam.

270. *A. Antiochianus, & Furius Orfitus.* Sub anni finem Claudius moritur, & Aurelianus suscipit Imperium.

271. *L. Domitius Aurelianus Aug. II. & Pomponius Bassus.* Juxta I. Regulam.

272. *Quietus, & Voldamianus.*

273. *M. Claudius Tacitus, & Furius Placidianus.*

274. *Aurelianus Aug. II. & C. Julius Capitolinus.* Triumphus, & Quinquennalia Aureliani, ut suo loco explicatum est.

275. *Aurelianus Aug. III. & T. Avonius Marcellinus.* Sumptus hic Consulatus ob expeditiones bellicas, de quibus Vopiscus in Aureliano

XII.
Imperium
Claudii
Aureliani,
& Probi.

reliano cap. 35. sed Aurelianus mense Januario inter Heracleam & Byzantium occisus est. Post ejus mortem sex mensium interregnum fuit. Tandem septimo Kalendas Octobres Tacitus acclamatus est Imperator, ut habet Vopiscus in Tacito cap. 3. sed observandum ex eodem Vopisco cap. 7. Claudium menses duos ante præfatum diem absentem Principem nuncupatum fuisse, & Imperium recusasse, ideoque ducentos Imperii dies, quos eidem uterque Victor attribuit, à die circiter decima quarta mensis Julii currentis anni, non verò ab septima die Kalendarum Octobrium inchoandos esse. Quod nemini hætenus observatum Chronologiam Augusteam usque ad Diocletianum restituit, quemadmodum alibi accuratè ostendemus.

276. *M. Claudius Tacitus Aug. II. & Fulvius Amilianus.* Consulatus Taciti secundum I. Regulam, eò circa quintum mensis Februarii diem demortuo, Florianus ejus frater Imperium arripuit, ut tradit Vopiscus in Floriano cap. 1. Parte verò alià omnes Orientales exercitus Probum Imperatorem fecerunt, ut Auctor est idem Vopiscus in Probo cap. 10. qui capite sequenti addit, cum die tertio nonas Aprileas à Senatu Imperatorem renunciatum fuisse. Verum est in eo legi *die tertio nonas Februarias*, sed mendosè. Impossibile enim ut eo die Taciti mors Romæ sciri potuerit. Quare locum illum corruptum esse certum indubitatumque. Uno eodemque tempore per duos circiter menses Florianus & Probus imperarunt. Quod Chronologi non animadvertentes initium Probi in quintum diem nonas Julias aut circiter distulerunt, & trium sequentium Imperatorum initia perperam collocarunt, ut alias magis explicabitur.

277. *Aurelius Probus Aug. & Anicius Paulinus.* Consulatus Probi juxta I. Regulam.

278. *Probus Aug. II. & Furius Lupus.* Onuphrius primum Probi Consulatum, Baronius secundum suffectum credidit. Sed utrumque ex subscriptionibus legum Codicis Justiniani, Norisius Dissertatione de votis Decennalibus egregiè confirmat, cumque in omnibus antiquis Fastis legantur, eos ordinarios fuisse certum est. Porro secundum hunc Consulatum, sicuti & sequentem sumpsit Probus propter egregias expeditiones, de quibus Vopiscus in ejus vita, ideoque secundum IV. Regulam.

279. *Probus Aug. III. & Ovidius Paternus.*

280. *Messalla, & Gratus.*

281. *Probus Aug. IV. & Tiberianus.* Sumptus is Consulatus à Probo ob ejus Quinquennalia, quorum etiam indicium quod scribit Eusebius in Chronico ad annum Abrahami 1297. qui anno currenti,

ti, menſe Septembri incipit: Saturninus Magiſter exercitus novam civitatem Antiochia orſus eſt condere, qui poſtea Imperium molitus invadere Apamia occiditur. Quæ etiam Quinquennialia Editionem Eufebianam Scaligeri, in qua id biennio antea collocatur, hac in re depravatam eſſe oſtendunt.

282. *Probus Aug. V. & Pomponius Victorinus.* Triumphus Probi de Blemyis, & Germanis, propter quem is Conſulatus à Probo capſſitus, qui hoc anno occiditur cùm imperaſſet annos ſex & menſes quatuor, uti Eutropius, & Euſebius in Chronico tradunt. Julianus enim in Cæſaribus, qui annos ſeptem ei attribuit, numerò rotundò loquitur. Cùm itaque anno 276. circa initium Martii ab exercitibus Imperator dictus fuerit, periit hoc anno circa menſis Junii finem. Ei ſucceſſit Carus, qui Carinum & Numerianum filios Cæſares nuncupavit.

XIII.
Imperium
Probi, Carini
& Diocletiani,

283. *M. Aurelius Carus II. & M. Aurelius Carinus Cæſar.* Utriuſque Conſulatus juxta I. Regulam. Carinus & Numerianus ante menſem Septembrem Auguſti nuncupati, ut ex variis Codicis Juſtiniani Reſcriptis & Numiſmatis liquet. Incertum autem an idem Carus ſub hujus anni finem, vel ſequentis initio perierit, cùm in Codice Juſtiniano l. 3. de revocand. donat. PP. II. Idus Januarias l. 5. de donat. Romæ VI. Kal. Februarias l. 19. ex quibus cauſis PP. XVII. Kal. Feb. dicuntur datæ Carino & Numeriano Coſſ. qui ſoli etiam in earum titulis inſcribuntur. Unde Carus vel ſub hujus anni finem, vel in ſequentis initio obiit.

284. *Carinus Aug. II. & Numerianus Aug.* Juxta I. Regulam. Occiſo Numeriano Diocletianus levatus eſt Imperator XV. Kal. Octob. Chalcedone, ut tradit Chronicon Alexandrinum. Quare cùm in nummis Græcis apud Goltzium annus ſecundus Imperii Auguſtei Numeriani legatur, liquet eum anno elapſo ante menſem Septembrem, vel circiter Auguſtum à patre renunciatum fuiſſe, alioquin ſecundum Imperii annum non attigiſſet. Hoc etiam anno idem Diocletianus Maximianum Herculium Cæſarem nuncupavit XII. Kal. Decembris, quemadmodum oſtendi in hac ſecunda parte.

285. *Diocletianus Aug. II. & Ariſtobulus.* Diocletiani Conſulatus juxta I. Regulam. Carinus hoc anno occiſus eſt tertio Imperii ſui Auguſtei anno, ut ex nummis apud Goltzium colligitur. In iis enim tertius annus legitur.

286. *Maximus II. & Vepius Aquilinus. His Coſſ. levatus eſt Maximianus Senior die Kal. Aprilium,* inquit Idatius in Faſtis de Maximiano Herculio loquens.

287. *Diocletianus Aug. III. & Maximianus Hercules Aug.* Maximiani Consulatus juxta I. Regulam Diocletiani juxta III.

288. *Maximianus Hercules II. & Ianuarius.* Sumptus is Consulatus à Maximiano ob Quinquennalia Cæsarei Imperii; quæ etiam Diocletianus edidit, ut videre est cap.6. capite 8. communem errorem refutavimus, qui Maximum II. privatum quemdam & Ianuarium Consules proponit.

289. *Bassus II. & Quintianus.*

290. *Diocletianus IV. & Maximianus Hercules III.* Quinquennalia Augustei Imperii ejusdem Maximiani, qui ob id Consul processit juxta II. Regulam Diocletianus verò juxta III.

291. *Tiberianus II. & Dio.*

XIV.
Continuatio
Imperii Dio-
cletiani ac
Initium Cæs-
santii Chlo-
ri & Galerii
Maximiani.

292. *Hannibalianus, & Asclepiodotus.* Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus Kalendis Martiis levati sunt Cæsares. De die difficultas esse non potest, cum Eumenius in Panegyrico Constantio dicto cap.3. illum nos doceat. Sed de anno magna inter Eruditos controversia, quorum plerique cum Idatio in Fastis hanc rem in annum superiorem conferunt. Baluzius in notis ad Lactantium pag. 400. in annum sequentem differt, sed eam hoc anno factam utriusque Quinquennalia & id genus festa, quæ huic anno respondent, ostendunt, litemque dirimunt. Insuper manifestum faciunt priorem locum in hac nuncupatione non Galerio sed Constantio attributum fuisse, cum prior Consul processerit, & Quinquennalia ediderit.

293. *Diocletianus Aug. V. & Maximianus Hercules Aug. IV.* Utriusque Augusti Decennalia, ut Consulatus hic ostendit: quod & pertinet quod habet Eusebius in Chronico hoc anno: *Primus Diocletianus adorari se ut Deum, & gemmas vestibus calceamentisque inseri jussit: cum ante eum omnes Imperatores in modum Judicum salutarerentur, & chlamydem purpuream à privato plus haberent.* Quæ insolentia novitasque hujusmodi solemnium sine dubio nota.

294. *Constantius Chlorus Cæsar, & Galerius Maximianus Cæsar.* Consulatus is, qui secundum I. Regulam anno præcedenti geri debebat ob Decennalia Augustorum in hunc dilatus fuit, cujus rei infra occurrent exempla.

295. *Tuscus & Annulinus.*

296. *Diocletianus Aug. VI. & Constantius Cæsar II.* Quinquennalia ejusdem Constantii, qui ob id Consul procedit. Consulatus verò Diocletiani juxta III. Regulam. Incidunt & in hunc annum Decennalia Imperii Augustei Herculi, quæ videtur distulisse, aut saltem Consulatum eis additum.

297. *Maximianus Hercules Aug. V. & Galerius Maximianus Cæsar II.* Herculi Consulatatus juxta II. Regulam sicuti & Galetii. Hic enim annus hujus Quinquennialibus dicatus.

298. *Faustus II. & Gallus.*

299. *Diocletianus Aug. VII. & Maximianus Hercules Aug. VI.* Quindecennalia Diocletiani, & Imperii Cæsarei Maximiani Herculi. Quæ utraque hic Consulatatus indicat. Eusebius in Chronico ad annum Abrahami 2315. juxta Editionem Pontaci, ait: *Veturius magister militia Christianos milites persequitur, paulatim ex illo jam tempore persecutione adversus nos incipiente.* Exorditur is annus Abrahami mense Septembri anni Christi 298. quare perperam hoc consignatur in Editione Scaligeriana anno Abrahami 2317. quod præfata utriusque Imperatoris solemnia manifestè indicant. Magis adhuc contra Eusebii mentem confertur hoc à Baronio in annum Christi 297. Unde fit, ut postea anno 298. referat martyrium aliquot Christianorum militum, qui tamen tardiùs passi sunt. Qui error ex eo provenit, quod ad Imperii Diocletiani, non verò ad Abrahami annos respexerit. Sicut igitur ipsa persecutio in utriusque Imperatoris Vicennialibus cæpit; sic ejus quædam velitatio in utriusque Quindecennialibus, idque adversus milites, ut idem Eusebius lib.8. hist. cap.1. etiam affirmat: *Orsa primùm persecutione ab iis qui militabant.* Unde Martyrium Marcelli Centurionis, quod Baronius anno præcedenti narrat, & de quo à nobis actum capite secundo hujus secundæ partis num. 8. ante præsentem annum non contigit. Verum quidem est in Breviario Eborensi, ut notat idem Baronius, martyrium illud consignari sub Galli & Fausti Consulatu, sed hoc nullius momenti qui eas enim lectiones composuit, cum Eusebii in Chronico numerandi rationem non intelligeret, eum persecutionem adversus milites Christianos excitatam sub iis Consulibus docere existimavit, in quo toto cælo aberravit. Acta ejus Martyrii à Surio die 30. Octobris relata nullam aliam temporis notam præferunt, quàm Natale Imperatoris Maximiani nempe Herculi. In illis enim dicitur: *In civitate Tingitana procurante Fortunato Praside, advenit Natalis Imperatoris. Denique cum omnes in convivio epularentur, Marcellus quidam clarâ voce testatus est, Jesu Christo Regi aeterno milito.* Et infra: *jam die XII. Kalend. Augustarum, quando diem festum Imperatoris vestri celebrastis, publicâ voce respondi me Christianum esse.* Quæ loco laudato de Quindecennialibus Maximiani Herculi intelligenda esse diximus. Idem enim erat festum celebrare, ac hujusmodi solemnia agere, ut patet etiam ex loco Dionisii Alexandrini à nobis laudato

capite septimo hujus secundæ partis num. 5. ac præterea Imperatores inter eadem festa splendidissimis epulis nobiliores quosque excipiebant, ut patet ex Eusebio lib. 8. cap. 13. Sozomeno in fine libri secundi de Vicennialibus Constantini Magni loquente. Ac denique ex Pollione in duobus Gallienis cap. 9. porro hoc Actorum sancti Martyris loco manifestum fit diem duodecimum Kalendas Decembres, quò Lactantius lib. de mortibus Persecutorum dicit Diocletianum Vicennialia celebrasse, natalem fuisse Imperii Cæsarei ejusdem Herculii, ut antequam idem liber lucem vidisset, suspicatus fuerat. Quæ de re loco superius laudato.

300. *Constantinus Chlorus Cæsar III. & Galerius Maximianus Cæsar III.* Causa hujus Consulatus bellica utriusque facinora adversus Persas, & Ovatio eisdem decreta, uti dictum est cap. 8. hujus secundæ partis num IV. Quindecennialia etiam Maximiani Herculii his Coss. acta; diximus enim Imperatores vel Consulatum ad edenda hæc solemnia cepisse, vel viris valdè illustribus, aut sibi sanguine vel affinitate conjunctis cum magistratum gerentibus eadem celebrasse.

301. *Titianus II. & Nepotianus.*

302. *Constantinus Cæsar IV. & Galerius Maximianus Cæsar IV.* Decennialia Cæsarum, de quibus mentio in antiqua marmorea basi, in qua legitur: CAESARUM DECENNALIA, ab Onuphrio memotata, qui eadem in annum præcedentem perperam confert, nam vir doctissimus nullis regulis directus non poterat non errare: sunt multa quæ hoc anno ea Decennialia celebrata esse ostendunt, idcirco & anno 292. non verò superiori, Cæsarum præfatorum nuncupationem contigisse. Nam Idatius in fastis ait: *His Consulibus vilis- rora jusserunt Imperatores esse.* Quæ liberalitas horum solemnium nota, sicuti ea de qua loquitur Chronicon Alexandrinum: *In eodem anno panis castrensis apud Alexandriam à Diocletiano donatus est:* Quam tamen annonæ Alexandrinæ præbitionem Diocletianum potius auxisse, quam instituisse dicit Valefius in notis ad lib. 2. Evagrii cap. 2. Denique Eusebius in Chronico ait: *Therma Roma Diocletiana facta, & Maximiana Carthagine.* Thermae enim, quia inter opera publica eminebant, *lavacra*, inquit Ammianus lib. 16. *in modum provinciarum extructa*, annis quibus hæc solemnia fiebant, & ædificatæ & dedicatæ: Baronius in Annalibus harum Thermarum ædificationem perperam in annum 298. juxta Eusebium, quem male citat, confert. Sed observatu dignum quod is narrat, nempe Christianos milites ad earum constructionem, quòd fortes in Christi confessione

fectione perstitissent, damnatos fuisse, iisque absolutis, morti ad-
dictos.

303. *Diocletianus Aug. VIII. & Maximianus Hercules Aug. VII.* XV.
Utriusque Augusti Vicennalia, & Triumphus insigni pompa Romæ Initium per-
actus. Persecutionis decennalis initium. Qua de re vide quæ suo lo- secutionis
co diximus. Diocletia-

304. *Diocletianus Aug. IX. & Maximianus Hercules Aug. VIII.* -no.
Ludi seculares in hunc annum incidebant, quia ut ait Zosimus lib.
2. à Consulatu Chilonis & Libonis ad præsentem, centum & unus
annus effluxerant; qui licet celebrati non fuerint, in causa tamen
fuerunt, cur uterque Imperator Consul processerit.

305. *Constantinus Chlorus Cesar V. & Galerius Maximianus Cesar V.*
Quia Coinius tomo primo Annalium Ecclesiasticorum Francorum
Diocletiani initium anno 285. insigni errore collocavit, in alium
non minùs cavendum incidit; hunc enim Consulatum, qui in
omnibus Fastis legitur, expungere coactus est. Porro non parum ani-
mum meum excruciauit quod scribit Zozimus nuper laudatus, Dio-
cletianum & Maximianum sub præcedenti Consulatu Purpuram de-
posuisse; cum Eusebius, qui hoc tempore vivebat, tam in Chronico,
quàm in variis historiæ suæ locis, Idatius in Fastis, aliique idem
scribant, nullaque reperiantur numismata græca, in quibus annus
vicesimus primus Diocletiani, & decimus nonus Imperii Augustei
Herculii legantur, cum tamen plura extent, in quibus illius annus
vicesimus, hujus decimus octavus sculpti sunt. Nihil prætermisi, ut
nodum hunc dissolvere possem, totumque Codicem Justinianeuum
percurri, ne quid intentatum relinquerem; sed nihil in eo reperi,
præter subscriptionem l. 18. libri 9. Tit. 1. de his qui accusare non pos-
sunt, in qua legitur: *Data III. Kalend. Mart. Dioclesiano I X. &*
Maximiano VIII. AA. Coss. Sed cum hi non abdicarint nisi Ka-
lendis Aprilis, ut scribit Idatius, vel potiùs Kalendis Maiis, ut vult
Lactantius libro de mortibus Persecutorum capite 19. ex ea lege, in
cujus titulo utriusque Imperatoris nomen legitur, nihil præsidii hau-
rire potui; quæ tamen, si post mensem Maium emissa fuisset, diffi-
cultatem dirimeret, eosque adhuc tunc imperasse demonstraret. De-
nique hic Constantii & Galerii Consulatus videtur indicare eam ab-
dicationem anno præcedenti factam fuisse, eosque de novorum Prin-
cipum more, ac juxta l. Regulam illum sumpsisse. Verum enim verò
re momento suo ponderatà, hujus Consulatus causam aliam assig-
nandam puto; cum disertè ac sæpiùs Lactantius, qui tum vive-
bat, loco laudato tradat Diocletianum & Maximianum sub hujus

anni Consulibus Kalendis Maiis abdicasse. Ea autem causa hæc fuit. Diocletianus *anno ferè toto*, uti habet idem Lactantius cap. 17. antequam abdicaret, ægritudine tabuit, & demens factus est. Quo factum, ut rerum omnium administratio penes Galerium Maximianum fuerit, qui jam post victoriam Persicam anno 297. relatam, in tantos fastus elevatus est, *ut jam detrectaret Cæsaris nomen, & truci vultu, ac voce terribili exclamaret; quousque Cæsar?* inquit idem Lactantius cap.9. quæ ejus etiam insolentia confirmatur ex nummo, quem Hervvartus cap. 248. suæ Chronologiæ ait in Gazophilacio rerum artificiosarum Bavarico inveniri, in quo legitur: **MAXIMIANUS NOB. C. P. M. TR. P. P. P. PROCONSUL.** Magni Pontificis titulus ne ipsis quidem Augustis, qui ab aliis in Imperii societatem vocati fuerant, antequam illud tanquam hæreditas inter plures divideretur, concessus, sed seniori Augusto propria; & tamen Galerius, qui tantum Cæsar erat, non solum Patris Patriæ, sed & Pontificis Maximi nomen usurpabat. Quare cum jam ab anno 304. omnia pro arbitrato suo, attentâ Diocletiani dementiâ moderaretur, ejus Imperii Augustei initium ab eo anno, non à præsentis, quo Diocletianus & Maximianus Herculus abdicarunt, ab Eusebio aliisque desumptum. Quod ne gratis dicere videar, id ex ipsomet Eusebio in Chronico ostendo. Is licet eam abdicationem in annum 304. conferat, Cæsarium tamen nuucupationem, quam certum est eodem tempore ac abdicationem contigisse, hoc tantum anno consignat, quod cum viri docti non animadverterent, imo neque ante librum Lactantii de mortibus Persecutorum in lucem emissum animadvertere possent, scripsere id non nisi per transpositionem, aut Librariorum errore in eodem Chronico legi, cum tamen idem Eusebius hæc diversis annis propter jam assignatam rationem collocatum voluerit. Secundò solus inter Antiquos in ea sententia Lactantius non fuit, Victor enim de Cæsaribus de Constantii Chlorig Imperio Augusteo loquens ait: *Imperium Constantio annum fuit*, quod verum esse non potest, nisi is anno 305. imperare cœperit, cum anno 306. obiit. Excerpta Chronologica apud Scaligerum pag. 80. habent: *Diocletianus & Maximianus regnaverunt ann. XXI.* Et Cedrenus eos imperasse scribit *annos XXII.* utroque scilicet extremò incompleto numerato, quæ ab aliquo veteri Auctore hausta non dubitandum, sicuti & quod Marianus Scotus tradit eundem Constantium Eboraci *Maximino & Severo Consulibus*, nempe suffectis, obiisse. Ex quo patet utrumque hoc anno creatum fuisse Cæsarem, ideoque Diocletianum & Maximianum abdicasse. Firmant etiam opinionem Lactan-

rui numismata Græca Constantii Chlorig à Goltzio relata, quæ primum & secundum tantum Augustei ejus Imperii annum exprimunt, qui tamen tertium attingisset, si anno præcedenti Augustus levatus fuisset. Non inveniuntur autem numismata Diocletiani aut Maximiani Herculi, quæ illius vicesimum primum, hujus vicesimum memorent, quia fortè ob Galerii insolentiam, quæ utrumque tandem abdicare coëgit, nulla cusa sunt, licet id de Herculo, qui in Occidente imperabat, creditu difficilius sit. Hæc igitur in posterum abdicatio in hujus anni Kalendas Maias cum Lactantio conferenda. Et hæc de Consulibus, qui durante secundâ Imperii Romani administrationi formâ Fastis nomen dedere.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Consulatum Cesareorum à prima Imperii divisione ad eam, qua Valentiniano & Valente Imperatoribus facta Rationarium, ac Decennialium & id genus festorum ordinatio juxta nostras Regulas.

Quemadmodum Judæi suos annos Sabbathicos habuere, qui quolibet septennio indicebatur, & toto illo annuo spatio observabantur, ita ut servi indigenæ manumitterentur, ac quicquid sponte nascebatur, id commune omnibus esset, & indifferenter à quibusvis colligeretur; ut videre est in Levitico cap. 25. sic Romanis sua Quinquennalia & id genus festa singulis Quinquenniis celebranda fuere, quibus reis Indulgètia fiebat, tributa, aut eorum pars remittebatur, urbes, & Ecclesiæ extruebantur, & dedicabatur, novi usus introducebantur, ac denique anni quibus ea exhibebantur, *in festivitatis, spectaculis, epulis, omnique Hilaritatis genere*, ut ait Eusebius lib. 8. cap. 13. transigebantur. Jam docuere viri docti, quem usum anni Sabbathici in Chronologia habeant, & quantum ad Annales veteris testamenti rectè ordinandos, eorum notitia conferat; restabat, ut quæ ex præfatis festis in Annales Ecclesiasticos, & civiles redundarent emolumenta, quis aperiret; quod nos hoc in opere tentamus. Verum quidem est in Decennialibus rem non adeo esse certam, ac in annis Sabbathicis, quæ stato, definitoque tempore recurrebant; cum contra ea aliquando decimo, aliquando undecimo anno fierent; imò & quandoque, aut uno anno anticiparentur, aut differrentur; sed licet hoc

I.
Tertia Imperii administrationis forma.

Hoc de utilitate, quæ ex iis percipi posset, non parùm detrahat, non tamen impedit quin suos usus habeant, eorumque beneficio, accidentibus præsertim aliis adminiculis, multi nodi alio modo non superandi solvantur. Quare quod exorsi sumus opus, perficiendum, & quæ in tertia regiminis Imperii Romani forma à Christianis Imperatoribus, acta Quinquennalia, Decennaliave, quàm accuratius potissimus, explicanda. Ubi enim Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus Imperium obtinere, novam faciem Reipublicæ inducere. His inquit Entropius lib. 10. *abruisibus* (Diocletiano nempe, & Maximiano Herculio) *ab administratione Reipublicæ Constantius & Galerius Augusti creati sunt, divisusque inter eos Romanus Orbis.* Quod etiam observat Orosius lib. 7. *Galerius, & Constantius Augusti, primi Imperium Romanum in duas partes determinaverunt.* Sed hac de re jam actum cap. 1. hujus secundæ partis. Postquam idem Constantius, & Galerius Kalendis Maiis annis 305. Augusti nuncupati sunt, Severus, & Galerius Maximinus Cæsares dicti, Purpurâque vestiti. Incertum autem an Maximianus Herculus antequam Imperium deponeret, Imperii Augustei Vicennalia egerit; is enim annus vicesimus erat iniens Imperii ejus Augustei. Quæ solemnia in causa forsân fuere cur Galerius Maximianus, & Constantius Chlorus eodem anno 305. Consules processerint. In re tamen incerta nihil determino.

II. 306. *Constantius Chlorus Aug. VI. & Galerius Maximianus Aug. VI.* Cæsarei Imperii utriusque Augusti Quindecennalia, ob quæ hic Consulatus sumptus. De iis egimus, cap. VI. hujus partis. Idem Constantius octavo Kalendas Augusti Eboraci mortuus est, cui Constantinus Magnus filius successit, qui tamen hoc anno, & initio sequentis Cæsar tantùm dictus est, donec Faustam Maximiani Herculei filiam uxorem duxit, ut docet panegyricus eidem Constantino dictus. Constantini imagine Romam perlata, Maxentius à Prætorianis militibus sexto Kalendas Novembres, ut habet Lactantius libro de mortibus persecutorum cap. Imperator acclamatus est. Præterea Galerius Maximianus Severum Cæsarem Augustum creavit, ut Constantinum *de secundo loco rejiceret in quartum*, ait idem Lactantius cap. 25. Cùm itaque Imperium à pluribus Augustis inter se discordibus regeretur, per annos sex, alii fuere Consules ordinarii in Italia, ubi Maxentius regnabat, alii in reliquo Orbe Romano. Qui eum divisim à Factorum Conditoribus propositi non fuerint, res Chronologica per hæc tempora aliquantulum obscurata. Quare Fasti per annos sex sequentes bifariam dividendi, ac in posteriori columna
Consules

Conſules à Maxentio, in priori Conſules ab aliis designati, exhibendi. Quæ porro de Conſtantino, Maximino, Licinio, aliisque ſupra retuli, hîc prætermittam.

*In potiori parte Imperii
Romani.*

307. *Novies & Conſtantinus.* Ita Faſti Idatii, & liber de Præfectis Urbi, id eſt, *Maximianus Herculius IX. & Conſtantinus Aug.* Vox enim hæc *novies* ad Diocletianum, qui jam *novies* Conſul fuerat, referri non poteſt, quod valdè obſervandum. Chronicon Alexandrinum Conſtantinum ſolum Conſulem edit, ſed non dubium quin Herculius, qui Imperium reſumpſit, idque ſub anni præcedentis finem, uti hic ejus Conſulatus oſtendit, anno nomen dederit; Faſti enim Idatii, & libellus de Præfectis Urbi auctore Chronici Alexandrini in Conſulibus referendis longè accuratior. Utriusque Conſulatus juxta primam Regulam.

308. *Decies & Maximianus VII.* Ita Idatii in Faſtis, Libellus de Præfectis Urbi, & Catalogus veterum Pontificum. Controverſia eſt inter eruditos, an vox illa *decies* de Diocletiano, vel Maximiano Herculio intelligenda ſit. Sed non dubito eam juxta dicta de Maximiano Herculio prolatam fuiſſe. Is enim Imperium reſumpſerat, hicque annus in quinta ejus Quinquennialia incidit.

In Italia.

307. *Post Sextum Conſulatum.* Idatii, & Libellus de Præfectis Urbi, id eſt, *post sextum Conſulatum Conſtantii Chlorig, & Galerii Maximiani.* Ex quo conſtat falſam omninò eſſe eorum ſententiam, qui arbitrati ſunt Conſtantium Chlorum anno 305. demortuum eſſe, aut eundem quinque tantum Conſulatus geſſiſſe. Quare initium Imperii Conſtantini certiffimum. Severus Auguſtus à Galerio Maximiano in Italiam cum exercitu miſſus Ravennæ menſe incerto extinctus eſt. Lactantius libro laudato. Idem Galcrius Maximianus tertio Idus Novembris Licinium Auguſtum nuncupavit, quod ægrè ferens Galerius Maximinus ſeipſum ante hujus anni finem Auguſtum dixit.

308. *Maxentius Aug. & Romulus.* Ita Idatii, & Libellus de Præfectis Urbi. Romulus filius erat Maxentii ab eoque Caſar, ut patet ex nummis, dictus fuit. Quare is utriusque Conſulatus juxta I. Regulam. Neque Maxentius ſolus fuit, qui primum Conſulatum in annum ſecundum Imperii diſtulit, ut aliis exemplis liquet. In Libello de Præfectis Urbi ante Præfatorum Conſulorum recitationem legitur:

H h Conſules

III.
*Imperium
Conſtantini,
Galerii Maximiani,
Maxentii
Licinii, &
Maximini.*

cidebat, quæ ejus Consulatus causa, cui Maximianus Galerius juxta III. reg. Collega fuit. In Chronico Alexandrino legitur Παιινδικάτου, ὑ Μαξιμιανὺ Γαλερίου τὸ ζ. Id est, iterum decies, & Maximiano Galerio VII. Quæ Raderus, sicuti, & Onuphrius, qui pro se habent Cassiodorum, & Victorium, de Diocletiano explicant. In cujus etiam sententiæ confirmationem Norisius in doctrina Factorum eruditissimus, Dissert. de Numismat. Impp. Dioclet. & Maximian. cap. 5. ad probandum hunc decimum ejusdem Diocletiani Consulatum affert locum Eumenii in Panegyrico Constantino anno 310. post Herculiæ mortem dicto, ubi cap. 15. de Diocletiano loquens ait: *Felix beatusque verè quem vestra, tantorum Principum colunt obsequia privatam*: Existimat enim Galerium Maximianum, quò devoti animi obsequium erga Diocletianum, à quo ad Imperium evectus fuerat, testatum faceret, eundem quamvis privatam unà secum Consulenti designasse. Sed Cassiodori & Victorii Facti per Diocletiani tempora depravatissimi, & is Eumenii locus non magis id evincit quàm quod habet Eutropius lib. 9. ubi ait Diocletiano contigisse, quod nulli post natos homines, *ut cum privatus esset, inier divos sament referretur*. Illa itaque obsequia, sicuti & is honos, nihil ad Consulatum facit.

Magis urget quod habet Victor de Diocletiano in Epitome: *Imperavit annis viginti quinque*: quomodo enim hoc verum esse potest, nisi saltem hoc anno Consul processerit? Existimo tamen ita locutum Victorem, quia Diocletianus usque ad currentem annum publicorum consiliorum particeps fuisse videtur. Certè Zozimus lib. 2. eum Carnunti in Pannonia aliquo

tempore

Consules quos infferunt DD. NN. AUGUSTI, quibus verbis manifestè patet hujus anni initio ob bella civilia Maxentium inter & alios Augustos nullos Consules ordinarios in Italia processisse.

tempore degiſſe fidem facit, & Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum cap. 29. de nuncupatione Licinii Auguſti ſub anni præcedentis finem eodem in oppido factâ loquens ait: *aderat ibi Diocles à genero* (Galerio nempe Maximiano) *nuper acciſus, ut quod ante non fecerat* (id eſt cùm Severum Auguſtum vel Licinium Cæſarem renunciavit) *preſente illo Imperium Licinio daret, ſubſtituto in Severi loco. Itaque fit utroque preſente*, imò conſenſum præbente. Nam, ut ait Euſebius lib.8. cap. 13. *Post hac Licinius communi Imperatorum ſuffragio Imperator & Auguſtus declaratus eſt.* die nempe tertio nonas Novembris anni 307. Quare Victor eos annos viginti quinque ab anno 284. uſque ad præſentem, quò Salo- nam ſecceſſit, unde non ampliùs exiit, neque publicorum conſiliorum particeps fuit, enumerat, & utrumque extremum incompletum includit. Neque hujus difficilis loci alium ſenſum eſſe puto.

309. *Post Conſulatum X. & VII.* Ita Idatius, & Li bellus de Præfectis Urbi, id eſt, *post Conſulatum decimum Maximiani Hercu- cili, & ſeptimum Galerii Maximiani*; quæ loquendi formula nullos hoc anno Conſu- les ob diſcordiam Imperatorum creatos fuiſſe oſtendit.

310. *II. Post Conſulatum X. & VII.* Ita Idatius,

309. *Maxentius I I.* & *Romulus II.* Ita Idatius, & Libellus de Præ- fectis Urbi. Sumptus is Conſulatus à Maxentio, (cujus filius Collega juxta II. Regulam) pro- pter varia bella quæ geſ- ſit, de quibus videndus Panegyricus Incerti poſt cædem Maxentii Con- ſtantino dictus cap. 3. Maxentius in Inſcriptio- ne Veronenſi appellatur IMP. XI. propter plures nempe relatas ab eo vi- ctorias.

310. *Maxentius III.*
Hh 2 Solms

Idatius, & Libellus de Præfectis Urbi, id est anno secundo post Consulatum X. Maximiani Herculis, & septimum Galerii Maximiani; quæ etiam loquendi formula ostendit nullos hoc anno creari potuisse Consules. Est hic annus quintus evolutus Imperii Augustei Galerii Maximiani, quemadmodum & Imperii Cæsarei Galerii Maximini. Quare non dubitandum utrumque hoc vel superiori anno Quinquennalia edidisse, ob idque persecutionem adversus Christianos de more recruduisse. Edidit & Quinquennalia Constantinus Magnus, ut ostendimus cap. 6. hujus partis num. 6. ejusque jussu Maximianus Herculis mense & die incertis Massiliæ strangulatus est, quod eidem Constantino mortem moliretur, qua de re videndus Lactantius lib. de mortibus Persecutorum cap. 30.

311. *Galerius Maximianus Aug. VIII. solus.* Ita Idatius, & Catalogus veterum Pontificum. Ei paulo post Collega adjunctus est Licinius, ac dein post Licinium Maximinus II. Prior tanquam Consul ordinarius, posterior uti suffectus, ut diximus, alibi; & magis explicabimus parte tertia cap. primo. Est hic vicessimus Imperii Cæsarei ejusdem Galerii Maximiani annus inchoatus, qui tamen Vicennalia in annum sequentem distulerat, sumpto interim Consulatu, ut à quibusdam aliis Augustis factitatum. Qua de re legenda quæ diximus parte 2. Atque ex hac ejus Vicennalium anno sequenti celebratione clarè deducitur eundem anno 292. nuncupatum fuisse Cæsarem; si enim anno 291. ut communiter Eruditi docent, eam dignitatem obtinisset, hoc anno Kalendis Martiis Tribunitiam potestatem vicessimam primam iniisset, & Vicennalia

Solus. Ita Idatius, & Libellus de Præfectis Urbi ex quo rectè inferit Norisius loco laudato Romulum ejus filium jam hoc anno obiisse; cum aliter Patris de more Collega fuisset. Et quidem eum ante patre obiisse constat ex nummis; in quibus dicitur Divus, quia nempe ab eo Apotheosi cohonestatus fuit. Est hic quintus ejusdem Maxentii annus, in quem ejus Quinquennalia incidebant, quæ tamen in annum Christi 312. distulit, sumpto interea Consulatu.

311. *Rufinus, seu Rufinus Volusianus, & Eusebius.* Vcrum quidem est Idatium in Fastis edere *Rufinum, & Volusianum,* & auctorem Libelli de Præfectis Urbi, *Rufinum, & Eusebium,* imò hunc insinuare provento jam anno eisdem Consules creatos: ait enim, *Consules quos jussit DD. NN. Augusti, ex mense Septembri, factum est Rufino, & Eusebio;* sed non dubito Idatium ex uno Consule duos fecisse. Apud Zozimum enim legitur, *Rufinum Volusianum præfectum Prætorio*

Vicennalia celebræſſet; & tamen | rio Maxentii fuiſſe, idque hoc,
ut ex Edicto ab eo in favorem | vel præcedenti anno, quare poſt
Chriſtianorum paulò ante mor- | eam dignitatem Conſul cum Eu-
tem dato conſtat, Tribunitiam | ſebio fuit.

potèſtatem XX. tantùm ſuſcepit,
& ad eadem Vicennalia anno ſe-
quenti celebranda, ingentia tribu-
ta à ſubditis exegit, ut docet La-
ctantius libro laudato cap. 31. qui
locus egregius eſt ad oſtendendas
magnas expenſas, quæ in iis ſo-
lemniis fiebant, & quantis pecu-
niarum contributionibus eandem
ob rem Provinciales premebantur.
Idem tamen Galerius Maximia-
nus ea celebrare non potuit: hoc
enim anno poſt Kalendas Maias,
quibus ſeptimum Imperii Augu-
ſtei annum exorſus eſt, è vivis ex-
ceſſit, uti diximus ex Lactantio
loco citato.

Galerius Maximinus Imperii
Auguſtei Quinquennalia hoc an-
no edidiſſe oſtendimus ſupra par-
te 2. cap. 6. n. 11. indicatque per-
ſecutio adverſus Chriſtianos ab
eo circa menſem Novembrem rur-
ſus excitata: licet enim poſt Edi-
ctum à Galerio Maximiano paulò
ante menſem Maium emiſſum Ju-
dicibus ſuis mandarit, ut ab eo-
rundem vexatione abſtinerent, uti
narrat Eusebius lib. 9. cap. 1. tamen
ut capite ſequenti dicit Eusebius,
ne ſex quidem integris menſibus pa-
cem ſervavit. Quæ adverſus eos
egerit, quinque ſequentibus capi-
tibus apud eundem auctorem le-
genda, nam hæc in Annalibus Ec-
cleſiaſticis non accuratè deſcripta.

312. *Constantinus Aug. II. & Licinius Aug. II.* Sumptus iste Consulatus ob bellum Maxentianum, ex quo & apparet cœptum illud fuisse anno elapso, quod etiã deducitur ex Lactantio libro laudato, & Eutropio, qui ait Constantinum quinto Imperii sui anno bellum illud movisse.

Diocletianus tertio nonas Decembris Salonæ obiit. Diem nos docet Idatius in Fastis; annum Lactantius libro de mortibus Persecutorum, qui ejus morte narratã cap. 43. ait: *unus jam supererat de adversariis Dei, cujus nunc exitum, ruinamque subnectam.* Inteligit Galerium Maximinum, cujus mortem cum non referat, nisi enarrato jam Diocletiani interitu, cui Maximinum superstitem fuisse dicit, claret eam hoc anno, non 316. ut communiter fit, consignandam esse.

312. *Maxentius Aug. VI. Solmi.* Ita Idatius & libellus de Præfectis Urbi. Sumptus is Consulatus à Maxentio propter triumphum Carthaginẽ de Alexandro qui Imperiũ in Africa arripuerat, actum. Licet enim is anno elapso victus fuerit, (cum anno 307. imperare cœperit, & in nummis apud Goltzium quatuor tantum Imperii ejus anni legantur,) nihilominus triumphum in hunc annum dilatum fuisse is Consulatus ostendit; eò magis, quòd hoc anno Quinquennalia edere idem Maxentius decrevisset; quæ duo eodem sæpe anno acta pluribus exemplis constat. Idem Maxentius sexto Kalendas Novembres Imperii ejus Natali, quòd ea solemnia celebrare debebat, à Constantino victus, profligatusque est, ut suo loco diximus.

IV.
Imperium
Constantini
usque ad
ejus Mortem
obitiam.

313. *Constantinus Aug. III. & Licinius Aug. III.* Sumptus iste Consulatus ob novum Urbis, Italiæ, & Africæ Imperium. Præterquam quod incidebant in hunc annum Ludi seculares juxta ordinationem Augusti, ut observat Zozimus lib. III. quos licet Constantinus contempserit, in Consulatu tamen capessendo ad eisdem respicere potuit. Galerius Maximinus Tarsi in Cilicia mense circiter Augusto periiit, ut supra suo loco dictum est.

314. *Volusianus, & Annianus.*

315. *Constantinus Aug. IV. & Licinius Aug. IV.* Licinii Decennalia hoc anno peracta, ut probatum est supra cap. 7.

316. *Sabinus, & Rufinus.* Constantini Magni Decennalia, ut eodem loco ostendimus. Undè, ut videre est in hoc exemplo, Augusti Consulatum nonnumquam ab hujusmodi solemnibus sejungebant.

317. *Galliscanus, & Bassus. His Coss. levati tres Caesares, Crispus, Licinius, & Constantinus die Kal. Mart.* Ita Idatius in Fastis. Dies is electus,

electus, quia Constantius Chlorus Crispi, & Constantini junioris avus eo etiam die Cæſar nuncupatus fuerat. Iidem Cæſares Conſules proceſſere juxta I. Reg. & cum iis uterque Auguſtus honoris cauſâ juxta III. Ea nuncupatio anno præcedenti de more fieri debebat, ſed in hunc annum propter rationes nobis incognitas dilata.

318. *Licinius Aug. V. & Crispus Cæſar.*

319. *Constantinus Aug. V. & Licinius Cæſar.* Licinius Auguſtus videtur hoc anno Quindecennalia celebraffe. Cœpta enim ab eo adverſus Chriſtianos perſecutio, ut alibi diximus; & licet hic tantum annus ejus Imperii decimus tertius iniens ſit; quia tamen ab ejus Decennialibus quintus eſt, ſi uterque extremus, quod fieri debet, numeretur; ideo tempus legitimum iis edendis fuit. Occo pag. 544. & Triſtanus tom. 3. pag. 484. Varia Licinii Auguſti Numiſmata, in quibus vota hoc anno, vel 315. ab eo ſuſcepta memorantur, Occo refert: In uno idem Imperator Galeatus cernitur, in cujus poſtica parte circùmſcribitur. VIRTUS EXERCITUS. In labaro, juxta quod ſedent duo captivi, legitur VOT. XX. In averſa parte alterius VIRTUS EXERC. S. F. adſuntque duo captivi cum labaro, in quo VOT. X. In alterius etiam poſtica parte habetur VICTORIAE LE-TAE PRINC. CAES. in quo duæ Victoriæ tenent clypeum cum VOT. XX. Incertum porro an ii in quibus vota Vicennalia exprimuntur, in ejus Decennialibus, aut Quindecennialibus percuffi fuerint; cum in utriſque ſolemnis vota Vicennalia nuncuparentur, ut alibi diximus. Horum autem, ſimiliumque nummorum, in quibus ea vota diſtinctè memorantur, ope, explicari poterunt nummi, annis quibus id genus ſolemnia peracta, cuſi, in quibus nulla eorum votorum mentio. In omnibus enim fere eadem expreſſa, eademque Inſcriptiones.

320. *Constantinus Aug. VI. & Constantinus Cæſar.* Hujus Conſulatus juxta III. Regulam, prioris juxta II. cum enim Quindecennalia edidiſſe, ſuo loco diximus.

321. *Crispus Cæſar II. & Constantinus Cæſar II.* Sumptus iſte Conſulatus ob Quinquennalia ab utroque acta, ut alibi oſtenſum eſt.

322. *Probianus, & Julianus.*

323. *Severus, & Rufinus.* Constantius à Constantino magno patre Cæſar creatus eſt ſexto Idus Novembris. Cujus rei geſtæ annus huc uſque incertus, ex ejus Decennialibus & id genus feſtis certus redditur.

324. *Crispus Cæſar III. & Constantinus Cæſar III.* Liciniano bello
anno

anno elapso cœpto, utpotè quæ ex Cedreno annum unum, & menses octo durarit, Constantinus filios Consules in hunc annum designavit, ejus enim belli partem fuisse Crispum docent Anonymus Valesianus, Zosimus, & Eusebius cap. ult. libri decimi. Is itaque Consulatus juxta IV. Reg.

V.
Imperium
Constantini
usque ad
Natale Urbis
C.P.

325. *Paulinus, & Iulianus.* His Coss. occisus Licinius, inquit Idatius in Fastis. Cœpta itaque Monarchia Constantini, secundum quam eum Orbis Imperium per annos tredecim obtinuisse uterque Victor scribit, numeratis nempe annis Julianis, ac utroque extremo incompleto. Sicut porro Gallienus quando post patris captivitatem solus rei Romanæ præfuit, Consulatum cœpit, ita Constantinus solus Monarcha Constantio filio Collega juxta III. Reg. seipsum Consullem in annum sequentem designavit, juxta I. Reg. Idem Constantinus Nicomediæ Vicennalia celebravit, quæ, ut inquit Eusebius in ejus vita lib. 4. cap. 47. Synodus Nicæna exornavit. Jacta, & hoc anno urbis Constantinopolitanæ fundamenta, licet communis opinio quam jam confutavimus, id anno 328. factum credat. Videnda etiam quæ de iis Decennialibus diximus suo loco.

326. *Constantinus Aug. VII. & Constantius Cæsar.* Vicennalia Romæ à Constantino Magno acta, ita Eusebius in Chronico, & Idatius in Fastis, quæ, sicuti novum Constantini Imperium, de quo anno elapso hujus Consulatus causa esse potuerunt. Constantini in hoc Consulatu Collega in magnam controversiam vocatus; Baronius enim, Calvisius, & Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani Constantinum Cæsarem sine numerali nota profitentur. Quod dissidium ut tandem dirimatur, tria supponenda sunt. Primum Constantinum Cæsarem quatuor Consulatus ordinarios gessisse, ultimumque in annum Christi 329. ut tunc dicitur, incidere. Secundum Constantii Cæsaris Consulatum secundum in annum 329. competere, qua de re inter omnes convenit. Tertium utrumque Consulatum tam quartum Constantini Cæsaris, quam primum Constantii Cæsaris ejus fratris, vel hoc anno, vel annis 327. aut 329. ut examinanti Fastos patebit, gestum esse. Cum itaque quartus ejusdem Constantini Consulatus in annum 329. ut ibidem ostendetur, conveniat, sequitur præsentem Constantium Cæsarem primum suum Consulatum edidisse. Quare rectè Onuphrius eum hoc anno exhibuit, cui suffragantur Idatius in Fastis, Libellus de Præfectis Urbi, fragmentum Bucherii, & Centenarius paschalis laterculus ab eodem Bucherio in Lucem editus, Victorius, Prosper, Auctor Chronici Alexandrini, & pleræque leges Codicis Theodosiani hoc anno datæ. Unde miror Gothofredum obmendosas

mendofas nonnullas legum ſubſcriptiones , in quibus legitur Conſtantinus ſine numerali nota , eundem Conſulem obtruſiſſe , licet is dicendus fuiſſet Conſul IV. ſi hoc anno Conſtantini patris in Conſulatu Collega fuiſſet.

Hieroſolymitanæ Eccleſiæ excitandæ Conſtantinus Magnus animum adjecit. In Epiftola enim , quam de ejus ædificatione ſcripſit ad Macharium Episcopum Hieroſolymitanum , quam Eufebius refert in vita Conſtantini lib. 3. cap. 30. dicit ſe hujus ædificii curam commiſſiſſe Draciliano agenti vices Præſectorum Prætorio , quod is munus hoc anno gerebat , cui ideo inſcribitur l. 1. *de Hereticis* , ſub hujus anni Conſulibus , propoſita Cæſaræ in Paleſtina. Quæ lex etiam obſervanda , quod privilegia , quæ contemplatione religionis indulta ſunt , Catholicæ tantum legis obſervatoribus , non verò Hæreticis , & Schiſmaticis prodeſſe decernat.

327. *Flavius Valerius Conſtantinus , & Maximus*. Ita rectè Oruphrius , qui credit Conſtantinum hunc filium fuiſſe alterius Conſtantini fratris Conſtantini Imperatoris. Valeſius verò in notis ad lib. 14. Ammiani exiſtimat eſſe ipſummet Conſtantini fratrem. Eundem Conſtantinum hoc anno exhibent Viſtorius iisdem , quibus à nobis conſignatum eſt verbis , Idatius , & Proſper , ſed hic perperam cum nota numerali II. Error itaque irrepiſit in fragmentum Bucherii , Libellum de Præſectis Urbi , Centenarium Paſchale laterculum ab eodem Bucherio publicatum , & Chronicon Alexandrinum , ubi proponuntur Conſtantius , & Maximus. Ita etiam legitur in Codicis Theodoſiani legibus hoc anno datis , ſine Cæſaris titulo , ſed cum nota numerali V. quæ ſine dubio addititia eſt , & loco Conſtantini , ſcriptum perperam Conſtantius ; ſicuti , & in Catalogo veterum pontificum loco Conſtantii & Albinus qui anno 335. magistratum geſſere , eodem errore legitur *Conſtantinus & Albinus* , hæc enim nomina ob convenientiam facile confunduntur. Conſulatus is Decennialibus Conſtantini Cæſaris dicatus , quia , ut diximus , quondam Cæſares , & Auguſti annis quibus ea edi debebant , Conſulatum non capeſſebant , is ejuſdem familiæ viris , aut perſonis illuſtrioribus deferri ſolebat. Eorum ſolemniū hæc nota : *Drepanum Biſhynia civitatem in honorem martyris Luciani ibi conditi Conſtantinus inſtaurans ex vocabulo matris ſue Helenopolim nuncupavit* , inquit Hieronymus in Chronico. Ita etiam hoc anno Chronici Alexandrini auctor.

328. *Januarius & Juſtus*. Quinquennialia Conſtantii Auguſti quorum index , quæ habet Hieronymus in Chronico : *in Antiochia Dominiſticum , quod vocatur Aureum , edificari ceptum*. Plura etiam egregia

gia opera publica Constantinopoli quæ tunc condebatur, facta, ut videre est ex iis quæ diximus cap. 6. num. 9.

329. *Constantinus Aug. VIII. & Constantinus Cæsar IV.* Consulatus Constantinii Cæsaris juxta III. Reg. Constantinii Augusti juxta II. Licet enim Quindecennalia in annum ordinarium distulerit, hoc tamen hunc magistratum coepit. Ex eo porrò Constantinii Cæsaris Consulatu quarto pendent quæ annis 326. & 327. scripsimus. Quare auctores quibus innitimur, in medium adducendi. Constantinum itaque cum nota numerali IV. profitentur hoc anno Idatius, Fragmentum Consulare, Centenarius Paschalis laterculus, & Libellus de Præfectis Urbi, quæ tria opuscula Bucherius edidit, Prosper, & variorum leges Codicis Theodosiani hoc anno datæ; Sed quia aliquæ librorum errore habent *Constansium*, loco Constantinii, Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani eundem Constantinum IV. hæsitando tamen proponit, notatque in aliquibus subscriptionibus legi Constantinum V. At eas mendosas esse nullo modo dubitandum. Constantii, & Constantinii nominum confusio non solum in libris Faistorum, & subscriptionibus legum, sed etiam in quibusdam historicis non observata viros Doctos sæpè in errorem induxit.

VI.
Imperium
Constantini
à natali C.
P. ad ejus
mortem.

330. *Gallicanus & Symmachus.* Quinta Quinquennalia Constantinii Magni, quæ indicant Constantinopolis Encœnia die undecima Maii, feria secundâ facta, de quibus Auctor Chronici Alexandrini, qui addit Constantinum Zeuxippum balneum publicum omni genere statuarum ærearum, columnarum, & marmorum exornatum, à se anno elapso ædificatum, eadem die aperiri præcepisse. Qui tamen sub Lacerani & Rufini Consulatu, anno nempe Christi 197. jam scripserat extructum illud fuisse à Severo: quod & Gothofredus lib. 15. Codicis Theodosiani tit. 1. de operibus publicis l. 52. variorum Auctorum locis confirmat, Auctore tamen Chronici Alexandrini non citatò. Existimandum itaque inſtauratum illud fuisse à Constantino.

332. *Bassus & Ablavius.* Quindecennalia Constantinii Cæsaris, quo referenda quæ scribunt Hieronymus in Chronico: *Edicto Constantinii Gentilium templa everſa ſunt*, & Theophanes: *hoc anno pius Constantinus templorum pariter ac Idolorum everſionem promovit, adeo ut ubique delerentur, ipſorumque reditus Dei Eccleſia addicerentur.* Præterea Socrates lib. 2. cap. 8. loquens de Concilio Antiocheno anno 341. ad dedicandam Eccleſiam celebrato, de eadem ſcribit: *quam Auguſtorum pater Conſtantine adificare cœperat: poſt ejus antem obitum Conſtantine filius decimo poſt anno quam jacta fuerant fundamenta, abſolverat.*

absolverat. Si igitur anno decimo à fundamentis jactis dedicata est, hoc anno condita cœpta. A Socrate tamen, cui favet Nicephorus lib. 9. cap. 5. dissentit Hieronymus, qui uti diximus annò 328. tunc illius Ecclesiæ fundamenta jacta esse dicit. A quo porro erratum, an ab Hieronymo, an à Socrate incertum.

332. *Pacatianus, & Hilarianus.*

333. *Dalmatius & Zenophilus.* Constantium Cæsarem Imperiù Cæsarei Decennalia hoc anno celebrasse plura ostendunt. Primum hic Dalmatii, Dalmatii Censoris, qui Constantini Magni frater erat, Consulatus cujus in itinerario Burdigalensi his verbis mentio est: *Item ambulavimus Dalmatio F. Dalmatii, & Zenophilo Coss. III. Kalend. Junias à Chalcedonia.* Secundum, quia, ut habet Idatius in Fastis: *His Coss. levatus est Constantis die VIII. Kal. Ianuar.* Erat is etiam Constantini Magni filius. Præterea templa & Idola gentilium celeberrima, unà cum superstitionis gentilitiæ ornamentis everti continuata; *opesque & reditus* templis detracta; qua de re videndus Julianus orat. 7. pag. 424. Eunapius in vita Aedesii pag. 37. Libanius in orat. Apolog. 26. p. 531. & orat. *pro templis* pag. 9. Denique Constantius l. 3. *de Medicis & Professoribus*, quæ lib. 13. Codicis Theodosiani titulo tertio legitur, Medicis & Professoribus litterarum plenam ab omnibus muneribus immunitatem jam antea Principum beneficiis sancitam promulgavit. Quæ omnia hujusmodi solemnium indicia.

334. *Optatus, & Paulinus.*

335. *Constantius & Albinus.* Constantini Magni tricennalia die VIII. Kal. Augusti, ut Idatius in Fastis, & Chronicon Alexandrinum docent, celebrata, de quibus etiam locuti sumus suo loco. Hoc anno idem Constantinus *Dalmatium F. fratris Dalmatii Censoris, Cæsarem renuntiavit VIII. Kal. Octobris, Anibalinum quoque Regem nominatum purpurâ induit, & Cæsaream Cappadocia amandavit*, quo nempe eam tueretur, inquit author Chronici Alexandrini. Erat Annibalianus Dalmatii Cæsaris frater, cui Constantinus Constantianam filiam suam uxorem dedit, ut docet Anonymus Valesianus. Vides verum esse quod diximus Consulatum hujusmodi solemnibus addictum, gestum fuisse vel ab ipsis Imperatoribus & Cæsaribus, vel ab eorum propinquis, & annis quibus ea exhibebantur, Cæsarum aut aliorum Augustorum nuncupationes fieri solitas fuisse. Ex eodem porro Chronico Alexandrino corrigendus Idatius in Fastis, qui Dalmatium Cæsarem dictum scribit XIV. Kal. Octobris. Nam cum Constantinus Magnus Octavo Kalendas Imperium obtinuerit, octavo etiam Kalendas communicasse videtur, ut de Constante loquentes diximus.

336. *Nepotianus*, & *Facundus*. Est hic annus vicesimus inchoatus Imperii Cæsarei Constantini Junioris, quo Vicennalia celebrasse indicant quædam Leges Codicis Theodosiani in Chronologia à Gothofredo citatæ.

VII.
Constantinus
imperat cū
fratribus.

337. *Felicianus*, & *Titianus*. Constantinus Magnus die vigesima secundâ Maii descensui Spiritus sancti sacra obiit. *Et ipso anno nuncupati sunt tres Augusti Constantinus & Constantius & Constans V. Idus Septemb.* Inquit Idatius in Fastis. Sunt ii ejus filii. Incidunt in hunc annum vel in sequentem Quindecennalia Imperii Cæsarei ejusdem Constantii, & Quinquennalia ejusdem Constantis. In posterum qui Consules in Occidente Romæ, & qui in Oriente Constantinopoli designati fuerint ad majorem Fastorum claritatem, indicabo.

338. *Ursus*. Occid. & *Polemius* Orient.

339. *Constantius Aug. II.* & *Constans Aug.*

340. *Acyndinus* Orient. & *Proculus* Occid. Constantinus Junior occisus est.

341. *Marcellinus* Orient. & *Probinus* Occid. Quinquennalia Imperii Augustei Constantii & Constantis, de priori patet, quia hoc anno Antiochiæ Dominicum Aureum eò præsentè dedicatum, uti docent Socrates lib. 2. cap. 5. & Sozomenus lib. 3. cap. 5. De Constante colligitur, is enim, non Constantius, ut existimavit Baronius in Annalibus, gentilitiam superstitionem, & sacrificiorum usum abolevit hoc tempore, ut doctè explicat Gothofredus in Commentario Codicis Theodosiani lib. 16. tit. 10. *de Paganis, sacrificiis, & templis.*

342. *Constantius Aug. III.* & *Constans Aug. II.* Imperii Cæsarei Constantii Vicennalia, Constantis verò Decennalia. Quare sumptus is Consulatus juxta secundam Regulam.

343. *Placidus*, & *Romulus*, uterque Occidentalis.

344. *Leontius*, & *Sallustius*.

345. *Amantius* Orient. *Albinus* Occid.

346. *Post Consulatum Amantii & Albinii*, vel Constantius VI. & Constans III. Decennalia Imperii Augustei utriusque Imperatoris, ut eorum Consulatus juxta II. Regulam gestus indicat. Quod spectat illud quod Theophanes narrat: *Hoc anno Constantius monte maxima ex parte, præciso Seleucia in Syria portum paravit, & urbem adificiis amplificavit. Aliam quoque in Phœnice Antaradum prius dictam de suo nomine Constantiam vocavit.* Quod & de Syriæ portu docet Hieronymus in Chronico hoc anno. Chronicon Alexandrinum sub anni præcedentis Consulibus habet: *His Coss. Constantiane Therma Constantinopoli*

Constantinopoli juxta Apoſtolorum adem ceperunt adificari à Conſtantio Auguſto, menſe Aprili, die XVII. Quia nempe, ſicut Conſtantine pater balneum Zeuxippi anno 329. ædificavit, & ſequenti, quo quinta Quinquennalia celebravit, aperiri juſſit, ut diximus ex eodem Chronico Alexandrino; ita & Conſtantius idem feciſſe videtur.

347. Eusebius Orient. Rufinus Occid.

348. Philippus Orient. Sallia. Eſt hic annus viceſimus quintus Imperii Cæſarei Conſtantii, quintus verò decimus Conſtantis.

349. Limenius, & Catullinus. Ambo in Occidente creati.

350. Sergius, & Nigrinianus. Uterque Occidentalis. Conſtans Imperator in Faucibus Pyrencorum interfectus eſt à Magnentio, & levatus eſt Magnentius die XV. Kal. Februar. Et Vetrano apud Sirmium Kal. Maii eo anno. Et Nepotianus Roma III. nonas Junias, & pugna magna fuit cum Romanis, & Magnentianis. Ita Idatius in Faſtis. Eodem Magnentio tyrannidem exercente, alii Conſules in Provinciis, quæ ei parebant; alii in reliquo orbe Romano designati.

CONSULES IN ORBE ROMANO. | CONSULES IN GALLIIS, ITALIA ET AFRICA.

351. Post Conſulatum Sergii & Nigriniani. In Oriente enim propter bellicos tumultus nemo Conſulatum adminiſtravit. Anno elapſo octavo Kalend. Januar. Vetranius in ordinem redactus fuerat, ut colligitur ex Idatio, qui ait hoc anno levatum eſſe Conſtantium Cæſarem Idibus Martiis. Erat, is Juliani frater, & antea Gallus vocabatur. Hæc nuncupatio anno ſequenti, quo Conſtantius Auguſtei Imperii Decennalia celebravit, fieri debebat, ſed Perſis ingruentibus, eum eâ dignitate ornatum Antiochiam mittendum duxit idem Imperator.

352. Conſtantius Aug. V. & Conſtantius Cæſar. Conſtantii Cæſaris Conſulatus juxta I. Regulam, Conſtantii

351. Magnentius & Gaiſo. Ita Libellus de Præfectis Urbi, qui non alios Conſules exhibet, quàm qui agniti ſunt in Italia. Magnentii qui in nummis apud Goltzium Auguſtus dicitur, Conſulatus juxta I. Regulam.

352. Decemius, & Paulus. Decentii, qui frater erat Magnentii, quiſque in nummis apud Goltzium

VIII.
Constantius
imperat eſt
Magnentio.

Constantii Augusti juxta II. pro-
pter nempe Imperii ejus Augustei
Quindecennalia, quorum extat
apud Occonem numisma inscrip-
tum: FL. JUL. CONSTANTIUS
P. F. A U G. & in postica patē:
FELICITAS ROMANO-
RUM, in medio lauzæ V O T.
XV. MULT. XX.

zium dicitur Cæsar, Consulatus
juxta I. Regulam. *His Coss.* inquit
Idatius in Fastis, *Magnentius se*
interfecit in Gallis apud Engdu-
num die III. Idus Aug. Et De-
centius frater Magnentii laqueo se
suspendit XV. Kal. Septemb. Chro-
nicon Alexandrinum ait Maxen-
tium quarto Idus Augusti se in-
terfecisse.

IX.
Constantii
Monarchia.

353. *Constantius Aug. VI. & Constans Cæsar II.* Constantii Galli
Consulatus juxta III. Regulam, Constantii Augusti juxta II. tricen-
nalia enim Imperii Cæsarei Arelatis celebravit, ut diximus ex Am-
miano explicantes secundam Regulam Consulatum Cæsareorum.
Cœpta hoc anno ejusdem Constantii Augusti Monarchia secundum
quam dicitur à Victore annos octo solum imperasse. Per urbem Ro-
mam sacrificia nocturna ibi à Magnentio permessa abolevit, ut vi-
dere est in Codice Theodosiano l. 5. *de Paganis*: perque Italiam no-
minatim templa Gentilium ubique claudi, aditusque eorum, & sa-
crificiorum usum præcludi jussit l. 4. *de Paganis*. Quod & per Orien-
tem constituit. Qua de re Libanius orat. *pro templis* pag. 40.

354. *Constantius Aug. VI. & Constantius Gallus Cæsar III.* Prio-
ris Consulatus juxta I. Regulam, posterioris juxta III.

355. *Arbetio, & Lollianus.* Uterque Occidentalis. Anno elapso,
Constantio Gallo Cæsare Constantii Augusti jussu occiso; *his Coss.* le-
vatus est *Julianus Cæsar die VIII. Idus Novembres.* Ita rectè Idatius in
Fastis, perperam verò Chronicon Alexandrinum octavo Idus Octo-
bres. Idatio enim suffragantur Socrates lib. 2. cap. 27. & Ammianus
lib. 15. cap. 8.

356. *Constantius Aug. VIII. & Julianus Cæsar.* Juliani Consula-
tus juxta I. Regulam, Constantii juxta II. *His Coss.* *in mense Panemo die*
primâ Julii S. Thimothei discipuli quondam D. Pauli Apostoli (qui
primus Ephesi in Asia fuit creatus Episcopus) *Reliquia Constantino-*
polim cum summa veneratione delata sunt, & in eade SS. Apostolorum
sub ipso sacro Altari reposita, ait author Chronici Alexandrini. Idem
habet Hieronymus in *Chronico*, & Idatius in *Fastis*, qui tamen dicit
hoc factum die Kal. Jun. Vicennalia enim Augustei Imperii Constans-
tium hoc anno celebrasse ejus Consulatus ostendit, & Idatius in *Fa-*
stis indicat quando anno sequenti cum XXXV. Romæ edidisse
scribit,

scribit, nullâ Vicennialiorum mentione facta. Vide dicta suo loco.

357. *Constantius Aug. IX. & Iulianus Cæsar II.* Constantii Consulatus juxta II. Regulam, Juliani juxta III. Septima Quinquennalia Imperii Cæsarei Constantii de quibus actum hac secunda parte. Eorum signum quæ scribit Idatius in Fastis: *His Coss. introierunt Constantinopolim Reliquia SS. Apostolorum Andrea & Luca V. nonas Mart.* Idem habet Auctor Chronici Alexandrini, qui addit depositas fuisse in æde SS. Apostolorum. Eadem etiam ob solemniam ara Victoriz ab eodem Imperatore Romæ posito sublata, cujus rei testis Symmachus *Relat. ad Valentinianum*, & Ambros. *Epist. 31. ad Valentin.* Præterea Obeliscus Romæ ab eo erectus sub Orfito Præfecto Urbi, qua de re Ammianus lib. 16. & lib. 27.

358. *Neratius Cerealis, & Dacianus*, uterque Occidentalis.

359. *Eusebius, & Hypatius.*

360. *Constantius Aug. X. & Iulianus Cæsar III.* Quinquennalia ejusdem Juliani, cujus secundum III. Regulam Constantius Collega fuit. Eorum index quæ habet Auctor Chronici Alexandrini: *hoc anno mense Perisio, seu XV. Februarii magna Ecclesia Constantinopoli dedicata est.* Quod confirmant Idatius in Fastis, & Hieronymus in Chronico. Idem Chronicon Alexandrinum refert nomina complurium Episcoporum, qui præsentibus fuerunt, aitque septuaginta duos iis Encœniis interfuisse. Ex quo & patet Concilium Constantinopolitanum Arjanorum, de quo Socrates lib. 2. cap. 41. & Sozomenus lib. 4. cap. 26. & sequentibus, hoc anno, non verò præcedenti, ut perperam in Annalibus Baronius, fuisse celebratum. Encœmia enim olim celebrari consuevisse cum maxima Episcoporum frequentia, & quod templum erat magnificentioris structuræ, eò convocatos fuisse plures Antistites ad dedicationis festum, sæpiusque eosdem ea occasione Concilia celebrasse, jam supra ostensum est.

361. *Taurus Occid. & Florentius Orient.* Tertio Nonas Novembris, ut habent Socrates, & Idatius, Constantius obiit, successitque Julianus, qui anno elapso Parisiis à militibus Imperator acclamatus fuerat.

X.
Imperium
Iuliani &
Ioviani.

362. *Mamertinus, & Nevitta*, uterque Occidentalis.

363. *Iulianus. Aug. IV. & Salustius.* Occid. Juliani Consulatus juxta I. Reg. exemplo enim Trajani primum Consulatum in annum secundum Imperii distulit: *His Coss. occisus est Iulianus, Aug. in bello Persico die VI. Kal. Iulias, & quia Apostata à Deo, factus est etiam Christianorum persecutor, occisus est, & levatus est Christianissimus Iovianus*

Jovianus Aug. V. Kal. Julias. Inquit Idatius in Fastis.

364. Jovianus Aug. & Varronianus nobilissimus puer. Cùm Imperator Jovianus Dadastanis extremum diem obiisset die decimo tertio Kal. Martii, Consulatu suimet ipsius, & Varroniani filii: milites ex Gallia progressi septimo post die Nicaam Bithynia pervenerunt: atque ibi communi suffragio Valentinianum Imperatorem renuntiant sexto Kal. Martii, iisdem Consulibus, ita Socrates lib. 4. cap. 1. juxta Valesii versionem, quæ tamen quoad ultima verba, Socratis menti non respondet, in Græco enim legitur. *εἰ τῷ αὐτῷ ὑπαρσία*, id est, ut rectè Christophorus interpretatur, *illo ipso Consule*. Existimabat Jacobus Goar vir doctissimus in notis ad Theophanem, ex Socratis calculo Imperium Valentiniano unà cum Consulatu delatum fuisse, annoque sequenti Gratianum Dagalaifo Collegâ Consulatum edidisse ex eodem Socrate cap. 9. sed valdè fallitur, nam idem Socrates cap. 3. utriusque Augusti Consulatum, utique ordinarium memorat, ac postea cap. 9. Consulatum Gratiani, & Dagalaifi. Dicendum itaque videtur, aut Valentinianum à Joviano dum viveret, in annum sequentem designatum fuisse Consulem, eaque ratione absolutè Consulem à Socrate vocari, licet tantùm designatus esset; vel mortuo Joviano eundem Valentinianum Consulem, & Augustum renuntiatum, Consulatum statim admisisse, Imperium verò non nisi post bissextum, quod Ammianus lib. 26. docet, ita ut per dies decem quibus nullus Imperii gubernacula tenuit, Consul designatus fuerit Valentinianus qui quinto Kalendas Aprilis Valentem fratrem in consortium Imperii adscivit, ut habet idem Ammianus. cùm antea Gratianum filium nobilissimum, & Consulem in annum 366. designasset, quæ perperam à Theophane narrata, ait enim *Valentinianus Augustus cùm Gratianum filium Imperii Collegam simul, & Consulem declarasset, Augustum iussit salvari, Valentem verò fratrem Imperatorem renuntiavit*. Quibus verbis motus Goar laudatus credidit, Socratem existimasse Gratianum Consulem anno sequenti processisse, & Theophanem eundem authorem sequutum fuisse. Licet certum sit Socratem Valentiniani, & Valentis primum Consulatum rectè consignasse, & Theophanem Augusteum Gratiani Imperium anno non suo retulisse.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Conſulatum Caſareorum à Valentiniano & Valente ad Imperii Occidentalis excidium rationarium; ac decennialium & id genus feſtorum, per eodem annos ordinatio.

Valentinianus poſtquam Valentem fratrem Auguſtum creavit, Imperium cum eo partitus eſt, Occidenteque ſibi integro ſervato, puta toto Illyrico cum Macedonia, Italia, Africa, Gallis, Hiſpaniis, Britanniis fratri omnem Orientem reliquit. Ab hoc tempore uſque ad Imperii Occidentalis excidium, quod anno 476. contigit, Decennalia & id genus feſta ſummâ pompâ celebrata. Quæ res cum ad Annales Eccleſiaſticos rectè diſponendos plurimum faciat, hîc accuratè explicanda.

- I.
Imperium
Valentiniani, Valentes, Gratiani.

365. *Valentinianus Aug. & Valens Aug.* juxta I. Regulam. Procopius hoc anno tyrannidem Conſtantinopoli arripuit, ut docet Idatius in Faſtis, quod in Annalibus Eccleſiaſticis perperam in annum præcedentem confertur.

366. *Gratianus NP. & Dagalaifus.* Uterque Conſul Occidentalis. Gratiani Conſulatus ob Patris & Patruſ Conſulatum anno elapſo geſtum in hunc annum dilatus juxta I. Regulam. Procopius Tyrannus his Conſulibus victus in Phrygia ſalutari ad Nacoliã, interfectuſque, ut docent Idatius in Faſtis & Auctor Chronici Alexandrini.

367. *Lupicinus Orient. & Iovinus Occid.* ipſo anno *levatus eſt Gratianus Aug. in Galliis apud Ambianos in Tribunali à patre ſuo Auguſto Valentiniano die 1 X. Kal. Septemb.* Idatius in Faſtis.

368. *Valentinianus Aug. II. & Valens Aug. II.* Conſulatus hic Quinquennialibus utriuſque Imperatoris additus juxta II. Regulam. Ea tamen in annum ſequentem dilata.

369. *Valentinianus NP. & Aurelius Viſtor.* Is Valentinianus Valentis & Dominicæ filius natus erat die XV. Kal. Februarii anno 366. qui cum hoc anno proceſſerit Conſul., apparet cum anno elapſo creatum fuiſſe Nobiliſſimum puerum, ſub cujus Conſulatu utrumque Imperatorem Quinquennalia edidiſſe oſtendunt non tantum variaz leges in Chronologia Codicis Theodoſiani hoc anno citatæ, quibus privilegia varia confirmantur; ſed etiam quod ſcribit Idatius

K k in

Dissertatio Hypatica,

in Fastis : *His Coss. opus magnificum cisterna Constantinopolitana completum est à Domitio Modesto V. C. iterum Prefecto Urbis, quod in prima inchoaverat prefektura. Agon post annos XVII. restitutus est ab Aug. Valente.* Ita Idatius in Fastis.

370. *Valentinianus Aug. III. & Valens Aug. III.* Sumptus is Consulatus juxta VI. Regulam, propter Encœnia nempe Ecclesiæ SS. Apostolorum. *Horum Consularum dedicata est Ecclesia SS. Apostolorum Constantinopoli mense Xantico, VI. Idus Apriles.* Ita Auctor Chronici Alexandrini, cû suffragantur Hieronymus in Chronico, & Idatius in Fastis.

371. *Gratianus Aug. II. & Probus.* Uterque in Occidente creatus. Gratiani Quinquennalia, ut ejus Consulatus ostendit, sicuti & l. 5. de *Indulgentiis criminum*, quæ legitur libro nono Codicis Theodosiani, titulo 28. qua Valentinianus Senior Gratiani pater Senatui toti Romano indulgentiam petenti propter Senatores videlicet quam plurimos cujusdam criminis reos denegat, quod hujusmodi indulgentia toti Senatui data cum ejus infamia conjuncta foret, de quo crimine, indulgentiaque videndus Gothofredus in ejusdem legis Commentario, qui tamen non observavit hujus indulgentiæ petendæ occasionem, Gratiani nempe Quinquennalia.

372. *Modestus, & Arimbens.* Uterque Orientalis.

373. *Valentinianus Aug. IV. & Valens Aug. IV.* Utriusque Imperatoris Decennalia anno sequenti acta hujus Consulatus causa.

374. *Gratianus Aug. III. & Equitius Orient.* Sumptus is Consulatus à Gratiano propter bellum Alemannicum, de quo Ammianus libro 30. juxta IV. Regulam. Acta sub eo Decennalia à Valentiniano & Valente, quod non tantum variæ leges Codicis Theodosiani hoc anno datæ, sed & hæc Ammiani lib. 29. cap. ultimo verba ostendunt, *instauravit vetera plurima. Inter qua porticum excitavit ingentem, lavacro Agrippa contiguam, loquitur de Claudio hoc anno Urbis Romæ Prefecto.* Ea solemnia causa etiam suscepti à Gratiano Consulatus esse potuere. Huc reducenda l. 10. de *lustrali conlatione*, & l. 18. de *operibus publicis.*

375. *Post Consulatum Gratiani Aug. III. & Equitii.* Quia propter bellorum tumultus neque in Oriente, neque in Occidente hoc anno Consules fuere. *His Coss. Therma Carosiana (Valentis filia erat Carosia) dedicata sunt agente Prefecto V. C. Vindaliano Magno. Et ipso anno diem functus Valentinianus Senior XV. Kal. Decem. in Castello Virgitione, & levatus est Valentinianus Junior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in Tribunalis die X. Kal. Decemb. in Civitate Acinco,*

Acinco, in Pannonia inferiori. Initio enim Imperatorum, sicuti & in Decennialibus hujusmodi dedicationes fiebant.

376. *Valens Aug. V. & Valentinianus Aug.* Prioris Consulatus juxta III. Regulam, posterioris juxta I. Ex hoc porro Consulatu manifestissime liquet Valentinianum Nobilissimum puerum, qui anno 369. Consul ordinarius fuit, quique anno 371. obiit, ab isto diversum fuisse, alioquin diceretur is Consul II. licet nullibi cum nota numerali edatur. Quare ille Valentis, hic Valentiniani Senioris filius erat; quod primus omnium Valesius in Notis ad Ammianum observavit.

377. *Gratianus Aug. IV. & Marobaudes.* Uterque in Occidente. Gratiani Decennalia, ut ejus Consulatus ostendit.

378. *Valens Aug. VI. & Valentinianus Junior Aug. II.* Hujus Consulatus juxta III. Regulam, Valentis juxta II. Quindecennalia enim celebravit, quam in rem Chronicon Alexandrinum: *Hic Coss. Gratianus Augustus Marinam matrem suam renunciarit Augustam.* Ita Chronic. Alexandrinum, in eo peccans quod Marinam Gratiani matrem dicat. Is enim filius Severæ, prioris Valentiniani Senioris uxoris fuit. Ea itaque domus Augustæ Princeps aliqua femina. Eodem anno Valens aliquot ab Hadrianapoli miliaribus obiit tertio vel quinto Idus Augusti.

379. *Ansonius, & Olybrius*, uterque Occidentalis. Gratianus Theodosium Magnum XIV. Kal. Februarii Imperatorem renuntiavit. Ita Idatus in Fastis, Marcellinus, & Auctor Chronici Alexandrini. Valentiniani Junioris Quinquennalia, quo spectat l. 5. de *Hæreticis*, relata in Codice Theodosiano, qua Gratianus Hæreticorum omnium, nullo excepto, cœtus vetuit, revocato, seu infirmato, quod nuper apud Sirmium emerferat, Rescripto, firmatis viceversa Valentiniani patris sui; suisque in contrarium jussionibus. Huc præterea revocanda l. 12. de *Medicis & Professoribus*, qua Archiatrorum Palatinorum duæ immunitates conceduntur, & l. 11. de *Infralis conlatione*.

II.
Imperium
Valentinianũ
Junioris &
& Theodo-
si M.

380. *Gratianus Aug. V. & Theodosius Aug.* Utriusque Consulatus juxta tertiam, & primam Regulam; præterquam quod Theodosius de Scythicis gentibus triumphavit, teste Marcellino in Chronico.

381. *Eucherius Orient. & Syagrius*, Occidentalis. Valesius in notis ad lib. 28. Ammiani refellit Onuphrium, qui in Fastis ait Syagrium Orientis Consulem fuisse, citatque in hanc rem subscriptionem legis 88. & 89. Codicis Theodosiani de *Decurionibus*, & Symmachum in Epist. 95. lib. 1. Is etiam perperam ab eodem Onuphrio postumus Afranius dicitur.

382. *Antonius*, & *Afranius Syagrius II.* Uterque Occidentalis. Syagrius Auctor Chronici Alexandrini & Cassiodorus cum nota numerali edunt. Quare idem est ac qui anno elapso, quique Afranius dicitur à Sidonio lib. 1. Epist. 7.

383. *Merobaudes II.* Occid. & *Saturninus* Orient. His Coss. Arcadius levatus est Augustus à Theodosio patre XIV. Kal. Februarii. Marcellinus in Chronico, Auctor Chronici Alexandrini, & Paulus Diaconus. Ex quo & Natale Theodosii eodem die à nobis consignati firmatur. Eodem anno Gratianus Imperator Lugduni occisus est octavo Kalendas Septembris Maximi Tyranni dolo, qui exinde Imperium obtinuit ad annum usque 388.

384. *Clearchus* Orient. & *Richomeres* Occid. Quinquennialia Theodosii Magni, quod colligitur ex oratione sexta quam Themistius in laudem ejus habuit sexto Imperii ejus anno, ut paulo post ejus initium dicitur. Verum est orationem XVII. ejusdem Themistii inscriptam esse de *Qui. quennialibus*, Petaviumque in Notis scribere eam dictam in Quinquennialibus ejusdem Imperatoris, sed nihil impedit quin eodem anno propter diversas causas, duas Orationes idem Themistius ad Theodosium habuerit. Præterea Baronius hoc annum. 7. ostendit Symmachum Urbi Præfectum legatum fuisse ad Imperatorem, ut aram Victoriæ restituendam peteret, & gentilitiæ Religionis causam promoveret; cujus supplex libellus à Divo Ambrosio Epist. 30. & Prudentio contra Symmachum eodem tempore refutatus. Insuper portum & aquæductum Constantinopoli instauravit Theodosius, ut videre est lib. 15. Codicis Theodosiani tit. 1. de *operibus publicis* l. 23. Instaurati portus meminit idem Themistius oratione sexta. Ad hæc tributariæ rei, collatorumque indemnitati consulit Theodosius, idque per Phœnicem, ut videre est in Chronologia Codicis Theodosiani hoc anno.

385. *Arcadius Aug. 1.* & *Bauto* Orient. Arcadius primum suum Consulatam, Trajani, Constantii, ac Juliani Exemplò, in alterum Imperii sui annum distulit. Est hic decimus Imperii Valentiniiani Junioris annus, quem Decennialia edidisse ostendit l. 8. de *Indulgentiis criminum*, quâ Judicibus jubet, ut in posterum ubi primum dies Paschalis illuxerit, carceres aperiant, reosque solvant, non expectatis Principis literis, paschalemque Indulgentiam in ordinariam & assiduam jurisdictionem vertit.

386. *Honorius NP.* & *Evodius* Orient. Ita rectè Cassiodorus & Idarius in Fastis, sed perperam Marcellinus, que n sequitur Petavius in Chronico, Honorium Cæsarem profertur: Nobilissimi enim Insignibus

ſignibus quidem Cæſares erant , at non poteſtate , ut ex Zozimo deducitur. Neque in omnibus legibus hoc anno datis alio quàm Nobiliſſimi pueri titulo Honorius exornatur. Theophanes ad annua Chriſti 384. habet: *Theodoſius filium Honorium illuſtriſſimum, atque non à Conſulem deſignavit* , ubi interpres malè vertit hanc vocem *Επιφωριſτατον* , quæ eo in loco , ut rectè advertit Jacobus Goar in notis ad Theophanem , *Nobiliſſimum* ſignificat. Eum etiam in errorem identidem incidit Raderus in verſione Chronici Alexandrini. Vides interim, ut juxta I. Regulam iis Conſulatus deferretur , qui Nobiliſſimi declarabantur.

387. *Valentinianus Aug. III. & Eutropius Orient.* Idatius in Faſtis habet: *His Caſſ. Quinquennialia Arcadius Aug. propria cum Theodoſio Aug. patre ſuo, Editionibus, Ludisque celebravit XVII. Kal. Febr.* Eadem penè verba habet Marcellinus in Chronico , niſi quod diem omittit , in quo & Idatium erraſſe ex dictis colligitur. Alter Idatius in Chronico eodem anno tantum habet: *Arcadii Quinquennialia celebrantur.* Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani ait malè anno Theodoſii octavo ea conſignare Idatium. Sed annus Abrahami & Olympiadis eum à Marcellino , alterove Idatio non diſſentire evincit. Præfata verba, ni valde fallor , oſtendunt Theodoſium etiam Decennialia ſua quæ in annum ſequentem cadebant, in quo & juxta II. Regulam Conſulatum cœpit, edidiſſe. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani ex verbis Libanii in oratione ad Ellebichum pag. 526. ubi cauſam ſeditionis Antiochenæ aſſert, deducit eam hoc anno, non ſequenti, ut communiter Chronologi cum Baronio conſignant, contigiſſe: *Principi*, inquit Libanius, *ob neceſſitatem Imperii pecuniâ opus fuit, maxime cum ipſi quidem decimus, filio autem quintus Imperii annus procederent: quo tempore ſolent Imperatores aurum militibus largiri.* At ex iis contrarium potiùs colligitur; decimus enim Theodoſii annus, anno tantum ſequenti menſe Januario cœptus. Contra verò Valeſius in Notis ad Sozomenum lib. 7. cap. 23. ex iis deducit Decennialia Theodoſii anno ſequenti celebrata fuiſſe, & ſeditionem Antiochenam contigiſſe, quod Libanius, inquit, dicat hanc cauſam fuiſſe ſeditionis quod Imperator cum pecuniis opus haberet, quas militibus ſuis donaſet in Decennialibus Imperii ſui, & Arcadii filii Quinquennialibus, magnam auri vim indixiſſet Curia Antiochenſium. Sed Libanius non de Decennialibus Theodoſii, aut Quinquennialibus Arcadii loquitur, ſed de decimo prioris & quinto poſterioris anno. Hæc ejus verba: *χρημάτων ἀποδοῦναι τῶν ἐξ αὐτοῦ ἐπιφωριſτατον. ἢ μάλις αὖ τῶν μὲν ἐτῶν δέκα*

τον, τὸ παιδὶ δὲ πρῶτον τῆς βασιλείας ἐπέστη, νόμος δὲ ἐν τοῖς τοῖς χρόνοις χρυσὸν ἵνα δὲ ἢ ἐπέστη τοῖς ἐπιπέτοις ἐκ χείρας, quod si de Decennialibus & Quinquennialibus loqui voluisset Libanius, δεκαετηρίδῃ, & πενταετηρίδῃ nominibus usus fuisset. Præterea cùm Arcadius hoc anno Quinquennialia egerit, ea solemnia anno sequenti causam seditioni præbere non potuerunt. Quare licet ea seditione anno sequenti excitata videatur, ad id tamen probandum perperam ad Theodosii Decennialia, & Arcadii Quinquennialia recurritur. Melius ex illis verbis colligi posse arbitror, quando Decennialia anticipabantur, non ideo Quinquennale stipendium ante præstitutum tempus solutum fuisse; cùm ex Idatii & Marcellini verbis, uti diximus, videatur deduci, hoc anno Theodosium Decennialia sua anticipasse: & tamen anni sequentis initio adhuc collectam fuisse pecuniam, quæ militibus ob eadem Decennialia, & filii Quinquennialia danda erat. Præterea hic Libanii locus egregius est ad ostendum in Quinquennialibus ac Decennialibus Principes donativum militibus erogasse, singulis scilicet aureos quinque. Sicut enim hæc quædam quasi renovatio Imperii erat; sic quemadmodum quando Augusti vel Cæsares nuncupabantur, quod militum benevolentiam sibi conciliarent, liberales erga eos se ipsos exhibebant; sic & in huiusmodi solemnibus. Facit & ad hanc rem quod Gothofredus in lib. 4. Codicis Theodosiani, titulo 13. de longi temporis præscriptione in Commentario ad legem primam observat, Principes invicem Decennialibus suis à Senatu munera accipere solitos juxta illud quod habet Symmachus lib. 10. Epist. 26. ad Valentinianum Juniozem: *Senatus inquit, salutare tuum nomen precatur, ut in hac oblatione, qua non nihil superioribus addidit, intelligas hoc esse curatum, ne sub te minus posse videamur. Nam divi parentibus tuis (Valentiniano scilicet & Valente) ob decennium singulis minor summa decreta est. Etiam divus frater mansuetudinis vestra (Gratianus) cùm tertium Iustrum (scilicet Quindecennialia) avi Imperialis exigeret parciore munificentia honoratus asseritur. Nunc in amorem tuum studia nostra creverunt. Nam ille sexcentas auri libras Decennialibus Imperii Fastis devotus Senatus promisit &c.* Porro Valentiniani tertius Consulatus addictus fuisse videtur ejus Decennialibus, sed in hunc annum dilatus, ut Arcadio recens Imperatori creato, & Honorio Nobilissimo puero dicto hunc honorem deferret.

III.
Reliquum
Imperium
Theodosii II.
& Valenti-
niani II.

388. Theodosius Aug. II. & Cynegius Orient. Sumptus is Consulatus à Theodosio juxta II. Regulam; licet ut diximus ex verbis Idatii & Marcellini colligatur eum anno elapso Decennialia edidisse, ideoque

que anno uno anteverit. Maximus Tyrannus hoc anno tertio militari apud Aquileiam ab eodem debellatus quinto tyrannidis anno, vel quinto Kal. Septembris, ut habet Socrates lib. 5. cap. vel quinto Kal. Augustas, ut habet uterque Idatius.

389. *Timasius, & Promotus.* Est hic decimus Theodosii annus exactus, quo Romæ de Maximo anno superiori victo triumphavit; ex ea egressus Kalendis Septembris, ut docet Marcellinus in Chronico.

390. *Valentinianus Aug. IV. & Neuterius.* Quindecennalia ejusdem Valentiniani, quod pertinent quæ habet Marcellinus in Chronico: *Obeliscus in circo positus est. Columna haud longè ab Ecclesia constructa est, quæ argenteam Theodosii Magni statuam ferens hactenus complatur.* In hujusmodi enim solemnibus sive in Oriente, sive in Occidente fierent, nullo loci aut Imperii respectu habito, Obelisci erigebantur, aliaque id genus de more fiebant, quare præfata solemnitas in Occidente acta, & tamen Obeliscus in Oriente erectus. Ad hæc in Codice Theodosiano leguntur tres leges à Valentiniano datæ de operibus publicis, nempe 26. 27. 28.

391. *Taiianus Orient. & Symmachus Occid.*

392. *Arcadius Aug. II. & Rufinus.* Orient. Eiusdem Arcadii Decennalia, ut Consulatus ostendit. His Coss. Valentinianus Junior Viennæ in Gallia repertus est in Palatio præfocatus Idibus Mails Sabbatho pridie Pentecostes, ut docet Epiphanius libro de mens. & ponderib. Factum id Argobastis comitis factione, quâ Eugenius in Imperium eadem die erectus est.

393. *Theodosius Aug. III. & Abundantius.* Eiusdem Theodosii Quindecennalia, ut Consulatus, & l. 11. & 12. de *Annonis civibus*, quæ in Codice Theodosiano leguntur, demonstrant. Eæ gratuitæ civibus Constantinopolitanis præbebantur, ex Constantini Magni, & Constantii instituto, quibus ita consuluit Theodosius iisdem legibus, ut insuper novum Canonem *de summa*, seu incrementum in id adjece- rit CXXV. diurnorum modiorum frumenti l. 2. *Codici Inst. de annonis civilibus.* Præterea in Chronico Alexandrino legitur: *eodem anno dedicatum est forum Theodosianum.* Denique idem Theodosius quarto Idus Januariæ Honorium filium natu minorem Imperatorem renunciavit. Ita Socrates lib. 5. cap. 25. Petavius in Chronico putat his verbis, quæ Prosper & Marcellinus in Chronicis, ubi mensem & diem non exprimunt, utrumque manifestari: *tunc quippe horæ diei tertia tenebra facta sunt*, inquit Marcellinus, quæ ex Prospero videtur hausisse. Sol hoc anno, inquit Petavius, defecit die 20. Novembris,

vembris, feria prima, eaque defectio Constantinopoli, ubi ea nuncupatio facta, apparuit horâ post meridiem: Romæ verò horâ post mediam noctem, tempore apparenti. At ex ea eclipsi tantùm deduci debet eo anno, quò Honorius levatus est Augustus, non verò eodè die, aut mense tenebras illas factas fuisse. Nam die à Socrate memorato etiam Auctor Miscellæ eam designationem factam fuisse confirmat.

394. *Arcadius Aug. III. & Honorius Aug. II.* Prioris Consulatus juxta III. Regulam, posterioris juxta I. Eugenius Tyrannus à Theodosio Imp. victus, cæsusque est ad Frigidum amnem prope Aquileiam, octavo Idus Septembris, ut Socrates docet lib. 5. cap. 25. Arbogastes verò suâ se manu perculit, inquit Marcellinus in Chronico, qui addit: *Therma Arcadiana ex conditoris sui nomine nomen acceperunt.* Factum id ob initium Imperii Honorii fratris, sicuti & quod habet Chronicon Alexandrinum: *horum Consulatu posita est statua Theodosii Aug. in foro Theodosiano, mense Loo, primo Augusti.* Eadem enim initio Imperatorum, ac in annis Decennialium facta.

IV.
Arcadius
& Honorius
imperant.

395. *Olybrius, & Probinus,* ambo Occident. his Coss. ut habet Socrates lib. 5. cap. 26. Theodosius Magnus decimo sexto Kalendas Februarias Mediolani obiit, cui Arcadius in Imperio Orientali, & Honorius in Occidentali successit.

396. *Arcadius Aug. IV. & Honorius Aug. III.* Uterque Consulatus juxta I. Regulam.

397. *Casarius Orient. & Alticus.*

398. *Honorius Aug. IV. & Eutychianus Orient.* Quindécennialia Arcadii cum patre Imperantis, ut ex iis, quæ cap. 6. n. VII. diximus, intelligere est. Facit & ad hanc rem l. 34. *de hæreticis* lib. XVI. Cod. Theod. tit. V. relata, quâ Eunomiorum Clerici, & Montanistæ, omnibus urbibus expelli jubentur, ruri coctus agitare vetantur, & eorum codices ac libri sub aspectibus eorum cremari præcipiuntur. Revocanda & ad eadem solemnia l. 40. *de operibus publicis,* quæ lib. XV. ejusdem Codicis titulo primo extat, quâ Arcadius definit, *non nisi penitus diruta, destructaque, & qua parum sine usus civitatum, à privatis peti posse.* Nam, ut inquit Gothofredus in ejusdem legis Commentario: *Petere hac tempestate, seu impetrare privati sæpè publica opera à Principibus, variis occasionibus soliti: & Christiani quidem sæpè petitores emergebant operum publicorum. & quidem eorum, qua superstitioni Gentilium olim servierint, puta templorum, quæ hujusmodi solemnium occasione passim destruebantur.* Hujus itaque legis causa, quod vir doctissimus non animadvertit, Arcadii Quindécennialia,

naliam, in quibus non exiſtimo Syneſium præclaram de Regno orationem habuiſſe, cum ea menſe Januario in quem Arcadiani Imperii Natale incidit, celebrata fuerint; quo tempore Conſtantinopolim nondum videtur perveniſſe Syneſius, ſed tantum aliquot poſt menſes. Si enim hoc anno, menſe Januario, eam orationem recitaſſet, Conſtantinopoli uſque ad annum 400. quò ſe ex ea diſceſſiſſe ſcribit, non commoratus fuiſſet. Dicta igitur ea tantum anno ſequenti, ut loco laudato ſcripſimus.

Acta & eodem anno ab Honorio in Occidente Quinquennalia Imperii vivente Theodoſio Magno patre ſuſcepti, ut ejus Conſulatus oſtendit, qui ideo juxta ſecundam Regulam aſſumptus eſt, quibus quidem ſolemniis dirimi exiſtimo graves admodum controverſias, quæ extant de Synodi quintæ Carthaginienſis tempore. Acta ipſa Synodalia in collectione Iſidori Mercatoris, Codex Africanus, & Theodorus Baſamo adnotatum habent annum, *poſt Conſulatum Fl. Stiliconis*, id eſt, annum Chriſti 401. quod etiam tuentur Juſtellus præfat. in Cod. African. Perronius, Petavius, aliique viri docti. Baronius in Annalibus num. XXXIII. eam hòc annò conſignat ex ſcripto Codice exhibente annum *poſt Conſulatum Cæſarii & Aſtici*, id eſt, currentem. Quam ſententiam Gothofredus in Commentario legis 17. *de paganis, ſacrificiis, & templis*, quæ lib. 16. Codicis Theodoſiani titulo decimo legitur, verioſorem putat, niſi ea inquit ad annum ſequentem referenda ſit, quod probabilius autumat. At cum in eadem Synodo decretum ſit mittendam eſſe ad Imperatorem legationem, petendumque, ut reliquias Idolorum per omnem Africam jubear penitus amputari, aliaque poſtulanda, de quibus in ejuſdem Synodi canonibus; liquet eam hoc anno celebratam eſſe, cum, uti ſæpiùs obſervavimus, annis quibus hujusmodi ſolemnia fiebant, Legati ab urbibus, Provinciis, & Episcoporum Conciliis ad Imperatores mitti ſolerent, qui neceſſitates, ac gratias à religioſis Imperatoribus poſcerent. Quòd ſi leges hujus legationis intuitu datæ, anni ſequentis Conſulibus notatæ ſunt, non idèd eò annò illud Concilium habitum, ut exiſtimat Gothofredus, qui eas laudat, ſed quia non ſtatim aut legatio ſuſcepta, aut leges ab Imperatore emiſſæ propter varia, quæ moram afferre potuere.

399. *Manlius*, ſeu *Mallius Theodorus* Occid. & *Eutropius* Orient. Eutropii nomen è Faſtis eraſum, ipſeque in Magiſtratu occiſus. Quinquennalia Arcadii poſt patris mortem imperantis, ut oſtendimus cap. 6. num. 7. præterea templa paganorum in agris dirui ſine turba ac tumultu juſſit Arcadius; idque nominatim per Syriam Phænicem

l. 16. de Paganis, & Maiuma spectaculum antea concessum prohibuit, aliis ludicris concessis l. 2. de Maiuma.

400. *F. Stilico Occid. & Aurelianus Orient.* Quinquennalia Honorii post patris mortem imperantis, ut diximus, loco mox laudato. Quod revocandum illud quod habet Chronicon Alex. *His Coss. illustrissima* (ita vertit Raderus, sed ut alibi observatum vertendum *Nobilissima*) *Eudoxia mense Ianuario V. Idus Ianuarii renuntiata est Augusta.*

401. *Fravitta Orient. & Vincentius Occident.*

402. *Arcadius Aug. V. & Honorius Aug. V.* Vicennalia Arcadii, & Decennalia Honorii, utriusque cum patre imperantis. Quod Consulatus ostendit juxta secundam Regulam sumptus, sicuti & quod scribit Auctor Chronici Alex. *His Coss. Theodosius Junior Constantino- poli ad Hebdomam in Tribunali ab Arcadio patre mense Andyneo IV. Idus Ianuarias creatus est Augustus.* Quam in rem etiam facit quod scribit Theophanes: *eodem anno Xerolphi columnam Arcadius erexit, & Arcadiopolim Thracia civitatem adificavit.* Porro dies nuncupationis Theodosii Junioris tertius Idus Ianuarias fuit, ut ex iis quæ annis 406. 415. & 443. dicemus, liquebit. Quare in Chronico Alex. loco *IV. Idus Janu.* legendum *III. Idus Janu.*

403. *Theodosius Iunior Aug. & Rumaridus.* Theodosii Consulatus juxta primam Regulam.

404. *Honorius Aug. VI. & Aristanes Orient.* Decennalia Honorii post patris mortem imperantis, annusque Ludorum secularium, qui tamen editi non sunt, ut ostensum est cap. X. quæ duæ hujus Consulatus causæ. Ad hujusmodi Decennalia pertinent duo Episcopi à Synodo Carthaginensi hoc anno habitæ legati ad eundem Imperatorem contra Donatistas missi, ut Imperatoria cogerentur auctoritate pacificè agere. Videtur & Arcadius Decennalia Imperii post mortem patris administrati etiam celebrasse, quod aliquæ Constitutiones hoc anno ab eo datæ indicant præcipuè l. 15. de *Judais*, quæ privilegia Patriarcharum, eorumque qui ab his præpositi, confirmavit.

405. *Stilico, & Anthemius.*

406. *Arcadius Aug. VI. & Probus.* Quinta Quinquennalia uno anno anticipata hoc anno Arcadius edidit. Quod non tantum Consulatus ab eo gestus, sed etiam translatio Reliquiarum S. Samuelis, de qua cap. 3. num. XV. actum est, demonstrant: sicuti & l. 44. 45. & 46. de *operibus publicis.* Incertum verò an Theodosius Junior ejus filius Quinquennalia hoc anno, uti scribit Marcellinus in Chronico, vel sequenti, ut docet Chronicon Alex. ediderit; probabilius tamen

ex anno ſequenti edita , quo is Conſul proceſſit. Chronicon Alexandrinum , ait ea celebrata *μηνὶ Ἰανουαρίῳ ἐπὶ τῷ ἰδῶν Ἰανουαρίῳ* , id eſt , *menſe Audinao tertio Idus Ianuarias* , ex quo patet error ejuſdem Chronici de quo ſupra anno 402.

407. *Honorius Aug. VII. & Theodoſius II.* Utriuſque Conſulatus juxta ſecundam Regulam; Honorius enim Quindecennalia Imperii vivente patre ſuſcepti egit , quamobrem Romæ conſtitutus adverſus Manichæos , Phrigas , & Priscillianiſtas , conſtitutionem edidit. 40. *de hæreticis.* Præterea per Africam Eccleſiarum , & Clericorum privilegia confirmavit , novaque inſuper adjecit , ac nominatim ut deſenſores Advocatos conſtituere Eccleſiæ poſſint , id quod ad petitionem Concilii Africani hoc anno habiti Idibus Junii conſtituit. Quam etiam ob rem decreta legatio ab eodem Concilio ad eundem Imperatorem pro deſenſione rerum Eccleſiaſticarum adverſus Donatiſtas & Paganos ; Theodoſii verò Quinquennialiorum indicium eſt , quod Marcellinus in Chronic. ſcribit : *Ciſterna maxima juxta porphyreticam Conſtantini Imperatoris columnam in ſero ejus ſub platea tranſiſtum conſtructa eſt* , Conſtantinopoli ſc.

408. *Fl. Philippus , & Anicius Baſſus.* Uterque Occidentalis. Arcadius Kalendis Maii obiit , ut habet Socrates lib.6. cap.23. Theophanes tamen ab eo diſſentit , ait enim poſt patris obitum imperaſſe annis quatuordecim , tribus menſibus , & diebus quatuordecim , quo pacto mortuus eſſet anno ſequenti , die triceſima Maii. Sed ſicuti in anno , ita & in die cum erraſſe dicendum. Eò magis , quò jam anno ſuperiori ſcripſerat , Arcadium XI. Kal. Septembris mortem oppetiſſe , quæ inter ſe contraria.

V.
*Theodoſius
Junior Imperat.*

409. *Honorius Aug. VIII. & Theodoſius Aug. III.* Quindecennalia ejuſdem Honorii poſt patris obitum imperantis , cujus Theodoſius Collega ſecundum III. Reg. In Gallia Honorius VIII. & Conſtantinus , qui anno ſuperiori tyrannidem arripuerat , præſenti nomen dèdè , uti diximus cap. 8. num. III.

410. *Fl. Varares Solus* in Oriente creatus.

411. *Theodoſius Junior Aug. IV.* vel poſt Conſulatum Vararis. In Chronico Marcellini legitur : *Theodoſius Junior Decennalia , Honorius Roma Vicennalia dedit.* Imperii nempe , vivente patre , ſuſcepti , quæ Vicennalia idem Honorius anticipavit. Eorum occasione habita celebris illa collatio inter Catholicos , & Donatiſtas , ut diximus cap. 4. nu. I. Conſtantinus poſt invalſæ tyrannidis quinquennium apud Arclatem cæſus eſt , ejuſque *in conto caput allatum eſt XIV. Kal. Octob.* inquit Idatius in Faſtis.

412. *Honorius Aug. IX. & Theodosius Aug. V.* Sumptus is Consulatus à Theodosio propter Quinquennalia Imperii post patris mortem suscepti juxta II. Reg. Consulatus Honorii juxta III.

413. *Lucius solus* in Oriente creatus, vel post Consulatum Honorii IX. & Theodosii V. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani hoc anno scribit, novum murum Constantinopoli prolato pomœrio excitatum fuisse, curâ, & dispositione Anthemii PP. qua de re Socrates lib.7. cap.1.& ex eo Nicephorus lib.14. cap.1. Qui quidem murus, cum per privatorum terras duceretur, iis Theodosius Imp. in vicem Turrium ejus muri usum deputavit *l. 51. de operibus publicis*, quæ hoc anno data est. Sed ex ea lege deducitur, non hoc, sed superioribus annis, murum illum inchoatum; ideoque anno 411. quô Theodosius Decennalia celebravit. Ipsemet enim Gothofredus fatetur eo anno Anthemium Præfectum Prætorio fuisse. Verum quidem est Imperatores iis annis, in quos Decennalia, & id genus festa cadebant, eadem aliquando fecisse, quæ præstitissent, ac si ea non distulissent, aut antevertissent, sed ex Præfatæ legis dispositione liquet, murum illum, ante hunc annum cœptum.

414. *Constans Orient. & Constantius Occid.*

415. *Honorius Aug. X. & Theodosius Junior Aug. VI.* Vicennalia Honorii post patris mortem imperantis, & Quindecennalia Theodosii Junioris cum Arcadio patre regnantis, sed uno anno anticipata. Hæc Quindecennalia leguntur in Chronico Alexandrino: *His Coss. Theodosius Junior Augustus Quinquennalia Constantinopoli, mense Audynæo, tertio Idus Januarii, peregit.* Sed loco, *Κυριακάγια*, id est, *Quinquennalia*, legendum *Κυριαδεκάγια*, id est, *Quindecennalia*. Addit Auctor ejusdem Chronici: *eodem anno dedicata est Ecclesia Magna Constantinopoli, mense Gorpico, VI. Idus Octob. die Dominica, translata sunt Constantinopolim per scalam Chalcedonensem Reliquia Iosephi filii Jacob, & Zacharia patris S. Ioannis Baptista mense Gorpico, VI. nonas Septemb. die Sabbati* (legendum pridie nonas Septembris, in quem diem sabbatum incidebat, præterquam quod mensis Septembris sex nonas non habet) *gestantibus pignora in duabus arculis Attico Patriarcha Constantinopolitano &c.* ait præterea: *dedicata quoque statua est aurea in Senatu Imperatoris Theodosii Junioris Augusti ab Aureliano iterum præfecto Prætorio & Patrio.* Hoc etiam anno translatio Reliquiarum S. Stephani Protomartyris magnâ pompâ peracta, ut videre est apud Baronium numero primo. Celebratum etiam hoc anno Concilium Diospolitanum in causâ Pelagii Hæresiarchæ. Nam Concilia Provincialia annis quibus hujusmodi

modi solemnia fiebant celebrata ut plurimum fuisse, certum est.

416. *Theodosius Aug. VI. & Palladius* Occident. Consulatus is juxta II. Regulam à Theodosio sumptus, licet Quindecennalia idem Imperator anticiparit.

VI.
*Theodosii
Inimicis im-
perium.*

417. *Honorius Aug. XI. & Constantius II.* Triumphus Honorii de Attalo Tyranno, ut docet Prosper in Chronico; ideoque Consulatus is juxta V. Regulam. Constantius verò ipso, quo Consulatum iniit die, Placidiam Honorii Imperatoris sororem uxorem duxit, ut testis est Olympiodorus apud Photium.

418. *Honorius Aug. XII. & Theodosius Aug. VIII.* Quinta Quinquennalia Honorii cum patre, & Decennalia Theodosii post mortem patris imperantium; quæ utriusque Consulatus causa.

419. *Monaxius* Orient. & *Plinta* Occident.

420. *Theodosius Aug. IX. & Constantius III.* Consulatus Theodosii juxta II. Regulam, ob Vicennalia nempe Imperii vivente patre suscepti, quæ tamen non nisi anno sequenti acta. Mors Constantii hõc annò ab Idatio in Chronico perperam collocata.

421. *Eustathius* Orient. & *Agricola*. Constantius Comes, & Magister militum, Patriciusque, genere Illyrius, ut docet Olympiodorus, qui optimam jam inde ab anno Christi 411. operam Honorio in debellandis Tyrannis, Barbarisque per Galliam navarat, post triplicem Consulatum, Honorii Imp. ope adeptum, Placidiamque hujus sororem uxorem ductam, in Imperium adscitus est ab eodem Honorio, ut docent Olympiodorus, Philostorgius lib. 12. cap. 12. aliique. Factum id sexto Idus Februarias, ut habet Theophanes hoc anno, quod tamen Prosper, Idatius in Chronico, omnesque ferè Chronologi in annum superiorem conferunt, sed perperam. Nam in legum eo anno datarum, & in Codice Theodosiano relatarum, titulo leguntur tantum Honorii & Theodosii nomina, & in subscriptione: *Theodosio A. VIII. & Constantio V.C. III. Coss.* Contra verò quatuor Constitutiones hoc anno datæ in eodem Codice leguntur, quæ trium Imperatorum nomina præferunt. Prior est l. 4. *de repudiis VI.* Id Mart. dat. Ravennæ Eustathio & Agricolæ Coss. in cujus titulo legitur *Imppp. Honor. & Theod. & Constant. AAA. Palladio PF. P.* Posterior data est V. Kal. Aug. legiturque lib. 2. ejusdem Codicis, titulo 27. *Si certum petatur de Chirographis*, ubi lex prima sub hujus anni Consulibus data hunc titulum præfert: *Imppp. Honorius & Theodosius, & Constantius AAA. Palladio PF. P.* Certum itaque erratum fuisse à Baronio in Annalibus, aliisque, Constantii punctionem,

nionem, vel 419. vel 420: consignantibus. Obiit hoc ipso anno idem Constantius quarto nonas Septembres, ut habet etiam Theophanes *oim imperasset mensibus sex*, inquit idem Philostorgius. Vicennalia Theodosii Junioris cum patre Imperantis, quæ non tantum Constantii nuncupatio, sed & plura alia signa indicant. Marcellinus enim in Chronico scribit: *Theodosius Imp. Eudoxiam Achinam duxit uxorem. Arcadio patri suo in foro ejus super immanem columnam, ingentem stauam idem Theodosius dedicavit. Cisterna Actii constructa est.* Quæ tria etiam hoc anno refert Auctor Chronici Alexandrini, qui & ait aquam in Cisternam Pulcheriæ Augustæ immissam esse pridie Kalendas Februarii præsentem Theodosio Augusto. Porro annis quibus hujusmodi solemnia fiebant, Imperatores aut eorum liberos frequenter matrimonium contraxisse observavi.

422. *Honorius Aug. XIII. & Theodosius Aug. X.* Sumptus uterque Consulatus juxta II. Regulam. Honorius enim Tricennalia Imperii vivente patre suscepti, Theodosius verò Quindecennalia Imperii post mortem patris administrati celebrarunt. Ad priora hæc Marcellini in Chronico verba pertinent: *In Tricennalia Honorii, Maximus Tyrannus, & Iovinus ferro victi, adducti de Hispaniis, atque interfeciti sunt.* Triumphus enim, ut sæpius dixi, cum hujusmodi festivitatis conjungi solitus.

423. *Asclepiodorus Orient. & Marinianus Occident.* Honorius die XVIII. Kal. Septembris, uti scribunt Socrates & Theophanes, è vis excessit. Idatius in Chronico ait: *Honorius actis Tricennalibus suis Ravenna obiit*; sed probabile est eum intelligere Tricennalibus anno elapso actis, hęc obiisse.

424. *Castinus Occident. & Victor Orient.* Valentinianus Constantii Augusti, & Placidie filius, Nobilissimus & Cæsar à Theodosio Juniore hoc anno factus, Thessalonicæque ab Helione Magistro officiorum, Cæsaris veste indutus est, teste Olympiodoro. Audiendus hac de re Marcellinus in Chronico: *Placidia mater Valentiniani Augusta nuncupata est. Valentinianus Cæsar creatus Theodosii Imperatoris Eudoxiam filiam sibi desponsavit. Ioannes Regnum Occidentale, Honorio defuncto, invasi.* Est is, quem parte prima cap. ult. num. VI. Consullem se post arreptam tyrannidem in annum sequentem designasse diximus; quique eodem anno, ut scribit Prosper in Chronico à Placidia Augusta & Valentiniano Cæsare oppressus est. Natus erat Valentinianus Constantio & Galla Placidia matre *K. Nonas Julias Monaxio & Plinta Coll.* inquit idem Marcellinus, anno nempe 419. Quare vix septennis hęc anno erat; ideoque eadem.

VII.
Valentinianus III. Imperator.

dem Placidia Imperium ejus administrabat, miraque felicitate, ut ex iis, quæ Baronius in Annalibus Ecclesiasticis anno 449. habet, videre est. Quemadmodum porro Ircne, quando cum Constantio filio decenni à Leone patre relicto, inaudito antea exemplo Consul processit, ut infra suo loco dicitur, sic Placidia Valentiniani tutrix, quod à nulla alia Principe foemina factum reperimus, Decennalia, aliaque id genus vota Augustorum more celebravit. Elicio id ex nummo aureo cruciato, qui apud Joannem Jacobum Chiffetium parte secundâ Historiæ Vefontionis pag. 116. extat, cujusque etiam apud Occonem pag. 569. mentio. Visitur in eo ejus effigies cum manu, quæ capiti ejus coronam imponit, circum verò DN GALLA PLACIDIA PF AUG, & in postica, Victoria stans dextrâ crucis signum tenens, circum VOT XX MULT XXX RM, infra CONOB, quæ vota, ut apparet, in ejus Quindecennialibus aut Vicennialibus nuncupata. Ex quibus & liquet eandem Imperatricem Quinquennalia & Decennalia antea edidisse. Observatu dignum tres Principes foeminas honores Imperatoribus tantum concedi solitos sibi attribuisse, Herenniam nempe Etruscillam Volusiani Augusti uxorem, & præfatas duas Imperatrices. Extat namque ejusdem Herenniae nummus apud Parinum, in quo Romanis literis scriptum est: S. C. quod Senatusconsultum indicat. Tum circum ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. id est, *Tribunitia potestas*. Placidiae Quinquennalia & id genus vota in serie factorum non digessi, eam enim iisdem annis quibus filium eadem edidisse existimo. Ejus mortis tempus incertum nisi quod eam anno 449. adhuc vixisse constat, & cum sanctitatis opinione obiisse. Illud denique non prætermittendum Decennalia & id genus vota adeo Imperatoribus propria visa fuisse, ut ipsi etiam tyranni ea ederent, quemadmodum de Postumo suo loco vidimus, & de Magnentio, qui arrepto Imperio Occidentali Augustum se & Decentium fratrem Cæsarem appellavit, constat. Aliquot enim numismata ejus nomen præferentia exhibet Occo pag. 554. in quorum aversa parte sculptæ sunt duæ figuræ clypeum tenentes cum his verbis: VICTORIA DD. NN. AUGG. VOT. V. MULT. X. Ex quibus infert Tristanus tom. 3. pag. 642. eum quintum Imperii seu tyrannidis annum inchoasse, sed perperam. Sunt enim hæc vota Quinquennalia Imperii initio nuncupata, cum is *mensè Imperii quadragesimo secundo*, uti rectè Aurelius Victor & Zonaras habent, perierit.

425. *Theodosius Aug. XI. & Valentinianus Cæsar.* Valentiniani Consulatus juxta I. Regulam, Theodosii juxta III. Idem Valentinianus X. Kal. Novemb. à Theodosio creatus est Augustus. Ita Auctor Chronici Alexandrini, aliique.

426. *Theodosius Aug. XII. & Valentinianus Junior Aug. II.* Valentiniani Consulatus juxta I. Regulam, Theodosii juxta II. Quinta enim Quinquennalia Imperii vivente patre suscepti hoc anno acta. Quam ob rem Paganorum sacrificia arceri, templaque eorum destrui, Crucisque conlocatione expiari hoc anno jussit l. 25. *de paganis, sacrificiis, & templis.*

427. *Hyeries Orient. & Ardabures, seu Ardaburius* Occident. Vicennalia Theodosii post mortem Patris imperantis, ad quæ pertinent, quæ habet Auctor Chronici Alexandrini: *His Coss. instaurata sunt Therma olim dicta Constantiniana, nunc autem Theodosiana, perficientibus opus Hyero iterum Prefecto Urbi, & Consulibus, mense Hyperberetio V. nonas Octobris.* Quod & Marcellinus habet. Præterea idem Theodosius l. 18. *de Medicis & Professoribus*, Privilegia à prædecessoribus Archiatris Palatinis concessa, quæ aliqui perfringere volebant, confirmavit. Ad hæc Vicennalia referri potest nummus, quem Occo inter Theodosii M. numismata perperam collocat; legitur enim in eo VOT. XX. MULTIS XXX. CONOB. & cernitur Victoria Crucem tenens, quemadmodum de Galla Placidia diximus. Unde patet quantum numismata hujusmodi solemnium repræsentantia differrent ab iis, quæ antiquitùs eorundem solemnium occasione cudebantur.

428. *Felix* Occident. & *Taurus* Orient. Imperii Cæsarei Valentiniani III. Quinquennalia.

429. *Florentius* Orient. & *Dionysius*, vel post Consulatum *Felicis & Tauri.*

430. *Theodosius Aug. XII. & Valentinianus Aug. III.* Utriusque Consulatus juxta II. Reg. Valentinianus enim Imperii Augustei Quinquennalia, Theodosius Imperii, vivente patre, suscepti Tricennalia edidit. De posterioribus Marcellinus in Chronico ait: *Theodosius Imp. Tricennalia gessit*, quæ ideo anticipavit. Baronius anno 394. num. X. nummi ectypum exhibet cum epigraphæ: DN. THEODOSIUS P. F. AUG. in postica duæ figuræ sedentes capite radiato conspiciuntur, additâ hac inscriptione: VOT. XXX. MULT. XXXX. & inferius CONOB. *vides*, inquit Baronius, *Theodosii Senioris veram, sertamque vultûs effigiem. Ex adversa verò numismatis facie intueris expressè Sacerdotali decoros habitum geminos illos, quos in visu vidit Apostolos Ioannem atque Philippum expressos reddi. Habes etiam ex his, lector, inter alia unde antiquum Sacerdotalem habitum discas, simulque tonsuram intelligas, atque palliola humeros, ac pectus decorè ambientia, voraque nuncupata, atque multiplicata.* Sed, ut eruditè
Norisius

Notiſius Diſſert. de numiſmat Licinii cap. 3. oſtendit, eò in nummo, non Theodoſii Senioris, verùm Junioris Tricennalia vota hoc anno ſoluta, & nuncupata ſimul Quadragenaria, designantur, licet, uti notat Triſtanus, in nummis in quibus vota ſoluta, & ſuſcepta, mediis illis notis MULT. exprimuntur, quandoque designentur utraque vota tantùm nuncupata; quemadmodum in hoc nummo Joviani, qui menſe Imperii octavo deceſſit, ideoque Quinquennalia edere non potuit, VOT. V. MULT. X. In præfato itaque nummo à Baronio adducto designantur Imperatores Theodoſius ac Valentinianus Junior Conſulari habitu induti, non verò gemini Apoſtoli habitu ſacerdotali exornati; præſertim cùm Valentinianus Theodoſio conſobrino junior appareat. Imperatores autem radiato capite, quemadmodum noſtra ætate Divorum imagines, in nummis paſſim exprimi ſolitos, docent eorumdem numiſmata apud Alamannum in Notis ad arcanam hiftoriam Procopii, & Patinum pag. 497. In eò numiſmate idem Theodoſius ſolus exprimitur, & in adverſa parte ipſe cum Valentiniano Juniori, quia percuſſum fuit Conſtantinopoli quod designat CONOB. id eſt, *Con. ob. Conſtantinopoli obſignata*, nempe moneta.

431. *Baſſus* Occident. & *Annochus* Orient.

432. *Actius* Orient. & *Valerius* etiam Orient. Tricennalia Theodoſii cum patre imperantis.

433. *Theodoſius Aug. IV. & Maximus*. Theodoſii Conſulatus juxta II. Regulam. Celebravit enim quinta Quinquennalia Imperii poſt mortem patris adminiſtrati, quorum etiam indicium habemus in libro undecimo Codicis Theodoſiani, titulo 28. *de Indulgentiis debitorum*. Ubi quam lege nonâ anno 433. data, reliquorum Indulgentiam generalem quadraginta annorum tribuerat ab anno 368. ad annum 407. incluſivè, eandem lege decima ſexta hoc anno tribuit viginti annorum proximorum, ab anno nempe 408. ad annum 428. qua de re videndus Gothofredus in Commentario ejuſdem legis 9. *de Indulgentiis debitorum*.

434. *Ariovindus* Occident. & *Aſpar* Orient. Decimus annus Imperii Cæſarei Valentiniani Junioris.

435. *Theodoſius Aug. XV. & Valentinianus IV.* Utriuſque Conſulatus juxta II. Regulam. Theodoſius enim ſeptima Quinquennalia Imperii vivente patre ſuſcepti anno uno anticipata; Valentinianus verò Decennalia Auguſti Imperii celebrarunt. Huc referendum quod ſcribit Marcellinus in Chronico: *Forum Theodoſii Imp. in loco, qui Eliana dicitur, adificatum eſt; ac præterea Conſtitutio, quâ Egypto*

& *Alexandrina civitati*, annonaque variis rationibus idem Theodosius consuluit, cujus fragmenta Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani hoc anno memorat; ac denique *lex ultima, de Indulgentiis debitorum*, ab eodem Theodosio emissa.

436. *Isidorus Orient. & Senator.*

437. *Post Consulatum Isidori, & Senatoris, vel Actius II. & Sigisvoldus.*

VIII.
*Theodosii
Junioris Im-
perium.*

438. *Theodosius Aug. XVI. & Faustus Occident. Tricennalia* Theodosii post patris mortem imperantis hoc anno acta, ideoque sumptus ab eo Consulatus juxta II. Regulam. Quindecennalia etiam Cæsarei Imperii Valentiniani Junioris. Ad priora solemnia referendus triumphus translationis Reliquiarum S. Joannis Chrysostomi à Baronio in Annalibus hoc anno descriptus, & insuper confirmatio Codicis Theodosiani, ut docet Gothofredus in ejusdem Codicis Chronologia, & in prolegomenis. Eorumdem Tricennalium mentio est in nummo ejusdem Imperatoris, qui ab Occone inter Theodosii Senioris numismata perperam relatus est. In eo legitur, *POTIS XXX. MULTIS XXXX.*

439. *Theodosius Aug. XVII. & Festus.* Sumptus is Consulatus à Theodosio juxta secundam Regulam; hoc enim anno Imperii vivente patre suscepti octava Quinquennalia celebravit, de quibus Marcellinus in Chronico scribit: *Theodosius Imp. octava Quinquennalia edidit.* Vide quæ in hac secunda parte cap. 20. num. XV. hac de re scripsimus.

440. *Valentiniannus Aug. V. & Anatolius.* Quindecennalia Imperii Augustei Valentiniani Junioris, uti Consulatus ejus demonstrat. Huc referendum quod scribit Theophanes: *hoc anno Cantharus, quod balneum fuit Alexandria completus est.*

441. *Cyrus solus, Orient.*

442. *Eudoxius, & Dioscorus, uterque Oriental.*

443. *Maximus II. & Paserius.* Septima Quinquennalia Theodosii post patris mortem imperantis, quod ostendit Chronicon Alexandrinum his verbis: *His Coss. dedicata sunt Therma Achillea mense Januarii III. Idus Januarii.* Cum enim ipso die natali Theodosii Imperatoris Thermae illæ dedicatæ videantur, liquet eum in iis ædificandis, ac dedicandis ad hujusmodi solemnia respexisse, verumque esse quod diximus, Thermas, cæteraque id genus opera publica in similibus festivitibus constructas, vel dedicatas fuisse, quod licet nullus, quod sciam, scripserit, adeo tamen clara, manifesta sunt, quæ subinde adduximus testimonia, ut id in dubium minimè revocandum

candum sit, neque enim ædificia aliaque hujusmodi opera publica, quæ ad rem istam non faciunt, prætermitto, sed quæ occurrunt in medium profero. Ex iisdem præterea verbis colligitur Theodosium non quarto Idus Januarii, ut mendosè in uno ejusdem Chronici Alexandrini loco scriptum, sed tertio Idus ejusdem mensis Augustum nuncupatum esse. Quæ his præfato loco dirempta esse videtur.

444. *Theodosius Aug. XVIII. & Albinus* Occident. Hujus Theodosii Consulatus rationem elicio ex Marcellino in Chronico, qui sub his Consulibus scribit: *Theodosius Princeps nona Quinquennalia dedit*, Imperii nempe vivente patre suscepti. Vide quæ de iis supra diximus cap. 2. num. XV. Valentiniiani Junioris Imperii Cæsarei Vicennalia.

445. *Valentinianus Aug. VI. & Nomus*. Augustei Imperii Valentiniiani Junioris Vicennalia, ideoque Consulatus is juxta secundam Regulam.

446. *Actius III. & Symmachus*, ambo Occident.

447. *Ardabures, & Callipius*, seu *Alypius*: Prior Orient. alter Occident. octava Quinquennalia Theodosii. Quod referenda, quæ sub his Consulibus Marcellinus scribit: *Eodem anno urbis Augustæ muri olim terra motu collapsi, intra tres menses, Constantino Præfeto Prætorio operam dante readificati sunt.*

448. *Zeno, & Postumianus*. Quinta Quinquennalia Imperii Cæsarei Valentiniiani Junioris in hunc, vel sequentem annum incidunt.

449. *Protogenes, & Asterius* vel ut alii, *Asturius*.

450. *Valentinianus Aug. VII. & Gennadius Avienus*, uterque in Occidente. Quinta Quinquennalia Imperii Augustei Valentiniiani, ut ejus Consulatus ostendit. Marcianus octavo Kalendas Septembris feria sexta, non feria quinta, ut mendosè legitur in Chronico Alex. dicitur Imperator. Quinto Kalendas Augusti jam Theodosius è vivis excesserat. Ex Senatusconsulto, & voluntate Pulcheriæ eidem Marciano Imperium delatum.

IX.
Marcianus
Theodosio
Juniori suc-
cedit.

451. *Marcianus Aug. & Adelphius* Occid. Consulatus Marciani juxta primam Regulam.

452. *Herculanus* Occident. & *Sporatius*.

453. *Vinculatus, & Opilio* Occident. Imperii Cæsarei Valentiniiani Tricennalia. Quod referendum quod legitur in Chronico Theophanis: *hoc anno Diocletianicum balneum Alexandria reparatum.*

454. *Studius* Orient. & *Actius*. Quinquennalia Marciani Augusti hoc vel sequenti anno acta.

445. *Valentinianus Aug. VIII. & Anthemius*, qui postea in Occidente Imperator dictus est. Tricennalia Imperii Augustei Valentiniani, ideoque Consulatus is juxta secundam Regulam. Idem Imperator Kalendis Aprilis insidiis Maximi occisus est, quod eo die factum colligitur ex Anonymo apud Cuspinianum, qui eundem Maximum Imperium Occidentale eodem die arripuisse scribit, pridieque Idus Junias eundem etiam interfectum fuisse. Tum addit: *levatus est Imperator in Gallis Avitus sexto Idus Julias*. Quod & sub hujus anni Consulibus contigisse auctor est Victor Tununensis. Quare errat Idatius in Chronico, ubi scribit, quarto regni Marciani anno Avitum Augustum appellatum fuisse; illius enim Imperatoris annus quintus ad finem tunc vergebat.

456. *Varanes Orient. & Ioannes Occident.* in Occidente verò Avitus Aug. ut ex Sidonii carmine septimo constat, idque juxta primam Regulam. *Captus est Imperator Avitus Placentia à Magistro militum Ricimere*, ait Auctor Anonymus apud Cuspinianum, factusque est Episcopus Placentinus, ut Auctor Miscellæ, & Victor Tununensis scribunt; hicque sub his etiam Consulibus hanc depositionem consignat: ille verò, sicut Jornandes de rebus Geticis, ad paucos dies Regnum invasisse tradit. Turbat tamen Idatius in Chronico, ideoque explicandus: *Avitus tertio anno posteaquam à Gallis, & à Gothis factus fuerat Imperator, caret imperio, Gothorum promissa destitutus auxilio, caret & vitâ*. Valesius in Notis ad lib. 2. Evagrii cap. 7. observat in MS. codice, quo usus est Sirmondus, qui primus Chronicon illud publicavit, hunc locum ita legi: *tertio anno. Avitus septimo mense posteaquam à Gallis &c.* Et eundem Sirmondum has duas voces, *septimo mense*, omisisse, melius facturum inquit, si duas illas, *tertio anno*, expunxisset. Utrumque tamen subsistere potest. Nam Majorianus anno sequenti, ut tunc dicemus, Kalendis Aprilis in Occidente Imperator creatus est, postquam ab Aviti morte interregnum fuisset. Quod Idatium huic attribuisse indubitatum existimus; non solum quia Cassiodorus & Marius cum præfatis Auctoribus sub his Consulibus Avitum depositum fuisse scribunt; sed etiam, quia Evagrius lib. 2. cap. 7. tradit hunc Romæ imperasse menses octo. Quo pacto verum est eam depositionem mense circiter Martio factam fuisse; Evagrium enim menses incompletos, Idatium verò completos numerare manifestum est. Erratum porro à Petavio in Rationario temporum, ubi docet Evagrium scripsisse Avitum imperasse menses decem, & dies octo, rursumque ibidem, & in Chronico, quando scribit Anonymum Cuspiniani tradere Avitum XIII. Kal. Octobris
captum

captum fuisse. Eum enim diem ac mensē ad mortem Remisci, de qua immediatē loquitur, referri certum est, perperamque in editione ejusdem Anonymi interjectum fuit punctum hoc modo: *occisus est Remiscus Patricius in Palatio Classis. XV. Kal. Octobris, captus est Imp. Avitus Placentia à Magistro militum Ricimere.* Punctum enim non post vocem *Classis*, sed ante vocem *Captus* apponendum. Is quippe Anonymus in brevi, sed accurato suo Chronico, diem ac mensē rebus quas narrat, postponit. Quæ scrupulosius scrutari placuit ad Chronologiam Imperatoriam, quæ Chronicorum & Annalium regula, exactè stabiliendam.

457. *Constantinus* Occident. & *Rufus* Orient. Marcianus pridie Kalendas Februarias vitâ functus est, ut ex Theodoro Lectore in Notis ad primum ejus librum eruditè deducit Valesius, colligiturque ex Marcellino, & Victore Tununensi, qui scribunt eum annis sex, ac totidem mensibus imperasse. Successit eidem in Imperio Orientali Leo genere Thrax, qui, ut habet Chronicon Alexand. levatus est Augustus *mensē Perisio VII. Idus Feb.* Cui consentit Theophanes, qui ait Leonem Marciano mortuo subrogatum fuisse mensē Februarii. Ex quo corrigendus error, qui in ejus Chronicon irrepsit; paulò post enim in eodem legitur Marcianum *pridie Kal. Maii* obiisse, qui error Petavium in Chronico, aliosque viros doctissimos decipit. Majorianus Leonis voluntate Kalendis Aprilis hujus anni Imperator in Occidente est ordinatus, ut Anonymus apud Cuspinianum prodit.

X.
Leo impo-
rat.

458. *Leo Aug. & Majorianus Aug.* Uterque juxta primam Regulam.

459. *Patricius, & Ricimer* Occident.

460. *Apollonius, & Magnus* Occident.

461. *Severinus* Occident. & *Dagalaisus.* Majoriani Quinquennialia in hunc annum incidunt, quæ cum celebrasse ostendit numisma à Dufresnio V. C. in Dissertat. de numisnatis inferioris ævi num. 42. allato, in quo nullâ Quinquennialiorum aut Decennialiorum mentione factâ legitur, VOTIS MULTIS, licet ipso ejus Imperii initio cudi posuerit, sicuti istud Joviani cum Epigraphe VOT. V. MULT. X. aliave similia: quia tamen primus Aprilis dies currentis anni quintum Impetri ejus annum inchoavit, non videntur cassa fuisse vota Sidonii Epigrammate 13. ut arbitrati sunt Scaliger lib. 5. de de emendat. temp. & Sirmondus in Notis ad Sidonium, qui sequentes hujus versus explicantes, perperam scripsere, non ineunte, sed peracto Imperii lustro, Quinquennialia & id genus festa celebrari solita fuisse.

Multos purpura vestias per annos.

Sic lustro Imperii perennis acto

Quinquennalia fascibus dicentur.

Anonymus à Cuspiniano in lucem editus sub his Consulibus hæc habet : *depositus est Imp. Majorianus à Patricio Ricimere Dardona IV. Nonas Augusti, & occisus est ad fluvium Hyram VII. Idus Augusti : ac levatus est Imperator Dominus Severus XIII. Kal. Decembris.* A Valentiniano secundo anno 392. apud Viennam in Delphinatu interfecto, ad Majorianum usque, nullum Principum in Gallia constituisse observat Sidonius *carmine 5. ad Majorianum. num. 350.* indeque insecuti postea Galliarum excidii causas repetit.

462. *Leo Aug. II. & Severus Aug.* Marcellinus Leonem II. solum proficitur, sed perperam : non tantum enim Cassiodorus, Chronicon Alexandrinum, & Anonymus apud Cuspinianum utrumque edunt, sed quod rem planè dirimit Epistola quinta Hilarii Papæ ad Leontium Arelatensem tomo quarto Editionis Labbeanæ p. 1039. dicitur *data VIII. Kal. Februarias DN. Severo Augusto Consule, & Epistola ejusdem Pontificis octava ad Episcopos diversarum provinciarum Galliarum dicitur data III. Nonas Decembris G.L. P. Severo Augusto Consule, id est, gloriosissimo Principe.* Caterum Severi Consulatus juxta I. Regulam, Leonis juxta II. Quinquennalia enim celebrasse non tantum idem Consulatus, sed & quæ refert Theophanes, ostendunt. Ait enim : *hoc anno Prætoris templum Studium extruxit, & traductos ex Infornium mansione (id est Accemetarum Monasterio) Monachos in eo posuit. Gratissimus quoque Præpositus S. Cyriaci extra portam Auream erexit adem, in qua ipse mundo nuntium remisit.* Hoc etiam anno existimo Constantinopoli factam esse dedicationem nobilis Ecclesiæ in honorem S. Anastasiæ à S. Marciano Oeconomo Ecclesiæ Constantinopolitanæ erectæ, de qua sermo est in ejusdem Sancti Actis à Bollandò & Henschenio die 10. Januarii illustratis. Nam licet Metaphrastes eorum Auctor annum non exprimat ; quia tamen à Gennadio Constantinopolitano Patriarcha, qui anno 458. sedere cœpit, factam dicit capite tertio, non dubium quin de more in aliqua hujusmodi festivitatum peracta fuerit. Cumque ante annum 465. nulla alia occurrat ; eaque Ecclesiæ ante eum annum dedicata sit, sequitur ea Encœnia in alium annum conferenda non esse ; perperamque in Annalibus Ecclesiasticis anno 459. consignata fuisse ; & Bollandum, ac Henschenium eadem in annum 464. ex sola conjecturâ tardius distulisse. Dixi porro ea ante annum 465. acta, quia Metaphrastes postquam de iisdem locutus est, dixit in eadem

dem Ecclesia multa miracula patrata, illudque inter cetera, quod magno incendio Constantinopoli exorto, Marcianus Oeconomus ædem illam illæfam servaverit. Contigit illud incendium anno 465. uti iidem Auctores ex Chronico Alexandrino, ac Marcellino ostendunt. Quare ante tempus illud ea Ecclesia dedicata. Verum quidem est Theophanem illud incendium anno 461. die secunda Septembris consignare, illudque miraculum eo anno narrare, sed major fides Marcellino, & Auctori Chronici Alexandrini videtur adhibenda. Quod si incendium istud rectè ab eodem Theophane, qui Cedrenum consentientem habet, consignatum fuerit, ea dedicatio anno præcedenti, quo Majorianus in Occidente Quinquennalia celebravit, ante mensem Septembrem, quo illud incendium ortum, facta fuit. Huc usque enim nulla mihi Ecclesiarum dedicatio occurrit, quæ in huiusmodi solemnia non inciderit.

463. *Vivianus, & Felix.*

464. *Rusticus, & Olybrius.*

465. *Basiliscus Orient. & Hermenericus.* In Chronico à Cuspiniano publicato legitur: *defunctus est Imperator Severus Roma XVIII. Kal. Septembris.* Post eam mortem usque ad Anthemii nuncupationem interregnum fuit.

466. *Leo Aug. III. & Tattiana.* Leonis Consulatus juxta II. Regulam, Decennalia enim celebrasse ostendunt, quæ scribit Theophanes: *Magna cisterna ad Joannis ades extructa: balnea quoque duo, uni nomen Sanitas, alteri Decastasis: & Alexandria fluvius à Cherso ad Cypronem foveâ excavatâ deductus.* Verum est in eodem Auctore legi anno præcedenti Alexandria S. Joannis nomine opus constructum fuisse, & Baptismo lustrandis adjunctum ædificium: Heptabisum etiam publicam civitati restitutum. Sed id etiam hoc anno, vel saltem sequenti, quo Anthemius nuncupatus est Imperator, factum fuisse ex eodem Theophane deducitur, qui eodem tempore scribit eundem Anthemium à Leone dictum fuisse Imperatorem. Quidquid sit, in toto ejus nobilissimo Chronico nullum ædificium publicum usque ad hæc tempora memoratum, quin vel Imperatorum initio, aut annis quibus huiusmodi festivitates celebrarunt, consignatum fuerit. Præterea non dicimus non nisi annis, quibus Decennalia, aut id genus festa edebantur, publica opera confecta fuisse, urbes aut Ecclesias extractas, aliaque huiusmodi facta. Id enim absurdum, & à veritate alienum esset, cum Hadrianus singulis ferè Imperii annis, aut templa, aut urbes, aut alia ædificia publica peregerit. Sed solum dicimus ea de more iis annis acta.

XI.

*Leonis Imp.
Decennalia.*

467. *Pausan.* & *Ioannes Anonymus Cuspiniani* hæc habet: *Levatus est Imperator Dominus Anthemius Romæ prid. Idus Aprilis.*

468. *Anthemius Aug. II.* solus juxta I. Regulam.

469. *Zeno*, & *Marcianus.*

470. *Jordanes Orient.* & *Severus Occident.*

471. *Leo Aug. IV.* & *Probianus.* Leonis Consulatus juxta II. Regulam, Quindecennialia enim ejus in hunc annum cadunt. Quintus est hic etiam Anthemii Imperatoris Occidentalis annus pridie Idus Aprilis inchoatus.

472. *Marcianus Orient.* & *Festus Occident.* *Anonymus Cuspiniani* his Consulibus hæc habet: *Bellum civile gestum est Roma inter Anthemium Imperatorem, & Ricimerem Patricium. Et levatus est Roma Imperator Olybrius, occisus verò Imp. Anthemius V. Idus Julias, defunctus verò est Ricimer XV. Kal. Septembris. Defunctus est Imp. Olybrius Roma X. Kal. Novembris.*

473. *Leo Aug. V.* solus. *Anonymus Cuspiniani* ait: *levatus est Imperator Glycerius Ravenna. III. Nonas Martias.* Sumptus hic à Leone Consulatus, vel propter bella civilia, quæ in Occidente ardebant, vel propter depositionem vestis Beatæ Virginis ad Blachernense templum à Pulcheria Constantinopoli ædificatum, de qua Cedrenus hoc anno agit, quæque magnificâ pompâ peracta est, ut videre est apud Nicephorum lib. 15. cap. 26. Præterea Leo Imperator Leonem Junio-rem Ariadnæ filiz & Zenonis filium Imperatorem renuntiavit, ut rectè Theophanes & Cassiodorus in Chronicis. Licet Marcellinus hanc nuncupationem anno tantum sequenti recitet. Quare hæc nuncupatio, vel suprâ dicta, causa hujus Consulatus fuere, qui ideo sumptus est juxta VI. Regulam.

XII.
Viroque Leo-
ne de mortuo
Zeno impe-
rat.

474. *Leo Junior Augustus* solus, juxta II. Regulam. Ex quo & constat anno superiori ad Imperium evedtum fuisse, unde Auctor *Anonymus à Cuspiniano editus*, qui tunc vivebat, hunc Consulatum his verbis consignat: *Domino Leone Juniore Augusto Cons.* Leo Senior mortuus est *mensè Ianuario Indictione duodecima.* Ita Theodor-
us Lector. in fine libri secundi, & Theophanes in Chronico, qui addit mensè Februario Zenonem ab eodem Leone Juniori filio coronatum fuisse, huncque solos menses decem cum proprio patre Zeno-
ne regnasse. A quo non diversa scribit Chronicon Alexandrinum dicens Leonem Junio-
rem *undecimo Consulatus sui mensè, Dio mensè, seu Novembri* morbo extinctum esse. In hujus Leonis Junioris & Imperatorum Occidentali-
um, qui per hæc tempora regnarunt, nummis, primum legitur titulus perpetui Augusti hoc modo: DN. LE O
PERPET.

VERPET. AUG. vel DN. FL. ANTHEMIUS PP. AUG. id eſt *perpetuus Auguſtus*. Qua de re plurima infra exempla occurrunt. Nuta-
bat interim Imperium Occidentale, mox collapſurum; ſcribit enim
Anonymus à Cuſpiniano p̄t̄m̄ editus: *dejectus de Imperio Glyce-
rias in portu urbis Roma. Eo anno levatus eſt Dominus Julius Nepos
VIII. Kal. Julias.*

475. **Zeno Aug. II.** ſolus, ſecundum I. Regulam. *Intravit Ra-
vennam Patricius Oreſtes cum exercitu, & fugavit Imperatorem Nepo-
sem ad Dalmatias V. Kal. Septembris. Eo anno levatus eſt Auguſtulus
Imperator Ravenna à Patricio Oreſte patre ſuo pridie Kal. Novembris.*
Ita Auctor Anonymus Cuſpiniani.

476. **Baſiliſcus II. & Armaſus**, uterque Orientalis. Marcellinus,
Theophaſes & Viſtor Tununenſis, quos Petavius in Chronico
aliique multi ſequuti ſunt, ſcribunt Baſiliſcum hunc Verinæ Zeno-
is ſocrus fratrem, ſub anni præcedentis Conſulatu Imperium in-
vaſiſſe, quod ſine dubio à veritate alienum. Extat enim planè au-
tẽum teſtimonium, nemini hætenus obſervatum, in Codice Juſti-
niano lib. 5. tit. 12. *de jure dotium*, quo probatur hujus anni initio
Zenonem adhuc imperaſſe; ibi enim lex 28. præfert in titulo: *Imp.
Zeno A. Aliano Præſecto Prætorio*, & ſubſcribitur: *dat. Kal. Januar.
Baſilio II. & Armaſio Coſſ.* legendum *Baſiliſco & Armaſio Coſſ.* non-
dum itaque hujus anni initio Zeno in Iſanciam fugerat, nec Baſiliſ-
cus Imperator acclamatus fuerat. Præterea in lib. 5. ejuſdem tit. 27.
l. 5. *de naturalibus liberis* dicitur, *Dat. X. Kal. Mart. Baſilio II. &
Armaſio Coſſ.* legendum etiam ut in præcedenti *Baſiliſco II. & Ar-
maſio*, & in ejus titulo legitur, *Imp. Zeno ſeſtiano Præſecto Præto-
rio*. Quod ex ipſomet etiam Tununenſi confirmatur: qui ait Ariad-
nam Auguſtam, Zenonem in Mauriam fugientem, *ſub hyemis discrimi-
nẽ navalĩ itinere ſubſequutam eſſe*. Quod tempus recte conſigna-
tum eſſe, ea quæ de tyrannidis ejuſdem duratione dicemus, oſten-
dent. Quoad Imperium Occidentale Anonymus à Cuſpiniano editus
hæc ſcribit: *Levatus eſt Odoacer Rex X. Kal. Septembris. Eo etiam
anno occiſus eſt Oreſtes Patricius Placentia V. Kal. Septembris.* Addit
Marcellinus in Chronico eundem Odoacrem Gothorum Regem his
actis Auguſtulum filium Oreſtis in Lucullano Campaniæ Caſtello
exilii pœnâ damnâſſe, in eoque Imperium Occidentale, quod Octa-
vianus Auguſtus tenere cœperat, periſſe, & Gothos dein Reges
Romam obtinuſſe.

CAPUT ULTIMUM.

Consulatum Cesareorum ab Imperii Occidentalis excidio, ad Fastorum Romanorum Consularium finem Rationarium; ac Decennialium & id genus festorum, per eosdem annos ordinatio & finis.

I. *Zeno in Imperium restituitur.*

477. **P. C. Basilisci II. & Armati:** Basiliscus intra octo, post annum, *menses Imperii*, ut testis est Procopius libro primo Historiæ Vandalicæ, cui consentiunt Tununenſis, & Cyrillus Monachus in vita S. Sabæ, Zenoni deditur, qui cum *cum liberis, & uxore in Cappadociam misit, acri hyeme*, subjungit idem Procopius. Facta ea restitutio ante mensem Octobrem currentis anni, ut patet ex septima Epistola Simplicij Pontificis Romani post Consulatum Basilisci & Armati, VIII. Idus Octob. data, in qua de recuperato Imperio Zenoni gratulatur. Quare errat Auctor Chronici Alexandrini, qui hanc restitutionem in annum sequentem conjicit, cumque Octobris initio de ejus restitutione nuncium jam Romam allatum esset, liquet eundem Basiliscum anni elapsi initio tyrannidem arripuisse, & presenti circa Septembrem eundem Zenoni deditum, qui instanti hyeme illum in Cappadociam misit, ubi miserè periit. Petavius in Rationario temporum, quæ de tempore captæ à Basilisco tyrannidis in Chronico scripserat, retractavit, illudque optimè consignavit.

478. *Illus solus.*

479. *Zeno Aug. III. solus.* Quinquennalia Zenonis, ut ejus Consulatus demonstrat.

480. *Basiliscus Junior solus Occident.* Anonymus à Cuspiniano editus hoc anno habet: *Occiditur Nepos Imperator VII. Idus Maias, hunc Orestes Imperio abdicarat, & comitum suorum infidiis, haud longè à Salomis, sua in villa occisus est*, inquit Marcellinus in Chronico. Unde ad mortem usque Imperium retinuit.

481. *Placidus solus.*

482. *Trocondus, & Severinus.*

483. *Faustus solus.*

484. *Theodoricus, & Venantius.* Is Theodoricus Rex Gothorum erat, qui neque à Marcellino, neque ab auctore Chronici Alexandrini cum titulo Regis editur, licet Anonymus à Cuspiniano editus hujus

hujus anni Consules his verbis memoret : *D.N. Theodorico Rege, & Venantio V. C. Coss.* Sed prima parte hujus Dissert. cap.7. num. VII. ostendimus, in actis publicis subscribendis Regem vocatum non fuisse. Decennalia Zenonis, qui eodem Principe Consule ea edere voluit. Horum solemnium signum nuncupatio Basilisci Armati magistri militiæ filii, quem hoc anno idem Zeno Cæsarem creavit, & post eadem ejus patris, Episcopum Cyzicentum Hellepontii Metropolitam inauguravit, ut inquit auctor Chronici Alexandrini hoc anno; ac præterea dedicatio Lauræ S. Euthymii Abbatis in Monasterium mutata, quam hoc anno die XIII. Decembris celebravit Martyrius Patriarcha Hierosolymitanus, ut docent Bollandus & Henschenius in Illustratione Actorum præfati Euthymii die XX. Januarii paragrapho IV.

485. *Symmachus* solus Occident.

486. *Longinus*, & *Decius* Occident.

487. *Anicius Manlius Severinus Boëtius*. Occident.

488. *Dynamius* Occid. & *Sifidius*. Quindecennalia Zenonis, quorum index quod scribit Theophanes de S. Eustathii Reliquiarum translatione: hoc anno Calandion Antiochenus Episcopus Eustathii magni Reliquias Philippis, ubi Sanctus exul obierat, transtulit, totâ Antiochiâ civitate ad duodecimum milliare in occursum cum plurimo honore effusa. Victor Tununensis translationem hanc in annum 490. Baronius in annum 482. conjiciunt. Sed Zenonis Quindecennalia litem dirimunt, ipseque Valesius, qui in Notis ad librum 4. Socratis cap. 14. Victoris calculo standum contendit, in Observationibus tamen ad Evagrium, de Petro Fallone Episcopo Antiocheno cap. 3. ubi Calandionis Episcopatus tempus discutit, loquens, fatetur in Victore Tununensi miram esse perturbationem.

489. *Eusebius*, & *Probinus* Occident.

490. *Longinus II.* & *Avienus Faustus* Occident. Initium prioris Imperii Theodorici Gothorum Regis in Italia, uti alibi diximus.

491. *Olybrius* solus Occident. Zeno Augustus epilepsiâ correptus mense Xantico sive Aprili obiit, & Ariadna Anastasium ex Silentiario creavit Imperatorem, qui, ut habet Chronicon Alexandrinum, inauguratus est quinto Aprilis hebdomadis majoris, in quo tamen errat. Nam ea feria hoc anno in 18. Aprilis diem incidit. Dedicata est Basilica Lauræ S. Sabæ anno ætatis ejus 53. qui Christi erat 491. ut habet Bollandus in vita Euthymii Magni die vicesima Januarii, paragrapho quarto.

FI.
Imperium
Anastasi.

492. *Anastasius*, & *Rufus* Occident. Anastasii Consulatus juxta I. Regulam.

493. *Eusebius II.* Orient. & *Albinus* Occident. Hoc anno Theodoricus Ravennam ingressus Odoacrem interemit, cœptaque inde nova hujus Italiae Regis Epocha, à qua, sicuti & à priori, anno 490. inchoatâ, ejus Quinquennalia, Decennaliave deducenda; utriusque enim Imperii hujusmodi solemnia celebrasse, quæ infra dicam, evincunt, ostendensque hactenus erratum esse in unica tantum Epocha Theodorico attribuenda.

494. *Prasidius* Orient. & *Asterius* Occident.

495. *Viator* solus, Occident.

496. *Paulus* solus, Orient. Erat is frater Anastasii Imperatoris, quo Consule voluit is Quinquennalia agere, ut colligitur ex his Marcellini in Chronico verbis: *Augustatico suo dudum Anastasius militibus præstito, donativum quoque hoc fratre Consule tribuit.* Donativum enim quod Principes Romani simul atque Augusti à militibus nuncupati erant, erogabant, recentior latinitas *Augustaticum* dixit, uti jam à viris doctis observatum. Quod etiam donativum in Quinquennalibus & id genus festis, quod hæc essent quædam renovatio Imperii, militibus tribuebatur.

497. *Anastasius Aug. II.* solus. Non solum Anastasius, sed & Justinus Senior, & Justinianus, qui ei successere, septimo Imperii anno Consulatum sumpsere; eoque anno eadem peracta, quæ annis Quinquennalibus & id genus festis destinatis; ut ostendimus parte secundâ hujus Dissertationis.

498. *Ioannes Scytha*, Orient. & *Paulinus*, Occident.

499. *Ioannes Gibbus*, Occident.

500. *Patricius*, & *Hypatius*, ambo Orientales. Decennalia Theodorici Italiae Regis, de quibus cap. 3. num. XI. actum est. Illud hic tantum observandum Anastasium Imperatorem hoc anno ob ea solemnia Hypatium sororis suæ filium Consulatum procedere voluisse.

501. *Pompeius* Orient. & *Avienus* Occident. Decennalia Anastasii Imperatoris, quæ ostendunt primùm Consulatus: Pompeius enim nepos erat Anastasii; frater nempe Hypatii superioris anni Consulis, ejusdem Imperatoris sororis filii; secundùm Ludi theatrales hoc anno facti, de quibus Marcellinus in Chronico. Tertium quia sanctus Elias unus è successoribus Euthymii Magni Abbatis novam Ecclesiam Deiparæ Virginis à S. Saba constructam dedicavit *primò Julii, Indictione nona*, hoc nempe anno, ut ostendunt Bollandus & Henschenius in Actis nuper citatis S. Euthymii. Quartum Theophanes hoc

hoc anno habet: hoc anno *Chryſargyrum tributum*, & *venationes ſive pugnas cum beſtiis publicas* *Anaſtaſius abolevit*; & *Magiſtratus qui antea venales erant, gratis contulit*. De exitiali illo tributo ſuperius loquuti ſumus. Verum quidem eſt Marcellinum in Chronico ſub anni præcedentis Conſulibus ſcribere: *Anaſtaſius Imp. donativum Illyricianis militibus per Paulum Tribunum Notariorum erogandum miſiſe*, ſed miſſa ſub finem hujus anni, uti exiſtimandum, pecuniâ, quia ſequentis initio quinquennale ſtipendium in Decennialibus Imperatoris ſolvendum erat.

502. *Avienus Iun. Occident. & Probus Orient.* Hoc anno Theodoricum Italiz Regem poſterioris Imperii Decennalia celebrare, tria oſtendunt. Primum, Conſulatus Probi, ſororis Anaſtaſii Imperatoris filii; ideo enim tres ejuſdem nepotes deinceps his tribus annis Conſules proceſſerunt, ob tria quæ in iſdem Decennalia fienda erant. Secundum, quod ſub his Conſulibus Caſſiodorus in Chronico ſcribit: *His Coſſ. DN. Rex Theodoricus aquam Rovennam perduxit, cujus formam ſumptu proprio inſtauravit, qua longis ante fuerat ad ſolum reduſta temporibus*. Qui Auctor, cum anno 500. quo Theodoricus priora Decennalia celebravit, alia id genus Romæ facta ſignificet, patet ea horum ſolemniū effectus fuiſſe. Tertium, ejuſdem Imperii Quindecennalia, & Vicennalia, de quibus infra.

303. *Dextrates, Orient. & Voluſianus Occident.*

504. *Cethegus ſolus, Orient.*

505. *Sabinianus Orient. & Theodorus Occident.*

506. *Areobinda Orient. & Meſſala Occident.* Quindecennalia Anaſtaſii; quod referenda quæ ſcribit Auctor Chronici Alexandrini: *His Coſſ. Anaſtaſii Principis ſtatua, in eodem loco, quò dudum Theodoſii Magni ſteterat, ſuper immanem columnam in foro Tauri ſtatua eſt*. Quod etiam habet Theophanes, qui addit: *hoc eodem anno plura ex arte opera ex his, quæ poſuit Magnus Conſtantiuus, Anaſtaſii juſſu conſtrata ſunt*.

507. *Anaſtaſius Aug. III. & Venantius Occident.* Ab hoc Conſulatu ad ſecundum ejuſdem Imperatoris anni ſunt decem elapſi, & ad ſequentem ab eo geſtum decem alii anni, ex quo, loco laudato collegimus Anaſtaſium in Conſulatus Cæſareos aliquam mutationem invexiſſe.

508. *Celer, & Venantius.* Quindecennalia Theodorici poſt Odoacrem occiſum imperantis, quod oſtendit ædificatio Monafterii à S. Cæſario Arelatenſi Epifcopo, hoc anno cœpta. In ejus enim vita à S. Cypriano Epifcopo Tolonenſi ſcriptâ dicitur, Alarico Rege

Gothorum à Clodoveo Francorum Rege in conflictu perempto, Theodoricum Italiæ Regem missis ducibus suis in eam Provinciam ingressum esse, *in hac ergo, inquit, obsidione, Monasterium, quod sorori ejus S. Casaria & sanctis Virginibus construebatur, magna ex parte destructum est.* Qui exercitus hoc anno ad urbem Arelatensem, quæ Goth. 9. parebat, quæque à Francis obsidebatur, liberandam, missus, ut docet Cassiodorus in Chronico. Hoc itaque vel præcedenti anno Monasterium illud cœptum; ideoque & ea solemnità Theodorico celebrata. Vide quæ infra anno 512. de eodem dicimus.

509. *Importunus Junior* solus.

510. *Anicius Manlius Severinus Boetius, Occident. & Eutharicus* Orient.

511. *Felix Occident. & Secundinus Orient.* Vicennalia Anastasii Imperatoris, cujus index legatio S. Sabæ rogatu Eliæ Hierosolymorum Episcopi ad Anastasium pro fidei Catholicæ causâ suscepta, quam Cyrillus in ejus vita dicit egisse cum annos 73. natus esset. Natus autem erat Theodosio XVII. Consule, mense Januario, anno sc. Christi 439. ut ostendunt Bollandus & Henschenius in Illustratione Actorum S. Euthymii Magni, die 20. Januarii. Quare hoc anno ad præfatam ætatem pervenerat.

512. *Paulus, & Mucianus* Orient. Vicennalia posterioris Imperii, Theodoricæ in Italia, quæ indicat dedicatio Monasterii à S. Casario Arelatensi Episcopo post Arelatem à Francorum obsidione liberatam perfecti, die XXVI. Augusti facta, ut discimus ex Auctore vitæ ejusdem sancti anno 542. ut alias ostendemus vitâ functi: *erant, inquit, constitutionis Monasterii ipsius eo tempore anni pleni triginta, sexto Kalendarum Septembrium, & post diem dedicationis Monasterii sui beatam animam latus emisit ad Christum.* Si enim ab anno 542. quo ea mors contigit, per annos triginta retrocedas, pervenies ad præsentem, quo ideo ea dedicatio facta, quia Theodoricus posteriora sua Vicennalia celebravit. Quod si quis contendat S. Casarium anno tantum 543. ad coelestem patriam migrasse, inde non aliud sequetur, quàm præfata solemnità, Encœniaque anno sequenti 513. facta esse, annò nempe posterioris Imperii vicesimò evolutò.

513. *Clementinus* Orient. & *Probus.*

514. *Senator* solus Occident. Est hic M. Aurelius Cassiodorus Senator.

515. *Anthemius* Orient. & *Florentius* Occid. Quinta Quinquennalia Anastasii Imperatoris hoc anno facta, quod Marius in Chronico indicat quando scribit: *His Cass. Monasterium Acauno à Rege Sigismundo*

mondo constructum est, de quo celeberrimo Monasterio videndus Baronius ann. 526. n.44. ubi de eo agit, ejus enim foundationis tempus ignoravit.

516. *Petrus* solus, Occident.

517. *Anastasius Aug. IV. & Agapitus*. De hoc Anastasii Consulatu loco suprâ laudato actum. Marcellinus in Chronico Anastasium nullâ numerali notâ, aut titulô Imperatoris profiteretur, licet præcedentem ejus Consulatum cum numerali nota III. exhibuerit. Sed hunc Anastasium alium non esse quàm Imperatorem ostendit Codex Justinianeus, in quo lib.6. tit.27. *de naturalibus liberis* lex quarta dicitur *dat. Kal. April Anastasio A. IV. & Agapito Coss.* Ac præterea ejusdem Anastasii epistola ad Hormisdam Pontificem Romanum, quæ refertur tomo 4. Conciliorum pag. 1469. *data V. Idus Julii Constantinop. Anastasio Aug. IV. & Agapito V. C. Coss.* Emendanda porrò subscriptio l. 5. *de Advocatis divers. judicum*, quæ legitur lib. 2. præfati Codicis tit. VIII. ab eodem Anastasio *data Kalend. April. Anatolio, & Agapito Coss.* legendumque *Anastasio & Agapito Coss.* cum Anastasio imperante Anatolius Consul non fuerit. Ab hoc autem Anastasii Consulatu, ad III. ejus Consulatum, anni sunt decem, ab eo ad II. totidem. Quare aliqua mutatio in Consulibus Cæſareis facta.

518. *Magnus Orient. & Florentius* Occident. Anastasius hoc anno *ad alteram vitam migravit, cum per annos viginti septem, ac menses tres, diesque totidem Imperium Romanum administrasset.* Ita Evagrius libro tertio, capite ultimo, qui libri sequentis initio dicit Justinum genere Thracem Imperialem purpuram sumpſiſſe *die nona mensis Julii*, qua in re Chronicon Alexandrinum suffragatorem habet. Ex qua die rectè in eo constituta locus est existimandi Anastasii Imperii tempus variè ab Antiquis computatum, rectè etiam ab eo numeratum fuisse, sicque anno 491. die sexto Aprilis, si ultimum terminum Evagrius exclusit, Zenonem, cujus emortalis dies à nullo ex Antiquis adnotatus, periisse. Ab ea enim die ad nonum Julii hujus anni huiusmodi tempus interjicitur. Fuisse tamen aliquod dierum interregnum post Zenonis mortem ab eodem Evagrìo in Imperio, Anastasiano computatum, deducitur tum ex præcipitata ejusdem Zenonis morte; tum ex eo quod Marcellinus in Chronico scribit Anastasium regnasse annos 27. menses 2. dies 29. quo pacto die tantum nonâ Aprilis anni 491. Imperium susceperit, dieque decima octavâ ejusdem mensis coronatus Zeno fuerit.

III.
Imperium
Justini Se-
nioris.

§ 19. *Iustinus Aug. & Fl. Eutharicus* Occident. Consulatus *Iustini* juxta I. Regulam.

§ 20. *Vitalianus* Orient. & *Rufficus*.

§ 21. *Iustinianus* Orient. & *Fl. Valerius* Occident. *Iustinianus* ipse Imperator fuit, cujus Consulatus propter magnas liberalitates, de quibus *Marcellinus* in *Chronico*, famosissimus fuit.

§ 22. *Symmachus*, & *Boëtius*, ambo Occident.

§ 23. *Maximus* solus Occident. Quinquennalia *Iustini* Imperatoris, quæ ostendunt quod habet *Cedrenus* hoc anno: *Augustali Corona Theodoram uxorem suam ornavit, quam mortuam Euphemiâ duxerat.* Addit multos *Manichæos* suppliciiis affecisse, quare rectè *Baronius* in *Annalibus* num. XIII. ad hunc annum refert l. 12. *Codicis Iustiniani de hæreticis & Manichæis* nullis Consulibus subscriptam quam idem Imperator adversus *Hæreticos & infideles* promulgavit, qua undique *Manichæi* expelluntur, & capite puniuntur.

§ 24. *Iustinus Aug. II. & Opilio.* *Iustinus Anastasi* exemplo, anno Imperii septimo Consulatum cepit, qua de re suo loco actum. Quinta Quinquennalia prioris *Theodoric* in Italia Imperii, quæ ostendit dedicatio *Basilicæ Beatæ Mariæ Arelatis* ædificatæ hoc anno peracta in Concilio Provinciali *Episcoporum* in eadem urbe ob id coactorum.

§ 25. *Probus Junior* Occident. & *Philoxenus*.

§ 26. *Olybrius*, solus, Occident. Die tricesimâ *Augusti Theodoricus* Italiae Rex è vivis excessit, de cujus morte & duplici Epochâ, vide quæ diximus in hac tertia parte, cap. 2. n. XV. cui hoc addendum, Anonymum à *Valesio* editum testari *Theodoricum* dum *Bavennam*, in qua clausus erat *Odoacer* Rex, obsideret, legationem ad *Zenonem* Imperatorem misisse, ab eodem sperantem vestem se induere *Regiam*. Tum anno 493. occiso *Odoacre*, quod post *Idus Iulias* factum docet, *Gothi* sibi confirmaverunt *Theodoricum Regem*, non expectantes iussione[m] novi Principis, inquit idem *Anonymus*, quod hætenus ignoratum fuerat. Ex dictis porrò liquet duplicem *Theodoric* Epocham, dupliciaque *Decennalia* & id genus festa legitimis fundamentis innixa esse.

· FV.
Imperium
Iustiniani.

§ 27. *Mavortius* solus, Occident. *Iustinus* Kal. Aprilis *Iustinianum* sororis suæ filium Imperii participem facit, ipseque Kal. Augusti decessit, quod magis infra explicabitur. Ea porro *Iustiniani* nuncupatio ostendit eum hoc anno ante mortem *Decennalia* celebrasse.

§ 28. *Iustinianus Aug. II.* solus, juxta I. Regulam.

§ 29. *Decius* solus Occident. Hoc anno *Arausione* in *Gallia*, quæ urbs

urbs ad Reges Italiæ pertinebat, celebratum adversus Semipelagianos Concilium occasione dedicationis Ecclesiæ illic à Liberio Præfecto ejus Galliarum partis, quæ Athalarico Gothorum Regi subja-cebat, constructæ, propter cujus Encœnia Episcopi convenerant. Quare cum suo loco ostenderit Theodoricum Italiæ Regem Decennialia celebrasse, probabile est ejus successores idem præstitisse; ideoque hoc anno Athalaricum Quinquennialia anno uno antevertisse. Advertendum porro in reliquis Occidentis partibus, in quibus Imperium Romanum defecerat, dedicationes Ecclesiarum & id genus alia quocumque indiscriminatim tempore paulatim acta fuisse, Idemque postea in Oriente factum. Qua de re plura inferius.

530. *Lampadius, & Orestes*, ambo Occident.

531. *Post Consulatum Lampadii & Orestis*. Tam Oriens enim quam Occidens hoc anno sine Consulibus fuit. Quinquennialia Justiniani, quod referendum illud à Marcellino in Chronico scriptum: *His Coss. Codex Justinianus orbi promulgatus est*. Sicut enim Codex Theodosianus in anno hujusmodi solemniter dicato, ita & Justinianus publicatus.

532. *Iterum*, seu anno secundo post Consulatum Lampadii & Orestis.

533. *Justinianus Aug. III.* solus. Is Anastasii & Justiniani exemplo septimo Imperii anno Consulatum edidit: cujus arcani causa adhuc ignota, ut suo loco diximus.

534. *Justinianus Aug. IV. & Decius Theodorus Paulinus*. Is ultimus Occidentalium Consul fuit, bello Gothico ne deinceps alii crearentur prohibente. Ultimus & hic Cæsareorum Consulatum ordinariorum, qui à Justiniano sumptus est ob bellum Vandalicum anno elapso cœptum, currentique confectum: quò & Belisarius, cui illud commissum fuerat, antiquorum Imperatorum more triumphavit, ut docet Theophanes in Chronico hòc anno, & Baronius in Annalibus explicat num. 53. hujus etiam Consulatus occasione factum, quod Auctor Chronici Alex. scribit: *His Coss. Justinianus Codex renovatus est, adiunctis novis, post priorem Codicem, constitutionibus, jussusque est antiquato priore suam obtinere vim sive auctoritatem IV. Kal. Jun. Indict. XII.*

535. *Fl. Belisarius* solus in Oriente, juxta V. Regulam, ut dictum est capite 9. num. IX. In posterum bello gothico prohibente Consules prius in Occidente creati desiti, mox Occidentis exemplum Orientales quoque sequuti sunt. Quo factum est, ut Era Dionysiana nuper à Dionysio Exiguo proposita facilius admitta fuerit,

viresque eundo acquiserit, quam, si Consulatus viguisset, magnam passam fuisse contradictionem non dubitandum.

536. *Post Consulatum Belisarii.*

V.
imperium
Justiniani
à Decennali-
bus eius
usque ad
mortem.

537. *Post Consulatum Belisarii II. id est, anno secundo. Decennalia Imperatoris Justiniani, quorum index quæ scribit Marcellinus in Chronico: Ecclesia major Constantinopoli ab Imperatore Justiniano singulariter in mundo constructa dedicatur die V. Kalend. Ianuarias. Qua de re videndus etiam Theophanes. Referenda & ad hæc solemnæ Novella Constitutio, quæ inter Græcas est 47. hoc anno die nona Kalendas Julii. Quia Justinianus sancivit: in omnibus instrumentis in primis poni annum Imperatoris, post Consules, tertio loco Indictionem, & inde mensem ac diem.*

538. *Ioannes solus, Orient. Aliqui tamen huic Collegam adiungunt Volusianum, eo quod Epistola Vigilii ad Eutherium, quæ tom. 5. Concil. pag. 314. refertur, dicitur data Kalendis Martiis Volusiano & Ioanne viris Clarissimis Coss. in quibusdam editionibus loco Volusiani scribitur, Vuilifario. Sed utrobique malè; immediate enim post eam Epistolam refertur alia ejusdem Pontificis sexto post die ad Cæsarium Episcopum Arelatensem data pridie Nonarum Martiarum Ioanne Viro Clarissimo Consule, quæ subscriptio Volusiani nomen in præcedentem intrusum fuisse ostendit: quam etiam ob rem non tantum Marcellinus, & Marius Aventicensis solum Joannem Consulem edunt, sed is etiam solus in variis Justiniani Rescriptis apud Julianum Antecessorem ejusque Novellis legitur. Quare perperam Onuphrius lib. 3. Factorum scribit Volusianum hoc anno suffectum fuisse, ejusque mentionem esse in Codice Justiniano; nam per hæc tempora Consules ordinarii annui erant, nullaque in Codice Justiniano hujus Volusiani mentio, qui, si Consul, non nisi Honorarius fuit.*

539. *Appio solus, filius Strategii in Oriente.*

540. *Iustinus Junior solus, Orient.*

541. *Fl. Basilius Junior, qui novissimus privatorum fuit, qui Consulatum ordinarium gesserit, annoque nomen dederit. Quindecennalia Justiniani, quò referenda quæ scribit Theophanes: occursum Domini mensis Februarii II. celebrari cepit. Quod festum licet propter pestem, quæ Byzantii grassabatur, invecum, huc tamen etiam spectat.*

542. *Post Consulatum Basili.*

543. *P. C. Basili II.*

544. *P. C. Basili III.*

545. *P. C. Basilii IV.*

546. *P. C. Basilii V.*

547. *P. C. Basilii VI.* Hieronymus Rubcus in historia Ravennatensi lib. 3. scribit *anno post Consulatum Basilii sexto Indictione X.* Ecclesiam S. Vitalis dedicatam fuisse, iisque solemnibus Justinianum Imperatorem, & Theodoram Augustam interfuisse. Almannus in Notis ad Historiam Arcanam Procopii cap. 9. utrumque tunc minime in Italia fuisse recte observavit, sed non ideo hæc Encœnia hoc anno facta, negari potest; cum nec Rubeum, nec à quibus accepit, Ecclesiarum dedicationes per hæc tempora, annis in quos Imperatorum Vicennalia & id genus festa incidebant, celebrari consuetum fuisse, observasse certum sit. Licet porro Justinianus in annum sequentem Vicennalia distulerit, non ideo tamen templorum dedicationes, similiave omissa, ut jam supra à nobis animadvertum.

548. *P. C. Basilii VII.* Hoc tantum anno Justinianum Vicennalia celebrasse, horum solemnium indicia ostendunt; in calce enim Regulæ S. Aureliani Episcopi Arelatensis, quæ in Codice antiquarum Regularum ab Holstenio V. C. in lucem editarum legitur, habetur: *in Christi nomine fundatum est Monasterium virorum Dei in Civitate Arelatensi à S. Aureliano Episcopo, iubente sancta memoria Childeberto Rege Francorum, quinto decimo Kalendas Decembris, Indictione XI. anno quinto post Consulatum Basilii Junioris V. C. (legendum anno septimo, qui cum indictione XI. concurrat), & Basilica ibidem in honorem sanctorum Apostolorum & Martyrum. Illudque Monasterium, cujus hodie nullum vestigium extat, hoc anno fundatum fuisse, patet ex verbis S. Florentini sepulchro, quod Arelatis in Ecclesia S. Crucis extat, inscriptis: Primus præfuit S. Florentinus Abbas Monasterio nostro per annos V. qui vixit annis PL. M. L. obiit Prid. Id. April. duodecies P. C. Basilii V. C. Junioris Indict. 1.* Id est anno Christi 553. à quo si per annos quinque retrocedas, ad præsentem pervenies. Porro ex Indictione undecima superius memorata constat viros eruditissimos non raro antiquas subscriptiones corrupisse, aut perperam explicasse, quod existiment hoc sæculo indictiones non nisi à Septembri cœptas fuisse quos præfatum exemplum, sicuti & aliud parte 3. cap. 2. num. XIII. allatum errare convincunt. Eadem Vicennalia in hunc annum dilata fuisse discimus etiam ex Theophane, qui ait mense Aprili Ludos Circenses celebratos fuisse, additque: *Iulii mensis die vigesimo octavo tertia feria sanctorum Apostolorum adis facta est consecratio, & sanctorum Reliquiarum Andreae, Lucae, & Timothei, qui sancti Apostoli, depositio. Episcopus verò*

Menas unà cum sanctis Reliquiis progressus est vehiculo aureo Imperatoris gemmis exornato veclus : tres autem sanctorum Apostolorum gestabat oculos supra genua : atque ita dedicationem celebravit. Quam dedicationem , Reliquiarumque translationem in annum 552. perperam Baronius consignat.

549. P. C. Basilii VIII.

550. P. C. Basilii IX.

551. P. C. Basilii X. Quinta Quinquennalia Imperatoris Justiniani, ut ostendunt quæ Theophanes hoc anno habet: *Hoc anno, mense Septembris indictione decima quinta Syscis, trans Urbis Regia portum sanctæ Irenes dedicatio peracta : comitantibus verò duobus Patriarchis, Mena CP. & Apollinario Alexandria è magna Ecclesia sanctæ Reliquia processerunt. Sedebant autem illi in Imperatoris curru sanctas Reliquias genibus appositas sustentantes. Ad lemborum itaque stationem venerunt, & trajicientibus portum occurrit Imperator. Solemni itaque ritu sanctæ Irenes Ecclesiam aperuerunt. Eodem anno Hebdomi portus repurgatus.*

552. P. C. Basilii XI.

553. P. C. Basilii XII.

554. P. C. Basilii XIII.

555. P. C. Basilii XIV.

556. P. C. Basilii XV.

557. P. C. Basilii XVI. Tricennalia Justiniani, qui cum Constantinopolis. repetito terræ motu, qui hoc anno configit, tota ferè collapsa fuisset, plurima ædificia, præcipueque sacra reædificavit, inter quæ præcellentissimi sanctæ Sophiæ templi, uti ex Agathia & Procopio de ædificiis Justiniani lib. I. ostendit hoc anno Baronius.

558. P. C. Basilii XVII.

559. P. C. Basilii XVIII.

560. P. C. Basilii XIX.

561. P. C. Basilii XX.

562. P. C. Basilii XXI.

563. P. C. Basilii XXII. Septima Quinquennalia Justiniani Imperatoris, uno anno dilata; Auctor enim Chronici Alexandrini hoc anno scribit: mense Apellæo, sive 24. Decembris secundum Romanos prima die Indictionis XII. Festum dedicationis S. magnæque Dei Ecclesiæ Constantinopoli secundò celebratum est.

564. P. C. Basilii XXIII.

565. P. C. Basilii XXIV. Hoc anno die decima quarta Novembris Justinianus Imperator supremum diem obiit, eique Justinus Junior

Junior successit, quod infra certis adeo argumentis ostendam, ut non putem fore in posterum, qui ejus mortem, ut plerumque fit, in annum sequentem differat.

§ 66. P. C. Basilii XXV. Atque hic Postconsulatus Fastis Consulibus Romanis sæpius relegendis finem facit. Ex tot Consulibus Cæsareis sunt aliqui quorum nullam, alii quorum forsan non veram causam exprompsimus, aliaquaque Decennalia, aut id genus festa extra annos quibus acta, fortè consignata. Sed meminerit verum illud esse quod vulgò dicitur, *nihil inventum simul & perfectum.*

Superest ut quo tempore hæc fieri desierint, investigemus; qua in re observatu dignum Marcellinum, seu ejus Continuatore & Auctorem Chronici Alexandrini, qui aliquando eorum solemnium mentionem fecere, post Theodosii Junioris tempora de iisdem tacuisse, imò & ea in numismatis adscribi desuisse, licet Majoriani numinum, in quo legitur VOTIS MULTIS, aliumque Justiniani à Dufresnio in Dissertat. de numismat. inferioris ævi n. 42. allato, in quo legitur: VOT MULTHTI ad hujusmodi solemnia referendos esse dubitandum non videatur. Post Theodosium itaque Juniorem ea in numismatis valde imperfectè sculpta, & uti conjicere licet, minori pompâ & apparatu acta; tum Justiniani tempore donativum singulo quinquennio ab Imperatoribus militibus solvi solitum, abrogatum est, ut docet Procopius in historia arcana cap. 24. *νόμοι ἦν ἀνὰ πενταετηρίδα ἐκάστην τῆ βασιλείᾳ τῆς σερατιωτῆς ἐκάστον δωρεῖσθαι χρυσίῳ τακτῶ πεμπόντες δάνα πρισταίτες παντάχοσι τῆ ρωμαίων ἀρχῆς παρίχοντο σατήρες χρυσοῦς σρατιωτῆ ἐκάστο πέντε μάλ' ἅπτο ἐχ οἰοῦτε ἦν μὴ περσοῖδα δέει μνησθῆ πάση ἐξότε ὃ ἀνὴρ ὄδε διώκησατο τῶ πολιτείας τοῦτο ἔδεν ὕτε διαπράξτε ὕτε ἐμαχῆσε κωπερ χρόνῳ δύο κ' τετακοντα ἐνιαυτῆς τριβεντῶ ἦδν. ὥσε κ' λήθη τῷ ἔργῳ τότε τοῖς ἀνδράποισ γενέσθαι, quæ verba sic Alemannus vertit: ex prisca lege Imperator Quinquennali donativo, certaque auri summa exercitum prosequi consuevit. Ergo per Urbes Romanae disitionis quinto quoque anno Quaestores mittebantur, qui singulis militibus stateres aureos quinque penderent; idque rato inviolatoque usu receptum erat. Ex quo verò ad Rempublicam Justinianus accessit (inde duo & triginta excurrunt anni) ita hujus rei curam abjecit, ut ejus penè ceperit mortales oblivio. Priora verba malè vertit Alemannus, ea quæ Imperatorem respiciunt, ad donativum referens. Sic itaque vertenda, mos erat Imperatorem per Quinquennalia militum quemlibet certo stateres aureo prosequi. πενταετηρίδα enim Quinquennalia significare jam suo loco ostensum. Procopius itaque qui Historiam arcanam anno Christi 559. post Tricennalia nempe Justiniani scripsit, testis est*

VI.
Sub quo Imperatore
Decennalia
fieri desierint.

hunc, donativum militibus in Quinquennialibus fieri consuetum abolevisse, qui si Quinquennalia ipsa aliaque id genus festa idem Justinianus abrogasset, illud non prætermisisset, cum eum qualibet data occasione in rerum novatarum vituperationem adducat, & cap. XL scribat eum, ubi imperio potitus est, *ex templo omnia miscere cupisse, ac qua consuetudine obtinissent, hac interdicare, quasi Imperatorum paludamentum induisset, ut aliam rebus faciem induceret.* Quare existimo Justinum Juniorem sicut Consularem dignitatem in privatis, ita & in Imperatoribus hujusmodi solemnia abrogasse, eaque ad illum usque perseverasse.


VII.
Vestigia
quædam De-
sexualium.

Eorum tamen vestigia quædam non solum eodem Justino imperante, sed & diu post remansere; anno enim Christi 569. quo quintus Imperii Justiniani annus cœpit, *in suburbano, quod ante susceptum Imperium possidebat, palatium cœpit extruere: & in Principis Insula, qua ejus pariter erat, suburbana aliud erexit ad portum: nec non sanctorum mercede non conductorum ad Darsi regionem. Ad hæc publicum Tauri balneum à se reparatum de conjugis Sophia nomine Sophianas nuncupavit,* inquit Theophanes in Chronico. Tum anno 574. quo decimus Imperii ejus annus cœpit, Tiberium adoptavit ac Cæsarem renuntiavit, & ut ait idem Theophanes, *magnum Aqueductum à Valente constructum reparavit, & aquarum copiam Urbi.* Mauricius, qui anno 582. imperare cœpit, anno quinto Imperii, uti docet idem Theophanes, opere publico nomen suum posteritati commendare voluit: *edificavit porro Mauricius ad Blackernas Carianam Porticum, cunctaque à pueris ad susceptum usque Imperium à se gesta Pictorum arte in ea descripsit: & publicum quod hic habebatur, balneum absolvit.* Rursus anno Christi 596. quo decimus quintus Imperii ejus annus inchoatus est, *Solarium Magnaura condidit Imperator, suamque statnam ad medium atrium erexit, ibidemque posuit armentum,* inquit idem Theophanes. Imò anno 591. in quem decimus Imperii ejus annus incidit, S. Gregorius Pontifex Romanus dedicationem aliquarum Ecclesiarum fieri concessit, quod minime fas esset inconstituto Romano Pontifice Ecclesias in Occidente dedicare, ut videre est in Annalibus Baronii eodem anno num. XXIV.

VIII.
Vestigia
alia Decen-
nialium.

Leo Isauricus, qui anno 716. Imperium suscepit, anno 720. quo quintum ejusdem Imperii annum ingressus est, filium Constantinum Imperatorem coronavit, & Irenes Imperatrix, quæ anno 780. cum Constantino filio imperare cœpit, anno 784. Indictione VII. quo quintus Imperii ejus annus cœpit, *Berrhaam reparari jussam Irenopolim appellavit,* ut testis est Theophanes. Ad veterem morem Leonem etiam

etiam Quartum Romanum Pontificem reſpexiſſe exiſtimo, cùm abſolutâ, quam cœperat, novâ civitate, eam anno 852. quo ſextus Pontificatus annus cœpit, ſolemni ritu Deo dicavit, & Leoninam à ſuo nomine dixit, ut videre eſt apud Baronium eodem anno num. I. eò quoque ſpectavit Alexander Secundus Pontifex Romanus, qui anno 1061. Kalendis Octobris ad Pontificatum evectus eſt, is enim anno 1071. Kalendis Octobris, quibus undecimus Sedis ejus annus inchoatus eſt, dedicavit novam Baſilicam ſancti Benedicti, à Deſiderio Abbate Caſſinenſi & Cardinali erectam in monte Caſſino; quæ quidem, uti obſervat Baronius eodem anno num. I. celeberrima omnium dedicatio fuiſſe reperitur, præſente Pontifice Romano cum omnibus Cardinalibus, qui Romæ adcrant, & Archiepiſcopis decem atque Episcopis quadraginta tribus, pluribusque inſuper Principibus atque Magnatibus. Præterea Cremonenſes, Mediolanenſes ac Placentini anno 1168. Alexandriam in Inſubria condiderunt, cui ob Beati Petri & Alexandri Tertii ſummi Pontificis reverentiam Alexandriæ nomen indiderunt, annoque ſequenti Conſules ejus eam eidem Alexandro, & per eum Eccleſiæ Romanæ in jus & proprietatem obtulere, ut videre eſt apud Baronium anno 1168. num. 65. Alexander tertius anno 1159. menſe Septembri Hadriano Quarto Papæ ſucceſſerat. Ea itaque civitas anno decimo Alexandri Tertii ineunte conſtrui cœpta, eoque exeunte Eccleſiæ ſubjecta. Hujus enim Pontificis annos non ab anno 1160. ut perperam Baronius, ſed à præcedenti auſpicandos eſſe jam viri eruditi monuerunt. Denique S. Henricus Imperator hujus nominis Secundus, qui anno milleſimo ſecundo ad eam dignitatem evectus eſt, cùm Eccleſiam Bambergensem conſtruxiſſet, anno milleſimo undecimò, quo decimus ejus Imperii exorſus cœtum pluſquam triginta Episcoporum ad eam dedicandam convocavit, cujus occasione celebrata ab iisdem fuit Synodus Bambergensis dicta, ut recitat Baronius eodem anno, num. I. quæ omnia caſu eveniſſe non arbitror, cùm certum ſit prioribus Eccleſiæ ſeculis Encœnia Eccleſiarum, & Urbium hujusmodi amis peracta fuiſſe. Illud valde mirum mihi accidit, quod ea traditio tandiù conſervari potuerit, nullo libro qui extet, aut quem ſaltem legerim, hujusce antiquæ conſuetudinis mentionem faciente. Et hæc, quæ dicebam, Decennalium & id genus feſtorum quæque hucusque in tenebris ſepulta fuerant, veſtigia.



P A R S T E R T I A.

De perpetuis Imperatorum Orientalium Consulatibus.

UIA in Fastis Byzantinis, quos in ultima hujus Dissertationis parte explicandos aggredimur, Imperatores Orientis sine Collega Consules semper exhibentur, & modò post primum, modò post alterum Imperii eorum annum, Postconsulatus numerari incipiunt, ad faciliorem dicendorum intelligentiam de dimidiatis Consulatibus, & Postconsulatibus, qui ante Fastos Byzantinos introductos in usu fuere, priùs nobis agendum. Utrique siquidem Justino Juniori fundamentum præbuere novæ Factorum formæ inducendæ, posterioribus ex iis, quæ præcessere mutuari aliquid solitis.

C A P U T P R I M U M.

De Consulatibus Dimidiatis à Constantino Magno ad Iustum Junio-rem in Actis Publicis sæpè occurrentibus.

I.
Qui priores
sine Collega
Consules
fuerint.

Consulatus dimidiatus is est, qui Consule sine Collega constat; quod Magistratûs genus anno Urbis conditæ 702. nomen anno dare cœpit. Eò enim cum diu Comitia protracta essent, ideoque singulis fermè diebus cædes perpetrarentur, *Senatus in Pompeium intentus erat, quasi jam jam Dictatorem futurum, quod remedium res ipsa postulare videbatur. Id Cato dissuadens traduxit Patres in suam sententiam, ut eum Consulem absque Collega facerent: ut potestatem quidem Dictatoriam haberet solus res moderans, rationi tamen reddenda esset obnoxius more veterum. Hic primus Consulum solus creatus.* Ita Appianus Alexandrinus lib. 2. de Bello civili, cui suffragatur Dio libro 40. hujus rei nullum postea exemplum visum, nisi postquam Constantinus Magnus Imperium suscepit. Cum enim tunc Orbis Romanus à pluribus Imperatoribus eodem tempore imperantibus, iisdemque inter se discordibus regeretur, Maxentius qui in Italia imperabat, anno 310. rursusque anno 312. Consul sine Collega processit,

&c

& in reliquo Imperio Galerius Maximianus anni 311. initio Conſulatum ſolus edidit. Et quidem de Maxentio nulla difficultas eſſe po- teſt ; at non ita de Galerio Maximiano. Noriſius enim Diſſertat, de numiſmate Licinii cap. primo ex eo quod anno 311. idem Maximia- nus VIII. & Licinius à Caſſiodoro & Victorio Aquitano Conſules ordinarii proponuntur, Licinium non minùs quàm Maximianum Kalendis Januariis eam dignitatem huiſſe arbitratur, quod & ex Edi- cto in favorem Chriſtianorum eo anno ab eodem Maximiano emiſ- ſo, in quo Licinius diſertè inſcribitur Conſul, confirmatum cenſet. Verum enim verò verba, quæ in Catalogo veterum Pontificum ab Henſchenio in lucem edito leguntur, clariora ſunt, quàm ut res hæc in dubium vocari poſſit: *Miltiades*, ait Auctor Anonymus ejuſdem Catalogi, *ſedit annos 3. meſes 7. dies 8. ex die VI. Nonas Iulias à Conſulatu, Maximiano VIII. ſolo ; quod fuit meſe Septembri Voluſia- no & Ruſino* (in Italia nempe, ubi hos Maxentius Imp. Conſules designarat) *uſque in III. Idus Januarii Voluſiano & Aniano Conſuli- bus*, qui anno 314. Conſules ordinarii fuerant. Galerius itaque ipſo anni initio Conſul ſolus proceſſit, ac paulò poſt, Licinium Impera- torem Collegam habuit. Is enim, ſicuti Galerius in præfato Edicto ab Euſebio lib. 8. cap. 17. relato, & poſt ultimum Februarii diem ejuſdem anni 311. emanato, Conſul appellatur. Imò Kalendis Maiis ejuſdem anni Galerius jam ſibi alterum Collegam adſciverat, Gale- rium nempe Maximinum Imperatorem, ut aliàs offendimus ex La- ctantio libro de Mortibus perſecutorum. Quòd porro Galerius anni initio nondum Collegam habuerit, ab Onuphrio, Calviſio, ac Golt- zio perperam exiſtimatum, Licinium anno 311. Conſulatum tantùm ſuſſectum geſſiſſe. Nam poſtquam Conſtantinus ad Imperium eve- ctus eſt, multoque magis poſt Imperii diſiſionem Valentiniani & Valentis Impp. tempore factam ſæpiùs contigit, ut Conſules ordina- rii longè poſt Kalendas Januarias magiſtratum inierit, quos nullos tamen ſuſſectos tantùm Conſules appellabit. Nihilò tamen minùs quia ejuſdem Galerii Maximiani Conſulatu hoc primum viſum eſt, ſumpta inde anſa ab aliquibus exiſtimandi Licinium Conſulatum tantùm ſuſſectum geſſiſſe. Qua in ſententia fuiſſe videtur Divus Au- guſtinus libro poſt Collationem cap. 33. ubi tertium Conſtantini Magni Conſulatum cum ſecundo Licinii conjungit, cum tamen uterque anno 313. ter Conſul neceſſariò dicendus fuerit, ſi anno 311. Licinius Conſul ordinarius proceſſit. Contra verò Licinius iterùm Conſul tunc dici potuerit, ſi anno 311. Conſulatum tantùm ſuſſe- ctum geſſit, cum huiuſmodi Conſulatum nulla plerumque ratio ha-

bita sit. Sed hac de re jam supra satis actum. Denique cum in Fragmento Consulari à Bucherio edito idem Maximianus cum particula exclusiva, sicuti in Catalogo veterum Pontificum laudato legatur hoc modo: *Maximiano VIII. solo*, eum anno 311. Kalendis Januariis solum Consulem processisse minimè dubitandum.

II. Unicus porro Consul publicis Actibus inscribebatur. Primum quando propter bella, aut alias rationes capite sequenti referendas, Collega ejus in alia Imperii parte designatus non fuerat, aut de ejus designatione nuncium nondum pervenerat. Tunc enim si in Occidente v. g. Consul Orientalis ignoraretur, solius Occidentalis nomine acta consignabantur, additâ etiam non raro hac formulâ, & qui nunciatus fuerit, sicuti videre est in Novellâ tertia Theodosii Junioris de *Judais, Samaritanis; Hereticis, & Paganis* data anno 439. quæ hoc modo subscribitur: *dat. prid. Kal. Febr. Theodosio A. XVII. Cos. & qui fuerit nunciatus*. Nam anni exordio alterutrius Consulis nomen sæpe ignoratum fuisse certum est: quam in rem facit egregius Synesii locus, qui in Epistola 132. ait: *χθὴς ἡ ὀπίωυ ἐν τῷ ἰσαγγῶ ἰσάτωρ ἢ ἀπερῶ ἰστὴ ἀεσαίωυτῶ, ἢ ἰδὸν ἀυαῖσχωρτα ἀγροῶ*, id est, *medius tertius novis Consulibus, quorum alter est Aristæctus, Collegam enim ignoro*. Cadit is Consulatus in annum Christi 404. quo Honorius Imperator VI. Consul in Occidente fuit, cujus designatio à Synesio cum eam eo anno in Oriente scriberet Epistolam, ignorabatur. Quibus in verbis explicandis hæsit Petavius, qui Synesii opera notis illustravit. Ait enim in iisdem: *etenim Consularis honoꝝ principali fastigio velut sydes lumine solis absconditur*. Quæ explicatio, ut optimè observat Alemannus in notis ad 26. caput Historiæ Arcanæ Procopii, à Synesii mente aliena est. Nihil siquidem aliud significat, quam Aristæneti Consulis Orientalis Collegam se se hæcenus nescire, quidquid dicat idem Petavius in secunda operum ejusdem Synesii Editione ad præfatam explicationem tuendam, Alemannumque consultandum.

III. Secundò quandoque inter Imperatorem Orientis & Occidentis conveniebat, ut unus tantum Consul crearetur. Quo tempore in Actis publicis particula exclusiva apponi non solebat, uti videre est in Codice Justiniano, ubi ea nunquam legitur, sicuti nec apud Casiodorum, ac Prosperum, licet Continuator Marcellini, aliique quidam eam addere soleant hoc modo: *Cyro solo Cos.* anno nempe Christi 441. Tertio quando alterutrius Consulis nomen è Fastis eradebatur, quod anno 399. contigit, unde Prosper in Chronico eo anno habet: *Mallio Teodoro Cos. cum hoc Consulatum inierat Eusebius Eunuchus,*

Eutuchus, qui max honore & vita exutus est, Solius itaque Theodori Eutropii Collegæ nomen publicis Actis adscriptum est. Tuncque aliquando bis idem Consul nomine scilicet & prænomine exprimebatur, v.g. Mallius & Theodorus, quo pacto hujus anni Consulatum Cassiodorus & Idatius in Fastis edunt. Qui modus bipartiendi Consulatus ab inferioris ævi scriptoribus aliquando usurpatus legitur, etiam quando integer erat. Sic Alcuinus libro de Divinis Officiis cap. primo, ait Christum notum esse *Sulpicio & Camerino Coss.* anno nempe Eræ Dionysianæ nono, cum dicere debuisset, Poppæo Sabino & Sulpicio Camerino Coss. Addit baptizatum *Valeriano & Asiatico Coss.* anno scilicet ejusdem Eræ quadragesimo quinto, loco *Valerio Asiatico & Messala Coss.* Propter quæ, similiaque Mabillonus tomo primo seculi quarti Benedictini in vita ejusdem Alcuini pag. 145. illud opus Alcuino abjudicat, licet nihil inde ad eam rem concludi possit; cum Georgius Syncellus scriptor coætaneus, quando de Natali & Morte Christi agit, utrumque Consulatum eodem modo ac Alcuinus dispartiat.

Quartò unius tantum Consulis nomine Acta signata quando illustis erat; quod in Inscriptione Narbonensi capite sequenti referendâ factum existimo. In ea enim solius Valentianiani nomen legitur, non verò Nomi ejus in sexto Consulatu anno 445. gesto Collegæ, licet ea sub finem anni dedicata fuerit. Quintò ex mero uniuscujusque arbitrio pendebat, vel uno tantum, vel duobus Consulibus ordinariis scripta publica consignare. Epistolæ Divi Leonis Papæ 14. & 15. juxta Quæsnelli viri doctissimi editionem consignatæ sunt *Calipio* (seu Alipio, utrumque enim indiscriminatim legitur) & *Ardebure Coss.* Epistola 16. data est XII. Kal. Novembris iisdem etiam Consulibus, anno scilicet Christi 447. & tamen Epistola 17. postridie data hanc habet subscriptionem: *data XV. Kal. Novembris Alipio V. C. cons.* Præterea Epistola 128. ejusdem Pontificis hoc modo notatur: *data quinto decimo Kal. Aprilis Leone & Majoriano Coss.* id est, anno Christi 458. Et tamen epistola 129. aliquot post dies data, ita subscribitur: *dat. XII. Kal. Aprilium Majoriano Augusto primem Consule.* Tum epistolæ 130. & 131. eadem die datæ ita consignantur, *Leone & Majoriano Augustis Coss.* Ex quibus patet ex mero privatorum arbitrio pendisse vel unius, vel utriusque Consulis nomine Acta consignare, quod solo usu introductum videtur. Initio enim ob alterius Consulis ignorationem unius tantum nomine Acta notare licebat; cumque frequenter ea ignotatio contingeret, primis anni diebus aut mensibus, paulatim factum, ut modò utriusque, mo-

IV.
17. & 18.
tio.

ddò unici Consulibus nomine instrumenta publica subscripta fuerint.

V. Sextò licet utriusque Consulibus designatio nota esset, sæpè tamen
 VI. Ratio. Acta unius tantùm nomine consignabantur, additâ hac particulâ, & qui nunciatus fuerit, quæ passim in Codice Theodosiano, alibi que legitur, licet is jam nominatus fuisset, eaque nominatio innotesceret. Illustre hujus rei exemplum ex Actis Concilii Chalcedonensis anno Christi 451. Marciano Augusto, & Adelfio Consulibus, celebrati deduco: prima enim ejus Actio his verbis inchoatur: *in nomine Domini Iesu Christi, Consulatu piissimi & amatoris Christi Imperatoris Flavii Marciani perpetui Augusti, & ejus qui fuerit declaratus, sub die octavo Idus Octobris, indictione quartâ.* Sequentes Actiones iisdem verbis notatæ, nisi quod in quibusdam formula illa, & qui fuerit declaratus, omittitur. Et tamen neque Constantinopoli, neque Chalcedone Adelfium Romæ Consulem designatum fuisse, ignotum esse non potuit. Hoc enim anno quatuor Epistolas Adelfii Consulatus notatas ad Marcianum Augustum qui Concilio interfuit, S. Leo Pontifex Romanus jam scripserat, qui & alias ad Pulcheriam, ad Anatolium Patriarcham Constantinopolitanum, ad ipsam Synodum Chalcedonensem, privatosque quosdam misit Adelfio Consule subscriptas. Præterea legatos, quos idem Pontifex ad Synodum misit, Adelfii designationem Marciano & Episcopis retulisse certum; & nihilominus Concilii Acta solius Marciani Consulatu consignata sunt, additâ formulâ, quæ videtur indicare Consulem Occidentalem in Oriente tunc ignoratum fuisse. Imò epistola quam Valentinianus & Marcianus Augusti S. Leoni scripsere, quâ de fide apud Chalcedonem roboratâ gratulantur, ipso eodem anno exeunte data, his verbis subscribitur: *dat. XV. Kal. Januarii D.N. Marciano PP. Aug. & qui fuerit nominatus, Consulibus.* Et tamen libro primo Codicis Justiniani, titulo undecimo l. 7. *de Paganis & sacrificiis & templis*, antea ab iisdem Imperatoribus emissa ita notatur: *dat. prid. id. Novemb. Marciano A. & Adelfio Coss.* & eodem libro, titulo 12. l. 5. *de his qui ad Ecclesiam confugiunt.* Ab iisdem Imperatoribus emissa, dicitur *dat. III. Id. Jul. Marciano A. & Adelfio Coss.* Ex quibus intelligimus, consuetudinem tulisse, ut licet in Oriente Consul Occidentalis notissimus esset, & viceversa, Acta tamen publica unius Consulibus nomine, additâ etiam hac formulâ, & qui nunciatus fuerit, sæpè consignarentur. Sicut autem, ut sequenti capite dicemus, Concilium Ephesinum notatum fuit hac clausulâ *post Consulatum Theodosii Aug. XIII. & Valentiniani Aug. III.* Quia hi Consulibus ordinariis, qui tantùm privati, illustriores erant; ita & propter

pter eandem rationem, solius Marciani Augusti Consulatus mentio in Concilio Chalcedonensi facta.

Harum observationum beneficiô variaz difficultates enodari poterunt, quod brevitatis causâ unico exemplo demonstro. Epistola S. Leonis ad Neonam Ravennatensem Episcopum, quæ in editione Quæsnelli centesima tricesima quinta ordine est, his verbis subscribitur: *data nono Kal. Novembris Consulatu Marciani Augusti*, id est anno Christi 451. Contendit Quæsnellus legendum esse *Consulatu Majoriani Augusti*, sicque datam esse Epistolam anno 458. quo Majorianus Leone Augusto Collegâ Consulatum edidit, hæcque prima ejus ratio: *cum viginti*, inquit, *epistola Leonis anno 451. data etiam supersint, nulla tamen alia Marciani Consulatu annotata reperitur, omnes Adelphii Consulatum scriptam habent. Quis igitur sibi persuadeat Leonem sibi in omnibus, vel levis momenti rebus constantissimum post tot epistolas nomine Adelphii Consulis insignitas, stylum mutasse, & de Marciani nomine apponendo cogitasse? Quod enim de hujus Augusti Consulatu in illis Epistolis non meminerit, non ex memoria lapsu, vel oscitantia, casuve aliquo contigisse credendum est: sed potius putandum non ita fuisse in usu per ejus Consulatum tempora numerare, licet hujus omissionis ratio non appareret. Hoc & pro certo habendum nequaquam id à Leone omittendum fuisse, si usus tulisset: præsertim cum omnes illæ Epistole in Orientem missæ sint, & ad Orientales Episcopos datæ: imò ad Constantinopolitanum Antistitem, ad Julianum Cænsensem, ad Pulcheriam Augustam, ad Synodum Chalcedonensem, & ad ipsum Imperatorem Marcianum. Quibus consideratis nemo sibi suadebit unicam Epistolam post illas omnes scriptam, & ad Italia Episcopos missam, præter consuetudinem decoratam fuisse Marciani nomine. Sed mirum est virum in libris Divi Leonis exercitatissimum non advertisse S. Pontificem in temporariis notis exprimendis sæpe stylum mutasse. Præter enim ea quæ jam numero secundo observavimus, ex ejus Epistolis aliæ datæ sunt sine die, & Consule, aliæ cum utroque, pluresque cum unico tantum Consule. Ad hæc decem Epistolas Aetii, & Studii Consulatu, qui in annum 454. cadit, notavit, & tamen undecima eodem anno data, hanc formulam *post Consulatum Opilionis*, anno superiore 453. Consulis præfert, rursusque duæ sequentes, quæ ordine sunt centesima decima, & centesima undecima, Aetii, & Studii Consulatu notantur. Quare nihil præter morem suum egit S. Leo, quandò post tot Epistolas Adelphii nomine insignitas unam Marciani nomine decoravit, frustra que ad usum contrarium, qui nullus fuit, recurritur. Divum Gregorium è successoribus Leonis unum,*

VI.
D. Leo in
temporariis
notis expri-
mendis sæpe
stylum mu-
tat.

in subscriptionibus Epistolarum non minùs variasse capite sequenti videbimus.

VIII. Non magis firmum secundum ejus argumentum. *Quoties inquit : Epistola D. unicum Consulem in Epistolis suis Leo adnotavit , toties Occidentalem Leonis vario Consulem, non verò Orientalem nominavit.* Ex quo deducit Epistolâ ad Neonam non debuïsse adnotari Marciani unius Consulatu, *quod nimirum ait : Hac esset tunc temporis consuetudo, ut Occidentales Occidentalem, Orientales Orientalem Consulem publicis Instrumentis inscriberent.* Sed licet more communi, magisque usitato id fieret, nullo tamen modo, aut necessarium, aut aliqua lege cautum erat. Anno Christi 498. Joânes Scythia in Oriente, & Decius Paulinus in Occidente Consules ordinatii fuere, & tamen uti legitur apud Onuphrium in *Factis*, Romæ in antiqua Tabula marmorea scriptû reperitur: JOANNE SCYTHA ORIENTALI CONS. Inò aliter fieri non poterat, quandò uterque Consul aut Orientalis, aut Occidentalis erat, aut quandò unicus tantum Consul nomen anno dabat. Quid mirum igitur, si S. Leo Marciani non solùm Consulis, sed etiam Augusti nomine, Epistolam ad Neonam subscripserit.

Dicit tertid Quænellus nunquàm ità à Leone positam esse Consularem notam, *Consulatu*, sed vel *Consule*, vel *Consulibus*, *ut aliena manu*, subjungit, *additam nemo non videat.* At si hæc ratio valeret, plures temporis notæ ex Divi Leonis Epistolis tollendæ essent, sicque ex susdeque vertendæ. Epistola centesima nona data dicitur *post Consulatum Opilionis*, quâ loquendi formulâ nulla alia ejus Epistola notata, Epistola centesima vicesima nona data dicitur: *Majoriano Augusto primùm Consule*, & tamen nec Leo, nec alii notam numeralem cum primo Consulatu conjungere solent. Nam idem Leo sermone 2. de Pentecoste, de Manichæorum hæresi loquens, ait: eam ortam esse *Probo Imperatore*, *Paulinoque Coss.* Ubi vides S. Leonem non dicere *Probo Imperatore primùm*, licet certum sit hunc priorem ejus Consulatum fuisse. Denique si subscriptio illa inicitia sit, non legendum *Majoriani Consulatu*, sed ea prorsus expungenda; eam tamen retinendam esse ostendit, quod ipsemet Quænellus fatetur, nullum nempe Codicem, aut Manuscriptum, aut impressum suæ opinioni suffragari.

IX. *Dua sancti Leonis Epistola suis annis redduntur.* Ultima ejus ratio est, quod ea Epistola scripta sit ad Consultationem Episcoporum illius provinciæ, quæ Ravennensi suberat, illiusque consultationis occasio nata sit ex reditu aliquorum hominum, qui ex illis regionibus in captivitatem abducti, ab aliquot annis fuerant, post Barbaricam aliquam irruptionem, & tunc demùm ad sedes

ſedes ſuas, libertatemque redierant. Conſtare autem pace potitam fuiſſe Italiam Leonis Papæ temporibus, eam Attilam non ingreſſum eſſe niſi anno 452. ideoque multùm verofimiliùs eſſe Ravennenfem regionem Attilianum expertam fuiſſe furorem, plurimofque ſaltem ex agro, & parochia Ravennenſi inde raptos in captivitatem annò 452. & poſt aliquot annos ſcilicet 457. & 458. paucos libertatem ſimul, & patriam aſſequutos eſſe, & de ſuo Baptiſmò dubitare cœpiſſe: quæ Italis occaſio fuerit conſulendi Romanum Pontificem, & huic ad illius regionis Epiſcopos hanc ſcribendi Epiſtolam. Hæc Queſnellus. Sed occaſio S. Leonis conſulendi non clades Attiliana, à qua Ravenna orationibus Joannis Præfulis, qui jam eo anno ſedebat, liberata eſt, ut habet Baronius anno 452. nam. 63. ſed Vandolica perſecutio, & direptio. Cùm enim direptà maximà parte Africæ, ut in notis ad Epiſtolam ad Ruſticum Narbonenſem à S. Leone ſcriptam ipſemet Queſnellus obſervat, navibus fractis Geiſericus impoſuiſſet maximam Clericorum turbam unà cum Carthaginenſium Epiſcopo, ii nudi, & expoliati proſperà navigatione Neapolim Campaniæ appulère. Quin & Senatorum, atque Honoratorum multitudinem primùm exilio crudeli contrivit, poſtea tranſmarinam in partem projecit, imò cunctos amiſſis omnibus bonis ad Italiam navigare compulſit idem Geiſericus, teſtibus Victore Vitenſi lib.1. de perſecut. African. & Fulgentii actis. Cùm igitur Carthagine anno 439. exeunte barbarus Rex potitus ſit, annis proximè ſequentibus, quibus maximè furorem ſuum exercere cœpit, ex Africa ſe Catholici, & ipſi etiam Manichæi, uti ex Leonis ipſius Epiſtolis, Baronius ſuggerit, ſubdixerunt, ita ut eorum in Italiam adventus occaſione, dubia nata ſint, quibus per S. Leonem conſultum eſſe voluerunt Neonaſ Ravenneniſis Epiſcopus, & Ruſticus Narbonenſis Antilles, quod plurimi quoque perſecutionem fugientes in Gallias tranſmearent. Quare non ſolum Epiſtola ad Neonam in annum 451. quò eam Sirmondus tom.I. Concil.Gall. conſignarat, quaſi poſtliminio reſtituenda eſt, ſed etiam Epiſtola ad Ruſticum, quam idem Queſnellus in annum 458. contulit, ad annum 452. retrahenda, cùm in ea de pueris à Vandalis captis mentio ſit. Hæc ſcrupuloſius examinare placuit ad majorem Conſulatum dimidiatorum, de quibus nullus, quòd videlicet ſpeciale tractationem inſtituit, intelligentiam; utque pateret, Marciani Auguſti Conſulatu ſcriptores Eccleſiaſticos, quod idem vir doctiſſimus perſuaſum habet, abuſos non fuiſſe ad probandum S. Petrum Chryſologum Neonæ deceſſorem circa annum 450. è vivis exceſſiſſe, & non longè antea S. Germanum Antilliſiodorenſem, qui

in

in ea professione decessit, in qua Ravennæ exceptus est ab eodem S. Petro Chrysologo hujus civitatis Episcopo. Nam illud eò magis dicendum, quòd ipsemet Quæsnellus ex Ughello in Italia sacra affirmet, Neonam successisse Petro Chrysologo anno quadringentesimo quinquagesimo, decessisseque tertio sui Pontificatus anno, ut idem Ughellus refert; quæ quomodo subsistere possint, si Epistola ad Neonam anno tantum quadringentesimo quinquagesimo octavo, æ Majoriano Augusto Consule scripta sit, non video.

CAPUT SECUNDUM.

De Postconsulatibus à Constantino Magno ad Justinum Junio-rem usu receptis.

I.
Qua de causa
formulæ
Postconsulatum
introduc-
ta.

Postquam Constantinus ad Imperium pervenit, series Consulatum perturbari cœpit; cùmque inter tot Augustos eodem tempore coregnantes, quorum erat duos Consules designare, non conveniret, aliquando nulli Consules, aliquando plura Consulatum paria inter eas discordias designata, indeque hæc formulæ, *post Consulatum*, introducta. Legitur ea primum in Fastis Idatiani anno 307. quò Maximianus Herculæus IX. & Constantinus Consules ordinarij fuisse; Acta enim publica in aliquibus provinciis consignari cœpta *post sex- tum Consulatum*, nempe Constantii Chlorig VI. & Galerij Maximiani VI. qui anno superiori Consules ordinarij fuerant. Quæ formulæ maxime frequentata postquam idem Constantinus Romanum Imperium in Orientale & Occidentale divisit, & Orientis sedem Constantinopolim à se conditam, Occidentis verò caput Romam instituit. Tunc enim inter cætera statuit, uti ex duobus Consulibus, quos annuos esse voluit, alter Romæ, alter Constantinopoli designaretur. Ex quo factum, quòd Onuphtius lib. 2. Fastorum notavit, ut ob bella civilia, vel externa, Principum cædes, pestilentias, vel alias causas, annus sine Consulibus ordinariis aliquando fuerit; tuncque qui superiori anno Consulatum gesserant, Fastis nomen dabant: cujus rei exempla varia in iisdem fastis, præsertim post Theodosium Senio-rem, leguntur: & hæc prima investæ hujus formulæ causa.

II.
Triplex Post-
consulatum
genus.

Triplex verò Postconsulatum genus fuit. Primum sub Constantino initium, & sub Justino Juniori finem habuit, de eoque præ- senti capite agimus. Secundum à Justino Juniori ad Constantinum Pogonatum,

Pogonatum , de quo cap. sequenti. Tertium à Constantino Pogonato ad Constantinum Porphyrogenitam aut circiter perduravit, illudque, quod hæcenus incognitum fuit, cap. 4. explicabitur. In priori genere superioris anni Consules semel, bis, & aliquando pluries sequentibus annis repetebantur, uti mox videbitur. In secundo Postconsulatus, anno secundo, vel tertio Imperii semper incipiebat, totque deinde Postconsulatus anni, quot Imperii numerabantur, ut videre est in Fastis Byzantinis cap. sequenti à nobis ordinandis. In tertio denique genere primus post Consulatum annus cum primo Imperii anno semper incipiebat, adeo ut tot anni post Consulatum, quot Imperii numerarentur; quod in secundi generis Postconsulatibus non contingebat; semper enim plures Imperii, quàm Postconsulatus anni computabantur, quod infra clarissimè ostendam. Sed à prioribus, à quibus alii originem duxere, exordium sumendum.

Secundò, licet alicujus anni certi Consules essent, tamen in factis publicis eadem formula *Postconsulatum* aliquando repetebatur, quia nempe superioris anni Consules illustriores erant. Synodus Ephesina anno 431. Basilio & Antiocho Consulibus celebrata est: Basili nomen anni initio Constantinopoli forsan ignoratum; in Codice enim Theodosiano lib. 9. tit. 45. *de his qui ad Ecclesias confugiunt*, refertur Edictum Imperatorium, quod in Epitome Juliani, ut ibidem Gothofredus observat, ita subscribitur: *dat. X. Kal. April. CP. Antiocho V. C. Cos. & qui fuerit nuntiatus*, quamquam ejusdem tituli prima lex subscripta: *dat. X. Kalend. April. Constantinop. Antiocho V. C. & Basilio Coss.* indicet, priorem illam subscriptionem potius ex consuetudine, quàm ex Consulibus Occidentalis ignoratione processisse. Sed quidquid sit, post adventum Legatorum à S. Sede Ephesum missorum, Basili designatio ignorari non potuit, & tamen in prima ejusdem Concilii actione hæc verba leguntur: *post Consulatum Dominorum nostrorum Flavii quidem Theodosii XIII. Valentiniანი vero III. semper Augustorum decimo Kalendas Iulii Synodo congregata in Ephesiorum Metropoli.* Quæ formula in aliis ejusdem Concilii Actionibus etiam usurpatur,

III.
*Superioris
anni Consu-
les aliquan-
do iterari
quia illu-
striores.*

Tertiò, integrum erat cuilibet vel Consulibus ordinariis, vel formula post Consulatum Acta consignare. Id non tantum ex duabus subscriptionibus numero præcedenti relatis, sed & ex D. Leonis Epistolis clarè deducitur. Is enim, uti præcedenti cap. diximus, anno 454. Epistolas decem Aetio & Studio Consulibus insignitas scripsit, & tamen undecimam, quæ centesima nona ordine est, in Editione Quæsnelli qua utor, ad Episcopos Galliarum & Hispaniarum dedit

IV.
*Liberū erat
nisi formulā
post Consu-
latum.*

Opilione Consule Occidentali superioris anni subscriptam hoc modo: *Post Consulatum Opilionis quinto Kal. Augustas.* Tùm Epistolam centesimam decimam, & centesimam undecimam Consulatu Aëtii & Studii rursus notat. Quare non dubium quin hoc merè arbitrarium fuerit.

V.
*Formula post
Consulatum
à Constanti-
ni tempore
usurpata.*

Quesnellus vir rei criticæ scientissimus in Notis ad Epistolam à S. Leone ad Rusticum Narbonensem Episcopum scriptam, quæ secunda ordine est, explicans Inscriptionem mox afferendam contendit rationem hanc numerandi annos per Postconsulatus longè post ejusdem Rustici & D. Leonis tempora usurpatam fuisse, neque ante bellum Gothico-Italicum in more positam, sed per uniuscujus-anni Consules ordinarios tempora consignata fuisse, annosque computatos: aliquando quidem annos inveniri cā formulā notatos, sed id contra consuetum notarum Consularium morem factum: denique eandem formulam in usum vocatam non fuisse, nisi cum ordinarii Consules designati non essent. Sed ex iis quæ jam diximus, hæc omnia evanescent: ejusdem formulæ varia exempla, eaque illustrata in medium adducit Balusius vir eruditissimus in Notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1253. eā plures Codicis Justiniani leges notantur, imò à S. Leone, cujus opera idem Quesnellus notis illustravit, usurpatur, ut jam à nobis ostensum. Denum legitur ea in variis Inscriptionibus ante Leonis Pontificatum dicatis, veluti in ea quæ extat apud Onuphrium in Fastis anno Christi 346. quæ his verbis clauditur.

POST AMANTI ET ALBINI CONS.

Fuerant Consules Amantius & Albinus anno 345. & ut ex ea clausula patet, sequenti etiam anno nomen dedere. Quare hoc tam certum, quàm quod certissimum.

VI.
*Formula post
Consulatum
duplici modo
explicita.*

Peculiares tamen difficultates circa eam notam temporariam occurrunt, quæ sigillatim explicandæ sunt. Et primò quidem primus annus post Consulatum Belisarii, Basilii, aliorumque Consulum, quorum nomina iterantur, alio modo à Mario Episcopo Aventicensi, à Continuatore Marcellini, Justiniano in Codice sui nominis, aliisque, alio modo à Victore Tununenfi, Justino Juniore in suis Novellis, & quibusdam nonnullis numeratur, ut videre est in his laterculis.

MODUS LOQUENDI
MARCELLINIANUS.

MODUS LOQUENDI
VICTORIANUS.

Anno Christi

541. *Basilio V. C. Consule.*

542. *Post Consulatum Basilii*

544. *Post Consulatum Basilii II.*

Anno Christi

541. *Basilio V. C. Consule.*

542. *Anno secundo post C. Basilii.*

543. *Anno tertio post C. Basilii.*

Ubi vides Tununensem vocare secundum annum, quem alii primum, vel sine numerali notâ numerant, quod Hirtiano atque Ciceroniano scribendî modo ab eo factum Carolus Cointius tomo tertio, Anno 642. num. 33. animadvertit. Sicut enim apud Hirtium lib. 34. de Bello Alexandrino *secundus à Rege*, & apud Ciceronem lib. 3. de finibus *secundus ad regium principatum* dicitur, sic à Tununensi primus annus post Belisarii vel aliorum Consulatum secundus vocatur. Annus enim post Consulatum Basilii v.g. si ad consequentes post Consulatum annos animum attendas, primus est; qui tamen respectu Consulatus qui præcessit, secundus etiam nominari potest: eo modo, quo alibi diximus, ultimum aliquando pro primo usurpari. Quæ discrepantia in verbis tantum consistit, ut isto exemplo patet. Anno 553. post Consulatum Basilii XII. communiter notato Synodus generalis Constantinopolitana in causa trium Capitulorum celebrata est, & tamen Tununensis, qui propter eorum defensionem in exilium se missum scribit, eam consignat *post Consulatum Basilii V. C. anno 13*. Quare cum annum celebratæ Synodi ignorare non potuerit, manifestè liquet eum non nisi in modo loquendi ab aliis differre. Continuator Marcellini de peste loquens quæ tempore ejusdem Basilii Consulis grassata est, his eam verbis consignat: *Indictione sexta, anno II. P. C. Basilii mortalitas magna Italiam devastat, Oriente jano & Illyrico peraque attritis*. Est hic character anni Christi 543. Victor Tununensis de eadem peste loquens ait: *P. C. Basilii V. C. anno II. horum exordia malorum generalis orbis terrarum mortalitas sequitur*. Est hic character anni Christi 542. Ex quo tamen perperam quis inferret utrumque Auctorem non tantum in modo loquendi, sed reapse ab invicem dissentire. Eo enim in exemplo ideo anno uno inter se differunt, quod Continuator de peste, quæ Italiam anno 543. devastavit, Victor verò de ea, quæ uno anno antea Orientem attriverat, loquatur. Hæc, ut habet Theophanes, anno 541. *Mense Octobri, Indictione quinta* (à Septembri præfati anni inchoata) orta est By-

santii, ubi cum magis serperet, anno sequenti festum Purificationis Beatæ Virginis mensis Februarii die secunda celebrari cœpit, ut Auctor est idem Theophanes. Ex quo etiam, ut obiter moneam, corrigendus Baronius, qui eam pestem, & hujus Fæsti institutionem in annum 544. differt. Corrigendus & Valesius in Notis ad Evagrium lib. 4. cap. 29. qui cum non observasset mortalitatem illam prius in Oriente quàm in Occidente fuisse diffusam, Continuatore Marcellini, & Victorem Tununensem in ea consignanda discrepare existimavit. Quamobrem hæc discrepantia, licet in verbis tantum sita sit; quia tamen viris doctrinâ præstantibus errandi occasionem nonnunquam præbet, valde observanda. Priorem loquendi modum Marcelinianum, secundum Victorianum appello, & hujus distinctionis beneficio varios nodos capite sequenti solvo.

VII.

Qui post ex-
stum Magi-
stratum no-
men anno
dabant, ne-
que Consu-
les, neque
Viceconsules
dicobantur.

Secunda difficultas versatur etiam circa modum loquendi. Quæri enim potest, an qui post Consulatum gestum nomen anno dederunt, dicti sint aliquando Consules, vel Viceconsules? Et quidem quoad Consulatus nomen non invenio illud ante Justinii Junioris tempora isdem anno post Magistratum gestum attributum, sed postquam Consulatus ad Augustos translatus est, Postconsulatus nomine Consulatus sæpè expressus fuit, uti exempla duobus capitibus sequentibus afferenda palam facient. Quare Raderus Postconsulatus Basilii ab anno Christi 557. usque ad Justinii Junioris Imperium, perpetram Consulatus nomine appellat hoc modò, *Ind. V. Just. A. XXX. Basilio solo Conf. XVI.* loco post *Consulatum Basilii XVI.* Id est, anno Christi 557. In Chronico enim Alexandrino, cujus ea est versio legitur: *IND. 5, λ' κ' τ' βασιλείου τὸ 15' μόνου.* Quartus etiam annus, qui cum sexto Valentiniani Augusti Consulatu legitur in Inscriptione, quæ extat Narbonæ in Palatio Episcopali intelligi non debet de anno quarto post Consulatum sextum Valentiniani, sed de anno quarto ædificationis Basilicæ Narbonensis. Ita se habet Inscriptio, quàm ex Grutero pag. 1058. Balusius in Notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1256. & Paschasius Quesnellus in Notis ad Epistolam 8. S. Leonis ad Rusticum Narbonensem Episcopum referant.

DO ET XTŌ MISERANTE. LIM. HOC. C.Ī.K.Ī.Ī. Ē. ANNO III. CS. VALENTINIANO.
AUG. VI. IIIKL. D. XVIII. ANNO. EPTUS RUSTI.....

RUSTICUS. EP̄S. EP̄I. BONOSI FILIUS
EP̄I. ARATORIS. DE SORORE NEPUS
EP̄I. VENERISOĀI. IN MONASTERIO
CONPR̄B. ECCLĒ. MASSILIENS.
ANNO XV. EPTŪS SUL. D. ANN. V. III. ID. OCTĪB
C̄URSO PR̄BO. HERMETE. DIAC̄. ET. EOR. SEQ. TIB.

COEP̄. DEPŌN. PARIET̄. ECCLĒ. DUD. EXUSTAE
XXXVII. D. QUAD. IN FUNDAM. PONI. COEPI
ANNO II. VII. ID. OCTOB. ABSID. P. F. MONTANUS. SŪBD.
MARCELLUS. GALL. PREF. DĪ. CULTOR. PRECE
EXEGIT. EPŪM. HOC. OŅS. SUSCEP. INPENDIA.
NECESSAR. REPRŌMITTENS. QUAE PER

BIENN. ADMINIST.
SUAE PRĒBŪ. ARTIF. B.
MERCED. SŌL. DC.
ADOPEP. ECETER. SŌL. I. D.
HINC OBLAT. SCĪ.
EP̄I. BENERI SOL...G.....
EP̄I. DYNAMI....L.....
O R E S I. C. I
A G R O E C I.....L.....
E T D E C O N I A E.....
S A L U T I.....

Cujus Inscriptionis hæc explicatio est, Deo, & Christo miserante limen hoc collocatum est anno quarto: Consule Valentiniano VI. III. Kal. Decembris XIX. Episcopatus Rustici.....

Rustinus Episcopus Episcopi Bonosi filius, & Episcopi Aratoris de sorore nepos, Episcopi Veneris socius in Monasterio compresbyter Ecclesia Massiliensis, anno XV. Episcopatus sui, die anni quinta, tertio Idus Octobris, cum Urso Presbytero, Hermete Diacono, & eorum sequentibus,

Cæpit deponere parietem Ecclesia dudum exusta. Trigesima septima die quadratum in fundamento poni cæpit: anno secundo VII. Idus Octobris absidem poni fecit Montanus subdiaconus. Marcellus Galliarum præfectus, Dei cultor prece exegit Episcopum hoc onus suscipere, impendia necessaria repromittens, qua per

Biennium administrationis sua præbuit artificibus mercedem solidorum sexcentorum ad operas, & solidos mille quingentos. . . . hinc oblationes S. Episcopi Venerii solidos C. . . . Episcopi Dynamis L. Oresci. . . . CC. Agroecii T. Deconia. . . . saluti.

▼ VII.
Explicatur
Sextus Con-
sulatus Va-
lentiniani,
qui in In-
scriptione
Narbonensi
legitur.

His verbis, quæ hîc solum explicantur: *limen hoc collocatum est anno quarto Consule Valentiniano VI.* Hunc sensum tribuit Balusius, positum Basilicæ limen fuisse anno quarto post Consulatum sextum Valentiniani, ideoque anno Christi 448. qui ab anno 445. quo Valentinianus sextum Consulatum edidit, quartus est; qui cum decimus nonus esset Episcopatus Rustici, consequens est hunc anno 430. Ecclesiæ Narbonensi Præfectum fuisse. Quænellus verò quartum illum annum non à sexto Valentiniani Consulatu, sed à jactis Basilicæ fundamentis numerat, quod familiare, inquit, Antiquis esset, ut quo tempore construi ædificium publicum cœptum esset, quòve perfectum, hujusmodi Inscriptionibus, posteris notum vellent. Hoc ergo, subjungit, voluit Rusticus significare, per quatuor annos ædificatam esse Narbonensem Basilicam, seu anno quarto esse absolutam à quadro saxo posito; id est, à jactis fundamentis usque ad limen collocatum, seu finem operi impositum. Quæ explicatio præferenda; in ea enim Inscriptione quid quolibet anno, quo progressu factum sit, sigillatim explicatur. Quare Rusticus anno Christi 427. die nona Octobris ordinatus est Episcopus, annoque 441. die decima tertia præfati mensis, quæ quinta erat anni XV. ejus Episcopatus

Episcopatus, Basilicæ Narbonensis fundamenta jecit; licet enim nulla eo anno Decennalia & id genus festa edita fuerint; quia tamen octava Quinquennalia Theodosii Junioris cum patre imperantis, is celebrare debuisset, nisi eadem anticipasset, ideo idem annus Ecclesiis construendis destinatus. Tandemque anno 445. Valentiniani sexto Consulatu notato, qui quartus erat à jactis fundamentis, absolutus, quintusque à Die 13. Octobris inchoatus, illius verò Episcopatus decimus nonus, limen collocatum fuit tertio Kalendas Decembris. Sic præfata Inscriptio explicanda videtur. Neque enim ullum exemplum extat, in quo anni post Consulatum, eo modo quo annus quartus in ea Epigraphe legitur, exprimantur, quodve ostendat Consules, qui exacto annuo Magistratu sequentibus annis nomen dabant, eo nomine vocati fuerint. Sola itaque de Viceconsulis appellatione ante Justinum Juniorem controversia esse potest. Dux enim Justiniani Novellæ, quarta nempe & decima septima, illud eis nomen datum fuisse testari videntur. Prior his verbis subscribitur: *Dat. XII. Kal. Julii Constantinopoli Belisario Viceconsule V. C.* Quæ verba idem sonant, æ post Consulatum Belisarii, & annum Christi 536. exhibent. Posterior dicitur *dat. Kal. Maii Constantinopoli Belisario Viceconsule.* Sed utraque subscriptio mendosa videtur, & in hac ultima, loco *Belisario V. C. Consule*, id est, *viro Clarissimo Consule*, perperam scriptum *Viceconsule*. In priori verò, loco *Consule*, scriptum per errorem, *Viceconsule*; adeoque dux istæ Novellæ anno 535. datæ. Et ratio est quia Novella ejusdem Imperatoris sexagesima sexta anno Christi 538. quò Joannes vir clarissimus Consul processit, eadem mendosâ subscriptione signatur, diciturque *dat. Kal. Mart. Constantinop. Do. Justin. PP. Aug. ann. XI. & Ioan. Vicecon.* Et tamen certum est legendum esse *Ioanne. V. C. Consule.* Quare non dubium quin in præfatas subscriptiones error pariter irrepperit; ideoque qui post exactum Magistratum nomen anno dabant, neque Consules, neque Viceconsules, ante Justinii Junioris tempora dictos fuisse.

Ultima difficultas versatur circa annorum numerum, qui post Consulatum, tam Paulini Junioris, ultimi ex privatis, qui in Occidente eam dignitatem gessit, quam Flavii Basilii Junioris, postremi omnium Orientalium, qui privatus eodem Magistratu functus fuit. Et quidem quoad Paulinum anno 534. Collega Justiniani Augusti in Consulatu fuit, annis verò sequentibus ob bellum Gothico-Italicum, quod jam imminabat, aliter in aliquot Provinciis, aliter in reliquo orbe Romano anni numerati sunt, quod in his laterculis patet.

IX.
Quæ anni
post Consu-
latum Pau-
lini nume-
rati.

In potiori parte Imperii.

Anno 535. *Belisario solo Consule*
 536. *Post Consulatum Belisarii*
 537. *II. P. C. Belisarii*
 538. *Joanne Consule*

539. *Appio.*
 540. *Justinio Juniore solo.*
 541. *Basilio Juniore solo.*

In aliquot Provinciis Occidentalibus.

535. *Post Consulatum Paulini Iun.*
 536. *II. Post C. Paulini.*
 537. *III. P. C. Paulini.*
 538. *IV. P. C. Paulini. Synodus Aurelianensis III. celebrata dicitur anno Childeberti 27. IV. P. C. Paulini Iunioris, Nonis Maii, hoc nempe anno.*
 539. *V. P. C. Paulini.*
 540. *VI. P. C. Paulini.*
 541. *Basilio Iuniore solo.*

Anni deinceps XXV. sequentes, tam in Oriente, quam in Occidente, formulâ *Post Consulatum Basilii V. C.* notati sunt, ut videre est in Fastis à nobis ordinatis, cujus rei in monumentis Gallicanis multa exempla extant. In fine Regulæ S. Aureliani Episcopi Arelatensis, quæ in Codice veterum Regularum ab Holstenio in lucem edito extat, clausula legitur, in qua Aurelianus dicitur Monasterium Monachorum Arelate fundasse *anno quinto P. C. Basilii V. C.* anno nempe Christi 546. sed legendum *anno septimo P. C. Basilii V. C.* ut ostendi in Rationario Fastorum anno Christi 548. In eadem Civitate in Ecclesia Sanctæ Crucis legitur Epitaphium Sancti Florentini præfati Monasterii à Childeberto Francorum Rege constructi, primi Abbatis, in quo is dicitur obiisse *prid. Id. April. duodecies P. C. Basilii V. C. Iunioris Indiit. I.* anno nempe Christi 553. Licet enim ab uno & amplius seculo Monarchia Gallica fundata esset; expulsis tamen Romanis, Fasti Consulares retenti fuerant. Baronius initio anni 564. scribit hunc postremum fuisse annum, qui post Consulatum Basilii numeratus fuerit in Fastis XXIII. quam in sententiam delapsus videtur quod Victor Tununensis Post Consulatum Basilii XXIII. non nisi Justiniani annos adhibeat. Sed duos sequentes annos eadem formulâ consignatos fuisse hîc ostendendum, ut Justiniani finis, & Justinii Junioris initium certò consignetur, quod Fastorum Constantinopolitanorum, de quibus capite sequenti, principium ab utroque pendat.

Annus

Annus itaque 565. notatus est tam à Consinuatore Marcellini, quam à Mario Avenrico in suo Chronico : *Post Consulatum Basilii E. C. XXXIX.* In Collectione Ecclesiasticarum Constitutionum Balsamonis libro quarto (ut videre est in Bibliotheca veteris Juris Canonici à Voello & Justella viris græcè & latinè doctissimis edita) Constitutio XVII. his verbis subscribitur : *Ἰατ. Καταστ. Α. α. Κωνσταντ. Βασιλεία Ἰουλιανῶν ἀδ' ἡμῶν κατὰ τὰς id est, datum Kalendis Aprilis Constantinop. Imperatoris Iustiniani anno XXXIX. post Consulatum intellige Basilii XXXIX.* quæ verba in versione ejusdem Constitutionis, quasi in græco legerentur, Typographi errore addita, erroreque pariter scriptum, *decimo Kalend. April.* loco *Kal. Aprilis.* Ex qua subscriptione non tantùm intelligitur, formulam post Consulatum adhuc anno isto usurpam, sed etiam Imperii annum cum Consulatus in Constitutionibus Imperialibus memoratum fuisse, quemadmodum à Justiniano anno 537. statutum fuisse diximus, & Novella 47. ejusdem Imperatoris eo anno emissa fidem facit. In Gallia tamen loco nominis Imperatoris, nomen Regis scriptum, ut videre est in Actis Synodi Aurelianensis. III. anno 538. habitæ, de qua numero nono hujusce capituli. Imo & Consulatus omissus fuit quando cum in se Imperatores Orientales transtulerunt; quod ex eo constat, quòd hætenus nullum monumentum inventum sit in Gallia, in quo numerandi modus à Justino Juniori invecus usurperetur. Ex eadem præterea subscriptione liquet, Justinianum Kalendis Aprilis anni Christi 527. Augustum appellatum fuisse, cùm tricesimus nonus Imperii ejus annus eo die in eadem inchoetur. De quo nulla dubitatio esse potest, cùm ipsemet Justinianus in laudata Novella eo die Romanorum rebus se à Deo superpositum scribat, annosque Imperii sui ab eodem die numerandos jubeat; ac Procopius in Historia arcana dicat : *σὺςσεπὲρα δὲνινατὶονὸν Ἰουστίνιανου ἀτ Θεοδώρα τερτὶο ἀντὲ σὲστὸν Πασχατὶς δὲς.* Eo enim anno in diem quartam Aprilis Pascha incidebat. Turbat tamen Theophanes, cùm ait Justinum Seniore die quarta Aprilis festo Paschatis morbo correptum fuisse, Justinianum Imperatorem instituisse, eique coronam imposuisse. Imò Cedrenus die XIV. mensis Aprilis, ipsis Paschalibus feriis id factum fuisse tradit. Sed dicendum utrumque, diem quo Justinianus nuncupatus est Augustus, cum eo, quo coronatus est, confudisse; ac præterea in Cedreno numerum X. abundare. Quod nisi præfata distinctio adhibeatur, Auctor Chronici Alexandrini, & Evagrius lib. 4. cap. 9. qui rectè scripsere Justinianum Kalendis Aprilis Augustum nuncupatum fuisse, à semetipsis dissentient; is enim

Initium Imperii Iustini-
niani stabili-
tatur.

docet Justinum Seniores, cum annum Imperii octavum transegitset, ac præterea *mensēs novem & dies tres*, Justinianum in confortium Imperii vocasse. Imperare cepit idem Justinus anno 518. die nona Julii, testibus eodem Evagrius, & Auctore Chronici Alexandrini. Ab ea die ad Kalendas Aprilis anni 527. anni octo, ac mensēs novem intercurrunt. Sed primus mensis qui nono Julii cepit, incompletus numerandus est; dieque ultima Julii, non verò octavo Augusti absolvendus. Quod cum non observasset Valesius in Notis ad Evagrium, se se ab eo ejusdem Auctoris loco expedire non potuit. Supponit itaque Evagrius die quartâ Aprilis Justinianum coronatum fuisse, nisi quis malit dicere cum Alemanno in Notis ad Historiam arcanam Procopii cap. 9. Kalendis Aprilis Justinianum Cæsarem, die verò Paschatis Augustum dictum esse. Idem profus habet Chronicon Alexandrinum quoad annos & mensēs, sed ubi Evagrius habet *dies tres*, in eo Chronico manifesto errore legitur *dies quinque*. Irrepsit etiam error in eundem Evagrium quando loco laudato scribit Justinum defunctum fuisse, *cum imperasset unâ quidem cum Justiniano mensēs quatuor; in universum verò tam solus, quàm cum Collega per annos novem ac dies tres Imperium obtinuisse*. Legendum enim *dies viginti tres*, cum ipsemet Evagrius, & Auctor Chronici Alexandrini testes sint Justinum nono die Julii anni 518. Imperatorem nuncupatum fuisse, & Kalendis Augustis anni 527. naturæ debitum solvisse. Quæ hîc explicare placuit, non solum quia Valesius, alique viri doctissimi in iis salebris hæserunt, sed etiam, quia plurimum refert Cæsaream Chronologiam erroribus liberare. Et hæc de Justiniani Natali.

XI.

*Quot annos
Justinianus
imperavit.*

Obit is eodem anno 565. die 14. Novembris, cum imperasset annos triginta octo, mensēs septem, & dies tredecim. Diem emortualem Auctor Chronici Alexandrini nos docet; eosdem annos, mensēs ac dies Theophanes, Cedrenus, & Auctor Miscellæ exhibent, sicque duo priores, qui ejus initium aliquot diebus tardius consignarunt, ex seipsis corrigendi, neque enim eos annos, mensēs & dies imperare potuit Justinianus, nisi Kalendis Aprilis anni 527. Imperium susceperit. Corrigendus & alter error ejusdem Theophanis, qui scribit eum die undecimâ Novembris vita functum esse, cum ea in re manifestè sibi contradicat. Philippus Labbeus in Chronico, Carolus le Coïnte tom.2. anno 566. & tom.3. anno 664. num. 27. alique plures Justiniani mortem in annum sequentem differunt, Marii Aventicensis, Joannis Abbatis Biclariensis, Victoris Tununensis, & Chronici Alexandrini auctoritate freti; sed certissimis in-
fra

fra argumentis ostendam mortem ejus in hunc annum incidere. Et profectò varia adhuc extant ejusdem Imperatoris numismata apud Goltzium aliosque, in quibus annus Imperii ejus tricesimus nonus, quem inchoavit, legitur; in nullo verò annus quadagesimus. Verum quidem est Joannem Epiphaniensem Scholasticum, quem Evagrius lib. 5. cap. ultimo civem suum atque cognatum nominat, scribere: *Ἰουστιανὸς Βασιλεὺς ὄντι καὶ πεντήκοντα τοῖς πᾶσι ἔτεσιν ἡμεῶν ἄρξας ἐτι-
λεύτα φ βίῳ*, id est, ut vertit Alemannus in Notis ad Historiam ar-
canam Procopii cap. 24. ubi communem opinionem de annis Imperii
Justiniani tuetur: *Justinianus Imperator novem & triginta integros
annos, cum Romanum Imperium tenuerit, vitâ functus est.* Sed jam
observavimus Historicos græcos annos Imperatorum inchoatos ali-
quando integros, aliquando transactos appellare. Quare Joannes
Epiphaniensis his verbis tantum intendit ostendere, eum Imperato-
rem tricesimo nono Imperii anno è vivis excessisse. Si enim Justi-
nus Junior Justiniani ex sorore nepos, ejusque in Imperio successor
anno 566. imperare cœpisset, anno 567. Consul non processisset,
quod tamen certis infra argumentis stabiliam, primoque Imperii
anno nondum Imperatorem fuisse ostendam.

Annus 566. duplici modo consignatus reperitur. Primò à Conti- XII.
nuatore Marcellini, & Mario Aventicensi, hoc modo: *Post Consula-
tum Basilii XXV.* Secundò in Novellis Justinii Junioris: *Imp. DN.* *Formula
post Consu-
latum Bas-
ilii usque ad
hunc annum
usurpata.*
Justinii Aug. ann. I. ex iis prima ad Julianum Præfectum urbi hanc
habet subscriptionem notatu dignam: *Data XVIII. Kal. Octob. hunc annum
Chalcedone, Imp. DN. Iustino PP. August. anno 1. Indiēt. quinta
decima*, quæ hoc anno mense Septembri inceptit, quæque evincit de-
ceptos eos esse, qui Justinianum hoc anno mense Novembri (de quo
inter omnes convenit,) Indictione decima quinta currente, in fata
concessisse. Jam enim mense Septembri hujus anni, ut ex hac sub-
scriptione liquet, Justinus imperabat, ideoque Imperium anno elap-
so susceperat, dieque decima quarta Novembris præsentis anni se-
cundum Imperii annum auspiciatus est.

Ex his constat formulam *post Consulatum Basilii*, ad hunc usque XIII.
annum usurpatam fuisse, neque ante eundem Fastos Consulares Ro- *Fasti Romani
diu in Gal-
lia usurpati.*
manos desuisse. Cœperant hi anno Urbis conditæ ducentesimo qua-
dragesimo quinto, quò Junius Brutus, & Tarquinius Collatinus
Consules pro Regibus primùm instituti sunt. Quare per annos mil-
le septuaginta quatuor ad eorum Regulam Chronologia directæ. Imò
in Gallia, ubi nullum vestigium extat, Fastos Byzantinos usu re-
ceptos fuisse, per aliquot adhuc annos videntur continuari. Extat

enim juxta Famum S. Andreae haud procul Avenione, in Capella quadam Epitaphium S. Caesariae, seu Casariae, Basilii Postconsulatu hoc modo subscriptum: *Obiit bona memoria Casaria, mediam noctem, die Dominicâ inlucescente, VI. Idus Decembris, quadragies & sextus post Consulatum Basilii Junioris V. C. Consulis, anno duodecimo regni Childeberti Regis, Indictione quinta.* Positum illud anno Christi 587. quem characteres in eo expressi exhibent. Childebertus enim Francorum Rex, ut habet Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 1. die Domini Natalis regnare coepit, anno nempe Christi 575. praeterea dies Dominica anno 587. in septimum Idus Decembris, & feria secunda in sextum Idus ejusdem mensis competeabant, quare nocte inter utramque diem interjectâ, obiit Caesaria, & qui illud Epitaphium posuit, loquendi modo Marcelliniano usus est. Erravit itaque Carolus Coingtius, qui tom. 2. Annal. Ecclesiast. Francorum hoc in annum 586. confert, & reprehendit Baronium, quod anno 587. collocarit. Annus enim 12. Childeberti, die tantum Natal. Christi ejusdem anni 586. inchoatus est, & ante aliquot dies Caesaria obierat. In eo tamen reprehendendus Baronius, quod legendum scribat, *anno nono Domini Childeberti*, quia ejusdem Regis initium tardiùs, quàm par erat, consignavit. Reprehendendi & ii, qui dicunt errorem esse in Indictione, legendumque *Indictione sexta*, à Septembri praefati anni 587. inchoanda. Hinc enim potiùs deducendum quemadmodum in Rationario Fastorum Romanorum anno 548. diximus, per hæc tempora jam fuisse, qui Indictiones à mense Januario inciperent. Et hæc de Postconsulatibus in Fastis Romanis Consularibus memoratis. Nunc de iis, qui à Justino Juniore, ad Constantinum Pogonatum in usu fuere, agendum.

CAPUT TERTIUM.

Fasti Consulares Byzantini à Justino Juniore ad Constantinum Pogonatum nunc primò de integro ordinantur, & secundum accuratam Chronologiam, tam cum Era Christiana, quàm cum Imperatorum annis connectuntur.

I.
Ordinatio
Fastorum
Byzantine.

FASTOS Consulares Romanos ex Antiquorum Scriptorum monumentis, quorum non pauca supersunt, multi aggressi sunt olim digerere; sed qui Byzantinos, & Orientales ex Actis publicis, paucisque

eisque Auditoribus, quibus temporum injuria pepercit, de integro ordinavit, annosque Consulatus, Imperii, & Erae Christianae inter se exactè copularit, neminem reperi. Onuphrius enim, qui Consules Romanos incredibili diligentia descripsit, cum ad perpetuos pervenit, quasi longà fessus viâ languescit, & ab instituto suo videtur decedere; cum modò in annis Consulatus cum annis Imperii conjungendis, modò in utrisque cum Era Christiana copulandis peccet: & tamen si in alterutro erraveris, in consequentes ejusdem Imperatoris, & postconsulatus annos errorem propagari; imò & in annos successorum, eorumque Postconsulatum redundare necesse est. Præterea idem Onuphrius, neque post eum ultus alius, non advertens à Constantino Pogonato, qui anno sexcentesimo sexagesimo octavo imperare cœpit, aliam numerandi rationem, quàm quæ hætenus in usu fuerat, invecam fuisse, Fastos Byzantinos per duo amplius secula, eodem quo antea modo ordinat, sicque temporibus aliunde obscuris novâs tenebras affandit. Insupet priores tantum Imperatorum annos cum Consulatibus conjungit, & quasi nulla superesset aliâ difficultas, de sequentibus annis parùm curat. Quare quicumque post Fastos ab eo ordinatos, Chronica, vel Annales scripsere, cum ad annum Christi 565. formulâ *post Consulatum Basilii XXV.* notatum pervenere, à Consulibus memorandis desistunt; vel quia ab iis recensendis supercedere malunt, quàm duces habere fallaces; vel quia, quæ ex eorundem omissione rei Chronologicæ inferuntur detrimenta, non satis perspectum habent. Carolus quidem Dufresnius vit eruditissimus in Dissertatione de Numismatis inferioris ævi num. XV. hanc materiam tangit, sicuti & in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, verbo *Consul*, sed ad singularia non descendit, neque magis quàm Onuphrius mutationem Constantini Pogonati tempore factam observans, eorundem quidem Fastorum non paucam materiam, sed verâ formâ destitutam nobis exhibet. Quapropter cum Fasti Byzantini jamdiu ordinatorem expectent, eò lubentius hoc opus suscepimus, quò viros eruditione præstantes in Actis eadem formâ consignatis explicandis sæpè errasse deprehendimus. Singularem itaque in id generis Fastis per certum & duos annos, quibus ea anomala Imperii & Consulatus annos numerandi ratio perduravit, digerendis, adhibuimus diligentiam; omnesque nos difficultates tandem superasse confidimus.

Abrogatus videbatur Consulatus, cum Justinus Junior anno 565. Imperator salutaris est. Jam enim ab annis viginti quinque nullus Consul designatus fuerat, hæcque intermissio non parùm populis

rum hætenus neglecta.

II.
Justinus nos Fastos invenit.

molesta accidebat ob donativa præsertim ac inunera à Consulibus eam dignitatem inuentibus spargi solita. Voluit itaque Justinus eam restituere, sed diversâ prorsus ratione ab ea quæ hucusque in usu fuerat. Consulatum enim à privatis ad Imperatores transtulit, perpetuum reddidit, eum sine Collega geri statuit, & ab illo non minùs quàm ab Imperio, annos in Actis publicis dinumerari constituit, quod & à successoribus postea ad Constantinum Pogonatum usque observatum, cum hoc tantùm discrimine, quod ipse, Mauricius, & Constans secundo tantùm Imperii anno Consulatum inierint; Tiberius verò & Heraclius anno Imperii primo. Ab eo igitur tempore cujuslibet Augusti dux Epochæ fuerunt, altera ab Imperio quam nuper Justinianus invexerat, altera à Consulatu deducta; quarum hæc illâ semper posterior erat. In hac porrò ordinatione nullum nobis numismata suppeditare auxilium possunt, cum in iis Imperii quidem, sed Consulatus anni cum illis conjuncti numquam legantur. Et tamen in utrorumque inter se copulatione, ac cum Era Christianâ conjunctione tota difficultas sita est. Unde Augustorum veteris Romæ numismata longè præstantiora & utiliora, quippe quæ non tantùm Consulatus numerum, sed etiam Imperii annum Tribunitiâ potestate contentum ut plurimum repræsentarent. Sed unde factum, dicit aliquis, ut Imperatores Orientales à Consulatu, etiam tantùm secundo Imperii anno suscepto, annos dinumerarint.

III.
Origo Epochæ à Consulatu deductæ.

Hunc morem inde profluxisse existimat Sirmondus in Notis ad Sidonium libro primo, Epistola nona, quod aliàs novi Imperatores proximis post Imperii auspiciis Kalendis Januariis, Consulatum edere consuevissent, annusque Imperii Consulatus annum antecedere so-leret. Sed hujus rei origo altiùs, ni fallor repetenda. Inter multiplicem rationem numerandi Imperii Octaviani Augusti annos dux erant à Consulatu deductæ. Alii enim à primo ejus Consulatu eos numerabant, quia is gradus, & aditus ad reliquos honores Augusto fuit. Eam rationem secutus est Auctor libri de claris Oratoribus, qui annos quinquaginta sex Augusti Imperio tribuit. Unde & Curiosorum ejus Imperii initium à primo Consulatu petentium observatio nata: *quod idem dies accepti Imperii princeps & vita supremus fuerit*, quemadmodum legitur apud Tacitum libro primo Annal. cap. 9. alii à septimo ejus Consulatu, cum Imperium illi à Senatu firmatum, datumque cognomen Augusti, quasi is legitimi principatus primus dies fuisset; nam, ut inquit Orosius, *ex ea die summa rerum ac possessionum penes unum esse cepit, & mansit, quod Græci Monarchiam vocant*. Justinus igitur Augusti exemplo, restituto Consulatu ab eo Imperii sui annos

annos numerari voluit, quod indicat Corippus Poëta Christianus in opere quod in ejus laudem composuit; in libro enim quarto de ejus Consulatu loquens, ait:

reparator optimi

Nominis. Antiqui redeunt nova secula Fasti.

Augusti primus renovasti Caesaris avum,

Clarior est, meliusque tuum: tua gaudia tecum:

Hinc vester primus feliciter excipit annus.

Tribus autem modis Consulatus, & anni post Consulatum exprimi solebant, ut videre est in his laterculis.

MODUS LOQUENDI Marcellinianus.	MODUS LOQUENDI Victorianus.	MODUS LO- quendi à Mario Aventicensi usur- patus.
Anni Christi		
567. Anno secundo. Iustino Iunioris Aug. primum solo Consule.	567. Anno secundo. Iustino Iunioris Aug. primum solo Consule.	576. Anno secundo. Iustino Iunioris Aug. primum solo Consule.
568. Anno III. post Consulatum Iustini Iunioris Aug. solius.	568. Anno III. post Consulatum Iustini Iunioris Aug. solius II.	568. Anno III. Consulatus Iustini Iunioris Aug.
569. Anno IV. P. C. Iustini Iunioris Aug. solius II.	569. Anno IV. P. C. Iustini Iunioris Aug. III.	569. Anno IV. Consulatus Iustini Iunioris Aug.

Et sic deinceps. Qui loquendi modi cap. præcedenti à nobis explicati sunt, valdeque observandi, summis enim viris non tardè errorem attulere. Diximus etiam ibidem post inventos Fastos Byzantinos Postconsulatum aliquando Consulatus nomine enuntiatum fuisse, quod vel solus loquendi modus à Mario Aventicensi in suo Chronico usurpatus, & in tertio laterculo propositus ostendit, cujusque rei varia exempla infra occurrent. His positis Fastos Byzantinos ordinare aggredior; quos eo nomine appellare placet, ut eos à Romanis magis distinguam.

Annus itaque 567. sic notatus est: *anno secundo. Iustino Iunioris Imperium Augusto primum solo Consule.* Ita rectè Onuphrius lib. 3. Fast. qui citat Fastos Maffiorum, qui utinam in lucem aliquando prodeant. Idem docet Chronicon Alexandrinum, Marius Aventicensis, Theophanes,

IV.
Imperium Iustini solius.

Theophanes, & Anastasius Bibliothecarius in sua Historia. Errant porro Auctor Chronici Alexandrini & idem Marius, qui Iustini Consulatum cum primo Imperii ejus anno copulant, quique perperam scribunt, Justinianum anno 566. vitâ functum, quæ hujus erroris causa. Errant & Baronius in Annal. Ecclesiast. & Calvinus in Chronico qui licet Iustini Imperium ab anno 565. rectè inchoarint, ejus tamen Consulatum in annum 566. malè conferunt. Porro ex poemate Corippi lib. 4. constat Kalendis Januariis eundem Imperatorem Consulem processisse, de quo Theophanes laudatus inquit: *Consulum more manus dedit Iustinus, multasque pecunias, quibus etiamnum plures ditati, sparsit in populum.*

Ann. 568. III. (intellige semper anno) post Consulatum Iustini Junioris Aug. solius, modo nempe loquendi Marcelliniano, quo in his Fastis digerendis utar. Baronius in Annalibus hujus anni initio dicit eum Consulatum Iustini Imperatoris secundò alicubi notatum reperiri; sed sine dubio falsus est, semel enim tantum Iustinus Consul processit. Modus loquendi in hac materia ab eo non intellectus hanc ei aberrationem creavit. Novella siquidem ejusdem Iustini ad Spem in Deum Archiepiscopum Provinciæ Byzacenzæ, quæ apud Julianum Antecessorem legitur, quæque à Spondano in Epitome hoc anno in eundem sensum laudatur, hoc nullo modo significat. Hæc ejus subscriptio: *Dat. Kal. Maiæ Constantinop. Imperii Domini Iustini PP. Aug. anno III. Conf. ejusdem II.* Est igitur hic annus Consulatus ejus secundus, non verò secundus ejus Consulatus. Iustinus enim, ut cap. superiori diximus, loquendi modum Victoris Tunnenfis & Marii Aventicensis usurpat. Porro ex ea subscriptione liquet Iustinum anno 565. imperare cœpisse, alioquin hic annus non diceretur tertius ejus Imperii in ea Novella.

Ann. 569. IV. post Consulatum Iustini Jun. Aug. solius II.

Ann. 570. V. P. C. Iustini Jun. Aug. solius III. Novella ejusdem Iustini de filiis liberarum, quæ apud Julianum Antecessorem legitur, hoc modo signatur: *Dat. Kal. Mart. Constantinop. Imp. DN. PP. Aug. Iustini ann. V. Indict. III. Questor legi, qui ut moris erat subscripsit: Dat. Kal. Mart. Constantinop. Imp. DN. Iustine PP. Aug. ann. V. post Conf. ejusdem DN. ann. II.* Hæc posterior subscriptio mendosa est, eamque optimè emendavit Balusius in Notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1255. legendumque docuit, post Conf. IV. quod probat ex Mario Aventicensi, qui ad hunc annum habet: *anno IV. Conf. Iustini Junioris Augusti;* uterque enim modo loquendi Victoriano utitur, ut jam à nobis observatum. Indictio tertia cum

mensis

mensē Martio, ac Imperii Iustini anno quinto connexa evincit eum regnare cœpisse anno 565. non verò sequenti, aliàs eadem Indictio tertia cum mensē Martio conjuncta non nisi cum Imperii ejus anno quarto concurreret.

Ann. 571. VI. P. C. Iustini Iunioris Aug. solius IV.

Ann. 572. VII. P. C. Iustini Iunioris Aug. solius V. Extat apud Scrimgerum Iustini Novella hac subscriptione notata: dat. XV. K. Jun. Const. Imp. DN. Iust. PP. Aug. anno VII. post Cons. ejusdem anno III. Sed mendum est in Postconsulatu, legendumque, ut ex dictis liquet, post Cons. VI.

Ann. 573. VIII. P. C. Iustini Iunioris Aug. solius VI. Idem Scrimgerus Novellam Iustini, quæ ordine quarta est, exhibet hac subscriptione notatam: dat. XV. K. Febr. Const. Imp. DN. Iust. PP. Aug. ann. VIII. post Cons. ejusdem ann. III. Sed ea ut superior emendari debet, reponendumque post Cons. ann. VII.

Ann. 574. IX. P. C. Iustini Iunioris Aug. solius VII. Apud Auctorem Chronici Alexandrini hæc verba leguntur: hoc octavo Imperii sui anno, Septembris mense, die septimo, octava Indictione (à Septembri cœpta) morbo correptus Iustinus Augustus Tiberium Casarem creavit, nominavitque illum Constantinum, & vixit cum illo annos quatuor. Sed non tantum in anno, verum & in die, ac mensē errat. Theophylactus Simocatta lib. 3. cap. 11. dicit id factum mensē Decembris, sexta die hebdomadis, Indictione nona. Errat is in Indictione, quæ tantum octava erat, ut rectè in Chronico Alexandrino. Tam mensē, quam annum quibus Tiberius Cæsar renuntiatus est, utrumque hætenus controversum, certis argumentis infra demonstrabo. Sufficiat hîc significare id hoc anno factum, qui nonus erat Iustini, non octavus, ut perperam Auctor Chronici Alexandrini eum vocat.

Ann. 575. X. P. C. Iustini Iunioris Aug. solius VIII.

Ann. 576. XI. P. C. Iustini Iunioris Aug. solius IX.

Ann. 577. XII. P. P. Iustini Iunioris Aug. solius X. Vistur Romæ Epitaphium cujusdam Boëtii, quod Paulus Avinghus tomo primo Romæ subterraneæ lib. 2. cap. 10. integrum retulit, in quo tempus depositionis ejusdem Boëtii hoc notatur: † DEP. EST BOETIUS CL. P. OCT. KAL. NOBR. INDICT. XI. IMP. DŌM. N. JUSTINO. PP. AUG. ANN. XII. ET TIBERIO CONST. CAER. ANN. III. Quo ex Epitaphio plura summi momenti deduco. Primum Iustinum purpuram sumpsisse anno 565. aliter annus ejus duodecimus non concurreret cum Indictione undecima, neque cum anno Christi 577. à Septembri eâ notato, sed cum indictione duodecima, annoque 578.

dies enim emortualis Justiniani, nempe decimus quartus Novembris à nemine in dubium revocatur. Imò ipse Theophanes, qui dicit eum mortuum die undecima Novembris, paulò post in viam redit, & scribit obiisse decima quarta ejusdem mensis. Secundùm Tiberium anno 574. creatum fuisse Cæsarem, alioquin tertius Imperii ejus Cæsaris annus cum duodecimo Justiniani non concurreret. Quare Spondanus, Calvisius, aliique qui hanc nuncupationem in annum 575. referunt, toto cœlo errant. Tertium Tiberii nuncupationem factam esse mense Decembri, ut rectè scribit Theophylactus nuper laudatus, non verò mense Septembri, ut perperam Auctor Chronici Alexandrini, aliàs anno XII. Justiniani die 25. Octobris, seu octavo Kalendas Novembris in Epitaphio memorato, annoque Christi 577. egisset jam annum quartum Imperii à die septima Septembris inchoati. Quocirca locus Chronici Alexandrini, qui viros doctos excruciauit, corruptus est.

VI.
Tiberius so-
lus imperat.

Anno 578. XIII. P. C. Justiniani Junioris Augusti solius XI. Auctor Chronici Alex. hæc habet: *Hoc anno XII. Justiniani Imperatoris mense Septembri XXVI. XII. Indictione coronatus est ab ipso Tiberius Junior Constantinus, & quinto die mensis Octobris Justinus Augustus vitâ excessit, & Tiberius Constantinus solus imperavit alios annos quatuor.* Rectè omnia præterquam quod annos tantùm duodecim Justiniano tribuit, qui regnavit annos XIII. ut Cedrenus & Zonaras auctores sunt, & ex dictis necessariò sequitur. Onuphrius, qui ejus initium rectè collocarat, mortem ejus anno 576. perperam consignat, anno scilicet post Consulatum Justiniani nono, licet in præfatione Fastorum suorum dicat Fastos Mafferiorum pervenire ad XII. usque Justiniani Junioris Augusti post Consulatus annum, modo scilicet loquendi Victoriano, quem ex iis verbis præfatum Anonymum usurpare constat. Unde factum, ut Tiberii & Mauricii, Justiniani successorum annos tam Imperii, quàm Consulatus rectè ordinare non potuerit.

Anno 579. Tiberio Juniore Constantino Augusto primum Consule. Ita rectè Auctor Chronici Alexandrini, cui Theophanes cõsentit, qui hoc anno scribit: *ἔβρισην τὰς τριακὰς αὐτῶν*, id est, *amplum Consulatus munus in populum sparsit.* Onuphrius Consulatum hunc in annum Christi 580. confert, in sua opinione, Tiberii quartum. Quem etiam in errorem incidit Marius Aventicensis, sed alio fundamento innixus. Cùm enim Justiniani initium anno uno tardiùs consignarit, mortem ejus, Tiberiique exordium in hunc annum differre cogitur, ut eidem Justiniano annos tredecim attribuat, quo errore posito Tiberij Consulatus rectè ab eo, anno sequenti his verbis consignatus: *ann. 1. Conf. Tiberii*

feu de Consulibus Cæsareis.

335

Tiberii Constantinii Aug. Indict. XII. & sic deinceps, sed Onuphrii error prorsus intolerandus.

Anno 580. *II. post Consulatum Tiberii Aug. Junioris Constant.* Hujus etiam Imperatoris anni sæpè à Cæsarea ejus dignitate enumerati. Extat apud Goltzium numisma, in quo hæc verba leguntur: DN. TIBERIUS PERP. P. F. AUG. ANN. VI. Cusum illud anno præcedenti, quo Sextum Imperii Cæsarei annum inchoavit, vel saltem currenti, quò absolvit. Baronius anno 584. num. ultimo refert Epistolam Pelagii II. Romani Pontificis ad Aunacharium Episcopum Altisiodorensè, non, ut perperam ille interpretatur, Auxanium Arelatensè datam, quâ hortatur, ut suadeat Francorum Regibus opem ferre Romanæ Ecclesiæ Longobardorum incursionibus laboranti, cujus Epistolæ tam in editione Vaticana, quam in aliis hæc subscriptio est: *datum III. non. Octob. Imperante Domino Tiberio, Constantinopoli Aug. anno VI. Cos. ejusdem ann. Regum.* Sed loco *Regum*, legendum *secundo*, modo nempe loquendi Victoriano. Refertur eadem Epistola tomo quinto Conciliorum editionis Labbeanæ cum hac subscriptione: *dat. III. non. Octob. Imperante Domino Constantinopoli Augusto, ann. VII.* Omisso Consulatu, qua ratione anni numerarentur Cæsareæ ejus potestatis, eaque Epistola vel hoc anno, vel sequenti data esset.

Anno 581. *III. post Consulatum Tiberii novi Constantini Augusti solium II.* Refert Labbeus in Appendice ad dissertationè de Scriptoribus Ecclesiasticis tomo primo clausulam subjectam collectanço ex libris S. August. ab Eugipio composito, jussu Reducis Episcopi Neapolitani additam: *Sub die Iduum Decemb. Imperatore DN. Tiberio Constantinopoli Augusti anno VII. post C. ejusdè Augusti ann. III. Indictiane quinta decima. obsidentibus Longobardis Neapolitanã civitatem.* Quæ verba in duobus manuscriptis codicibus leguntur. Joannes Mabillonus V. C. tomo secundo *Analect.* pag. 17. eandem clausulam refert, atque hos characteres in annum 582. convenire, sed procul dubio hallucinatur: Indictio enim XV. à Septembri cœpta præsentem annum designat, & qui clausulam apposuit, usus est loquendi modo Victoriano, qui virum eruditissimum in errorem induxit. Ex ea manifestè deduco Tiberium anno 574. renunciatum fuisse Cæsarem, sed non septimâ die Septembris, quæ cum feria sexta eo anno concurrebat, neque die septimâ Decembris, quæ in eandem feriam incidebat, licet id sibi recentiores Chronologi persuaserint, eò quod Theophylactus die non expressâ, mense Decembri, feriâ sextâ Tiberium Cæsarem creatum scripserit, Chronicon verò Alexandrinum die septimâ Sep-

VII.
*Chronologia
Tiberiana
magis expli-
catur.*

tembris id factum fuisse tradiderit, ab hoc nempe diem, à Theophylacto mensē & feriam mutuantes. Sed jam ostendi ejusdem Chronici Alexandrini Auctorem in mense errasse, nunc in die falsum esse ostendo. Si enim septima die Decembris Cæsaream dignitatem Tiberius obtinisset; Indi&ione XV. Idibus Decembris non septimus, sed o&tavus ejus numeraretur annus. Quare cum feriâ sextâ, mense Decembri Cæsar creatus fuerit, ut testis est Theophylactus, idque post Idus, seu diem XIII. ejusdem mensis, ut ex præfata clausula elicio, constat nuncupationem ejus contigisse, vel XIX. vel XXVII. die ejusdem mensis Decembris, cum quibus tantum post Idus Decembris feria sexta concurrit. Unde præfata clausula evincitur primùm Consulatum Tiberii rectè à nobis cum anno Christi 597. copulatum fuisse. Secundùm eum anno 574. non verò sequenti, ut perperam multi existimarunt, Cæsarea dignitate decoratum fuisse. Tertium Chronicon Alexandrinum optimè à nobis fuisse emendatum. Quartum Theophylactum mensē quo Tiberius dictus est Cæsar, rectè observasse, ac denique obsidionem Neopolitanam à Longobardis, hoc anno, non verò sequenti, ut idem Mabillonus credit, factam.

V. III.
Tiberio suc-
cedit Mau-
ricius.

Anno 582. *IV. post Consulatum Tiberii Novi Constantini Aug. III. solius.* In Chronico Alexandrino hæc verba leguntur: *Hoc quarto Imperii ejusdem anno ager Tiberius Cæsar, quinto Augusti, XV. Indi&ionis præsentis, creatus est Cæsar Mauricius Tiberius, & XIII. Augusti coronatus Augustus; data illi in uxorem à Tiberio Novo Constantino filia Constantina. XIV. Augusti moritur Tiberius Novus Constantinus in Processu Hebdomi.* Eo etiam die demortuum testes sunt Theophanes & Cedrenus, qui cum tamen scribunt eum imperasse annos tres, menses decem, & dies octo, quod & Zonaras, & Auctor Miscellæ docent, dissentiunt ab Auctore Chronici Alexandrini in initio Imperii ejusdem Tiberii. Si enim anno 578. quinta die Octobris Imperium suscepit, dies decem supra annos ac menses eum imperasse dicendum. Quare fallitur Onuphrius, qui Tiberii mortem in annum sequentem conjicit. Subscriptio sacræ Pragmaticæ Tiberii, quâ Justini Junioris decessoris constitutiones confirmavit, his verbis concepta est: *data tertio Idus Augusti, Constantinopoli: Imperatoris Domini nostri Tiberii Constantini Augusti anno VIII. & post Consulatum ejus anno tertio, & nobilissimi Flavii Tiberii Mauricii Felicissimi Cæsaris anno primo.* Conveniunt hi characteres in hunc annum, ut manifestum est, ideoque Tiberii Consulatus rectè à nobis consignatus anno 579. Et Imperium ejus Cæsareum mense Decembri

bri anni 574. inchoatum, si enim anno sequenti eò donatus fuisset, annus currens non octavus, sed septimus tantum ejusdem Imperii esset. Post Tiberium Mauricius imperavit.

Ann. 583. *Ind. Prima. Primus annus caruit Consulibus, atque ex communi hominum sensu scriptum est, Post Consulatum divina memoria Tiberii Constantini anno quarto.* Ita Chronicon Alex. Theophanes verò hoc anno hæc de Mauricio habet: *Hoc anno mensis Decembris die vigesimo, Indiçione secunda (à Septembri cœpta.) Imperator Consul designatus magnorum Theaurorum munera Urbi largitus est.*

Ann. 584. *II. Mauricio Tiberio Aug. primum solo Consule.* Ita Auctor Chronici Alex. cui Theophanes, Cedrenus, Miscella, & Theophylactus libro primo capite duodecimo suffragantur. Is ejusdem Consulatus pompam describit: *Agebatur annus Mauricii secundus cum hyeme Consul creatus conscenso curru Imperatorio, summè conspicuus erat; quem non equi, non muli, sed homines (res & nomen honoratissimum) trahebant &c.* Porro mendum irrepsit in textum Chronici Alexandrini, quod Jacobum Goar in Notis ad Theophanem pag. 601. irretitum tenuit: legitur eo in Chronico: *INA. C. C. μζ ιω'.* *Maveiv Tiberiu avyev τὸ πρῶτον μόνυ.* id est, *Indiçt. 2. anno 2. post Consulatum Mauricii Tiberii Augusti primum solius.* Sed rejicienda vox *μζ*, & vertendum: *Consule Mauricio Tiberio Augusto primum solo.* Idem tamen Goar Raderum reprehendit, quòd verterit, *Mauricii Secundo*, nempe anno, ipseque sic explicandum docet: *anno secundo. Videlicet, inquit, post Consulatum Tiberii, annum quartum.* Sed perperam. Cum enim anno elapso in Actis publicis consignatum fuerit, *post Consulatum Tiberii anno quarto*, uti tunc ostendimus, si præfata verba ad eundem Tiberium referrentur, non anno quarto, sed anno quinto *post Consulatum Tiberii* scribendum fuisset. At ea verba nullo modo ad Tiberium referri ostendit eadem formula annis sequentibus ab eodem Auctore Chronici Alex. usurpata: annum enim sequentem his verbis consignat: *INA. δ', δ' μζ ιω' Maveiv Tiberiu avyev τὸ δεύτερον μόνυ*, id est, *Indiçt. III. Mauricii III. post Consulatum Mauricii Tiberii Aug. solius.* Ubi vides vocem *ιω'* referri ad Mauricium non verò ad Tiberium. Idem error irrepsit in idem Chronicon, ubi proponit Consulatum Tiberii, scribit enim: *INA. ιβ'. δ' μζ ιω' Tiberiu Κωνσταντινυ avyev τὸ πρῶτον.* Id est, *Indiçt. 12. primo (nempe anno) post Cons. Tiberii Constantini Augusti primum.* ubi Raderus, hujus particulæ *μζ*, uti additiæ nullâ ratione habitâ, rectè vertit, *Indiçt. 12. Tib. 1. Tiberio Iun. Const. Aug. primum Consule.* Quem & in errorem ejusdem Chronici auctor incidit,

IX.
Explicatur
Consulatus
Mauricii.

dum Consulatus Justinii Junioris mentionem facit.

Anno 585. III. post Consulatum Mauricii Tiberii Aug. solius.

Anno 586. IV. post Conf. Mauricii Tiberii Aug. II. solius.

Anno 587. V. post C. Mauricii Tiberii Aug. III. solius.

Anno 588. VI. P. C. Mauricii Tiberii solius IV.

Anno 589. VII. P. C. Mauricii Tib. Aug. V.

Anno 590. VIII. P. C. Mauricii Tib. Aug. VI. Hoc anno mensis Martii die sexto supra vigesimum Indictione octava Theodosius Mauricii Imperatoris supremi filius, die Paschatis sancto, a Ioanne Patriarcha, quatuor solis annis cum medio natus coronam Imperii accepit. Ita Theophanes, cui Cedrenus, Zonaras, Au&tor Miscellæ & Chronici Alexandrini consentiunt. Addit hic ultimus eum tantum coronatum fuisse, sed non in societatem administrationis vocatum. Falluntur itaque Onuphrius & Calvisius, qui hanc inaugurationem in annum sequentem rejiciunt.

X.
Continuatio
Imperii
Mauricii.

Anno 591. IX. P. C. Mauricii Tiberii Aug. VII. Mauricii Postconsulatum seriem confirmat S. Gregorius Papa, qui initio libri secundi Epistolæ Indictione decima, mense Septembri, de quodam Laurentio Diacono loquens, ait; *Consulatus Mauricii Augusti anno septimo depositus est Laurentius*, ubi vides Gregorium modo loquendi Marcelliniano uti, & inter Consulatum & Postconsulatum discrimen non statuere.

Anno 592. X. P. C. Mauricii Tiberii VIII.

Anno 593. XI. P. C. Mauricii Tiberii Augusti IX.

Anno 594. XII. P. C. Mauricii Tiberii Augusti X.

Anno 595. XIII. P. C. Mauricii Tiberii Augusti XI.

Anno 596. XIV. P. C. Mauricii Tiberii Augusti XII. Gotselinus Bertinianus Monachus, qui vertente seculo undecimo vitam S. Augustini Cantuariensis Episcopi, primique Anglorum Apostoli accuratè descripsit, capite septimo refert Epistolam S. Gregorii Papæ ad ad Augustinum & socios missam, quæ his verbis subscribitur: *data die X. Kal. Augustarum, imperante Domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto, anno XIV. post Consulatum ejusdem anno XIII. Indictione XIV.* Et capite octavo aliam Epistolam habet, quam idem Pontifex dedit ad Virgilium (erat is Episcopus Arelatenus perperam à Gotselino Ætherius vocatus, qui error ex Beda libro 1. cap. 24. propagatus est,) quâ ei etiam S. Augustinum, sociosque commendat, quæ eadem pariter subscriptione notata est. Mabillonus tomo primo Sanctorum Ordinis S. Benedicti in Notis ad vitam ejusdem S. Augustini dicit in his Epistolis Mauricii Consulatum anno uno tardius numerari,

merati, sed perperam; contra enim ex his evincitur Mauricii Consulatum rectè à nobis consignatum fuisse, cum Gregorius, qui in iis modo loquendi Victoriano utitur, hunc annum post Consulatum Mauricii decimum tertium vocet, qui modo loquendi Marcelliniano, quo utor, duodecimus tantum est.

Anno 597. XV. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XIII.

Anno 598. XVI. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XIV.

Anno 599. XVII. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XV.

Anno 600. XVIII. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XVI. Hoc anno S. Gregorius Papa lib. 9. Indiçt. 4. Epist. 22. Probo Abbati testandi facultatem concedit de his bonis quæ ante susceptum habitum monasticum habuisset. Initio Epistolæ hæc verba leguntur: *Imperantibus Domno Mauricio & Tiberio* (legendum Theodolio, ut emendat Onuphrius, Tiberius enim alter Mauricii filius Augustus non fuit, vel legendum, imperante Domno Mauricio Tiberio Augusto) *Augustis, anno Incarnationis Dominica sexcentesimo primo, eodemque Domno undecies Consule, sub die tertio nonarum Octobrium.* Qua in Epistola, quæ data est mense Novembris, Indiçtione quarta, eadem Indiçtio quarta cum die III. Kalend. Octob. conjungitur, cœptaque à Septembri currentis anni evincit eam eodem anno, non verò sequenti scriptam esse, ideoque Onuphrium & Baronium in Annalibus Hallucinosos esse qui eandem in annum 601. conjiciunt. Divus enim Gregorius sequutus est Dionysium Exiguum, qui Incarnationem anno Juliano 45. consignavit, eumque primum Eræ Christianæ vocavit. Unde eadem Era pro ut ab ipso auctore instituta est, annum unum plus colligit, quam quæ postea prævaluit, quæve etiam hodie in Occidente utimur, sed de ea aliàs. Error porro est in his verbis *undecies Consule*, legendum enim *sedecies Consule*, quem errorem cum non advertisset Onuphrius in Fastis, in alium incidit, scripsitque Mauricium anno 592. secundum Consulatum gessisse, eumque ad duodecimum continuasse, quam etiam in rem Fastos Græcos, seu Chronicon Alexandrinum, ac Mafferiorum Fastos laudat, & currentem annum decimo Mauricii Consulatu notat. Sed Chronicon Alexandrinum non aliter annos Imperii, & Consulatus Mauricii, quàm nos numerat, & Fasti Mafferiorum si in lucem ederentur, ei sine dubio contrarii essent. Hic itaque solus Gregorii locus hujus erroris fundamentum fuit. In eo Gregorius modum loquendi Marcellinianum usurpat, ac præterea Consulatum, cum Postconsulatu confundit.

Anno 601. XIX. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XVII. Divus Gregorius lib. 9. Indiçtione IV. Epistolam sexagesimam Adalberto Anglorum

XI.
Reliquum
Mauricii
Imperium.

glorum Regi scriptam his verbis consignat : *dat. die X. Kal. Iuliarum, imperante Domino Nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto, anno XIX. post Consulatum ejusdem Domini nostri anno XVIII. Indict. IV.* Epistola sexagesima tertia ejusdem libri, qua Virgilio Episcopo Arelatensi Augustinum Episcopum, primum nempe Anglosum Apostolum commendat, eadem die, & cum eadem subscriptione data est, sicuti & Epistola septuagesima prima ejusdem libri noni Mellito Abbati in Franciis in causa ejusdem Augustini scripta, nisi quod decimo quinto Kal. Juliarum data est. Ex quibus subscriptionibus manifestè liquet primò Gregorium modum loquendi Victorianum sæpè usurpare. Secundò Onuphrium perperam duodecim Consulatus Mauricio attribuisse, locumque Gregorii ex libro nono Epistola 22. desumptum, optinè à nobis fuisse emendatum. Si enim in ea Epistola anno superiori scripta Mauricius undecies Consulem Gregorius nominasset, eum hoc anno duodecies Consulem vocaret, neque uteretur hæc formulâ anno XIX. post ejus Consulatum.

XII.
Phocas
Mauritio in
Imperio suc-
cedit.

Anno 602. *XX. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XVIII.* Hoc anno mense Februario per septem dies solemnia nuptiarum Theodosii filis Mauricii peracta sunt. Mense vero Novembri Phocas cum exercitu contra Mauricius seditionem movit, & Mauricius cum uxore Constantina, & novem liberis, sex maribus, & tribus virginibus, *XXII. mensis Dii, qui Romanis est November, noctu, illucescente jam XXIII. die, qui fuit feria sexta, fugit. Phocas autem XXIII. ejusdem mensis feria sexta à Cyriaco Patriarcha Cp. in ade veneranda S. Ioannis, qua est in Hebdomo, inauguratus, XXV. die dicti mensis, die Dominico, Constantinopolim ingressus est.* Ita Chronic. Alex. Hi characteres in hunc annum competunt. Comprehensus idem Mauricius cum uxore, & octo liberis, *XXVII. die ejusdem Mensis feria tertia occiditur ad Chalcedonem cum Tiberio, Petro, Justino, & Justiniano ejus filiis, ut idem Chronicon Alexandrinum habet.* Imperavit itaque annos viginti, menses tres, dies aliquot, ac eundem Phocam successorem habuit. *A XXV. ejusdem mensis (nempe Novembris) in reliquam anni partem usque ad Ianuarium nempe presentis Indictionis VI. (Quæ Kal. Januariis anni 603. inchoatur) perscriptum est in publicis Imperii Actis. Phoca anno primo.* Ita auctor Chronici Alexandrini.

Anno 603. Chronicon Alexandrinum hoc anno ait : *IND. 5', & 5'. Φωκᾶ ἀρχὴν ἔλαβεν*, id est, *Indict. VI. Phoca primus, Phoca Aug. solo Consule.* Sed locum istum corruptum esse ex sex ultimis Phocæ annis ab auctore ejusdem Chronici rectè dispositis, manifestè patet. Præterquamquod Phocæ Consulatus non in hunc, sed in sequentem annum

annum cadit. Dicendum itaque hoc anno præfatam formulam uſque ad Indiſtionem ſeptimam, annum nempe ſequentem continuatam, ſcriptumque in actis publicis fuiſſe: *Phoca anno primo*. Sic enim primus Juſtini Junioris, qui non niſi altero Imperii anno Conſul proceſſit, annus notatus fuit. *Hoc anno menſis Decembris die ſeptimo, Indiſtione ſeptima* (à Septembri inchoata) *ad ſolitas feſtorum ſolemnitates ſparſis in populum pro Conſulum more nummis, proceſſit Phocas, inquit Theophanes, cui Cedrenus conſentit. Quare Phocæ Conſulatus non hoc anno geſtus, ut mox magis liquebit.*

Anno 604. *Secundo Phoca. Phoca Aug. ſolo Conſule.* Verum quidem eſt in Chronico Alexandrino hoc anno legi: *Phoca II. poſt Conſulatum Phoca Auguſti*, ſed legendum: *ſecundo* (nempe anno) *Conſule Phoca Aug.* ζ, β' ω' φωνά αὐγύστου, non verò ζ, ε' ω' φωνά αὐγύστου, hanc enim particulam ω' sæpè in illud Chronic. perperam irrepiſſe jam ſupra monuimus. Et quidem Phocæ Conſulatum in hunc annum cadere Onuphrius etiam vidit, confirmaturque ex Divo Gregorio Papâ, in Epiſtola ad Felicem Subdiaconum, quam Margarinus V. C. Ordinis S. Benediſti, mihi que amiceſſimus initio tomi ſecundi Bullarii Caſinenſis refert, cujus hæc eſt ſubſcriptio: *dat. VIII. Kal. Februariæ DN. D. Phoca Aug. anno ſecundo, & Conſulatus ejus anno primo, Indiſt. VII.* Quæ Kalendis Januarii hujus anni incipit. Ex quibus patet Petavium erraſſe, dum in Notis ab Breviarium Hiſtoricum S. Nicephori Patriarchæ CP. pag. 73. Editionis Lupareæ, ſcribit Phocam anno 603. Indiſtione ſexta Conſulatum iniſſe, & hoc anno cœpiſſe numerari, *poſt Phocæ Conſulatum anno primo*, ſicuti & Dufreſnium qui in Diſſertat. de numiſmat. inferioris ævi num 15. numerat hunc annum *poſt Conſulatum Phocæ Auguſti*. Ex quo factum ut neuter annos eundem Conſulatum conſequentes cum Imperii annis rectè copularit. Nam, ut hujus capitis initio diximus, Conſulatu in Faſtis Byzantinis perperam conſignato in Era Imperii errare neceſſe eſt.

Anno 605. *Phoca III. poſt Conſulatum Phoca Auguſti primum.* XIII. In Chronicon Alexandrinum. INΔ. η. γ' ω' φωνά αὐγύστου τὸ πρῶτον. Si itaque is annus primus eſt poſt Phocæ Conſulatum, anno præcedenti, non verò anno 303. Conſulatum ſumpſit.

Anno 606. *Phoca IV. poſt Conſulatum Phoca Aug. II.* Ita idem Chronicon Alexandrinum, cujus priores anni perperam collocati ex poſterioribus, qui ibidem accuratè conſignati ſunt, emendandi.

Anno 607. *V. P. C. Phoca Aug. III.* Ita rectè idem Chronicon, in quo & legitur: *Hoc anno menſe Audinao apud Romanos XXIII.*

Ianuarius creatus est Patriarcha Constantinopolitanus Thomas magna Ecclesia Diaconus, & Patriarcha Sacellarus uterò expetitus. Quæ perperam à Baronio in Annalibus in annum sequentem conferuntur, uti rectè observat Petavius in Notis ad Breviarium Nicephori CP. pag. 73. sed quod affert ad emendandum idem Chronicon Alexandrinum proflus rejiciendum: At verò corrigendum, inquit, Chronicon dum Phoca V. quo creatus est Thomas Indict. X. notat post Consulatum Phoca III. siquidem Phoca primus inchoatur ex eodem Chronico Indict. VI. Novemb. XXV. Dominica, cum die XXIII. feria sexta inauguratus esset à Cyriaco. Annus est Christi 602. Cyclo solis XXIII. Læt. Dom. G. anno 603. Indict. VI. Phocas Consulatum inisit. Ergo anno 604. Phoca II. Indict. VIII. numerari cæpit post ejus Consulatum I. anno deinde 605. Phoca III. Indict. VIII. annus fuit post Consulatum II. itaque anno 606. Phoca IV. Indict. IX. est ab ejus Consulatu III. annus verò 607. Phoca V. Indict. X. post ejus Consulatum ordine IV. est. Malè igitur in Græco Indictione IX. & X. bis iteratur τὸ γ. Hac paulò accuratius à nobis excussa sunt, ut & illorum temporum Historia, & luculentissimo Chronico aliqua ex parte consuleretur. At hoc non est hujusmodi Operi consulere, sed majorem labem inferre; duo enim priores anni in eo depravati, reliqui sex accuratè consignati, nisi quod perperam cum anno Imperii ejus quarto & quinto seu Indictione IX. & X. jungitur post Consulatum III.; repetito nempe τὸ γ, errore sine dubio Librarii, jam à Radero in versione emendati. Priores itaque anni posterioribus, pauci pluribus, corrupti integris & sanis, non è contra, corrigendi. Præterquamquod ex Theophane, Cedreno, & D. Gregorio laudatis liquet, Consulatum Phocæ in annum 604. cadere, ideoque in eodem Chronico perperam cum Indictione sexta, annoque 603. eundem copulari. Quare emendatio nostra certissima.

XIV.
Heraclius
Phoca succedens.

Anno 608. VI. P. C. Phoca Augusti IV. Ita Chronic. Alex.

Anno 609. VII. P. C. Phoca Aug. V. Ita etiam idem Chronic.

Anno 610. VIII. P. C. Phoca Aug. VI. Ita pariter idem Chronic. Unde ultimus hic Phocæ annus malè à Petavio cum septimo post ejus Consulatum jungitur; quem etiam in errorem ideo lapsus est Onuphrius, quòd Phocam anno tantam sequenti demortuum arbitratus fuerit. Unde factum, ut omnes Heraclii; Phocæ successoris, tam Imperii, quàm Consulatus annos perperam consignarit. Porro Phocam hoc anno occisum tam certum, quàm quod certissimum; idè enim Chronicon Alexandrinum scribit *Octobri die tercio Indictione XIV. Sabbato* apparuisse magnam classem, in qua erat Heraclius.

Die

Die verò sexto ejusdem mensis feria secunda illucescente, Phocam omnibus nudatum vestibus, impositum navi, deportatum fuisse ad Heraclium, qui eum occidi jussit, caputque ejus conto præfixum per mediam urbem circumferri. Addit idem Chronicon: *Hora nona e, usdem diei Luna Heraclius in Imperatorem inauguratus est à Sergio Patriarcha CP. in templo magno.* Is hoc anno, Thomæ Patriarchæ die XX. feriâ sextâ demortuo successerat, ut ait idem Chronicon. Qui characteres omnes in hunc annum competunt, nisi quod loco die sexto, legendum die quinto, seu, ut inquit Petavius in Notis ad Breviarium Nicephori CP. pro Octobris r', substituendum est à. Nam si ejus mensis III. feria VII. fuit, ut paulò antea dixit, utique feria II. ejusdem quinta die fuerit.

Quintus itaque Octobris dies, in quem hoc anno feria secunda incidebat, Natalis Imperatoris Heraclii fuit. *A septimo Octobris præsentis Indiæ. XIV. (nempe à Septembri cœptæ) usque ad XIII. Ianuarii Indiætionis ejusdem in publicis Imperii Heraclii tabulis. Et à XIV. ejusdem Indiæ. ejusdem mensis scriptum est in reliquum tempus anni usque ad Decembrem, nempe expletum. XV. Indiætionis, & Consulatu ejusdem religiosissimi nostri Principis. Et si enim in bigis, seu curru non est progressus, illud tamen tempus ipsius Consulatus transcriptum est.* Ita auctor Chronici Alexandrini, quorum verborum explicationem vide capite sequenti num. X.

Anno 611. A die XIV. Januarii acta publica consignata: *Heraclio Augusto Consule.*

Anno 612. II. *Post Consulatum Heraclii Augusti.* Ita Chronicon Alexandrinum, in quo legitur, Heraclium Juniolem, qui & Constantinus dictus est, tertia Maii, feria quarta, natum esse.

Anno 613. III. *P. C. Heraclii Aug. II. hoc anno mense Augusto Romanis XXII. Decembris filius Heraclius Junior, Constantinus, Imperator à Patre suo Heraclio in palatio inauguratus est à XXII. Ianuarii imperatum est, uti scriberetur post illa solemnia (in nomine &c.) Imperii religiosissimorum nostrorum Principum, & Maximorum beneficiorum Auctorum, Flavii Heraclii piissimi anno III. post Consulatum ejusdem anno II. & Flavii Heraclii Junioris Constantini à Deo custodii filii ejus, anno primo, semper Augustorum, Imperatorum.* Ita auctor Chronici Alexandrini. Theophanes tamen ait, Heraclium Juniolem Decembris die vigesimo quinto, primâ Indiætionis, anno nempe præcedenti, quo ea Indiætio mense Septembri cœpit, eam coronationem factam fuisse.

Anno 614. IV. *Post Consulatum Heraclii Augusti III. à XXII. Ianuarii*

nuarii scribitur: Imperii Heraclii Iunioris Constantini anno II. Ita Chronic. Alexand.

Anno 615. V. P. C. Heraclii Aug. IV. à XXII. Ianuarii scribitur: Imperii Heraclii Iunioris annus III. Chronic. Alexand.

Anno 616. VI. P. C. Heraclii Aug. V. à XXII. die mensis Ianuarii scribitur: Imperii Heraclii Iunioris Constantini annus quartus. Chronic. Alexand.

Anno 617. VII. P. C. Heraclii Aug. VI. à XXII. Ianuarii scribitur: annus Imperii Regni Heraclii Iunioris quintus. Chronic. Alexand. Theophanes in Chronico habet: Hoc eodem anno Ianuarii mensis die primo, Indictione quinta Constantinus Iunior, qui & Heraclius, Heraclii filius Consul renunciatus est: qui Constantinum minorem proprium fratrem Heraclio & Martina genitum declaravit Cesarem. Idem habent Cedrenus, & Auctor Miscellæ. Sed Heraclii Iunioris Imperii tantum anni, non verò Consulatus numerati, uti ex eodem Chronico Alexandrino, in quo anni patris & filii ad usque decimum octavum Imperii ejusdem patris, accuratè digeruntur, liquet.

Ann. 618. VIII. P. C. Heraclii Aug. VII. à XXII. die Ianuarii scribitur: annus Heraclii Iunioris Constantini VI. Chronic. Alex.

XV.
Reliquum
Heraclii Im-
perium.

Anno 619. IX. P. C. Heraclii Aug. VIII. & à XXII. ejusdem Indictionis mensis Ianuarii scribitur: annus Imperii Heraclii Iunioris Constantini VII. Chronicon Alexand. hujus anni mentio in antiquo diplomate Heraclii, cujus subscriptio ab Onuphrio refertur: Data Kal. Maii Constantinopoli, imperantibus Augg. Fl. Heraclio anno IX. & post Consulatum ejusdem anno VIII. & Heraclio Constantino Iunioris filio, anno VII. Indictione VII.

Anno 620. X. P. C. Heraclii Aug. IX. & à XXII. ejusdem Indictionis Ianuarii mensis scribitur: annus Heraclii Iunioris Constantini VIII. Chronic. Alexand.

Anno 621. XI. P. C. Heraclii Aug. X. Herac. Iun. IX. Hujus semper Consulatu à XXII. die Ianuarii cœpto, quod brevitatis causâ in posterum omitemus.

Anno 622. XII. P. C. Heraclii Aug. XI. Herac. Iun. X.

Anno 623. XIII. P. C. Heraclii Aug. XII. Herac. Iun. XI.

Anno 624. XIV. P. C. Heraclii Aug. XIII. Herac. Iun. XII.

Anno 625. XV. P. C. Heraclii Aug. XIV. Herac. Iun. XIII.

Anno 626. XVI. P. C. Heraclii Aug. XV. Herac. Iun. XIV.

Anno 627. XVII. P. C. Heraclii Aug. XVI. Herac. Iun. XV.

Anno 628. XVIII. P. C. Heraclii Aug. XVII. Herac. Iun. XVI.

Anno 629. XIX. P. C. Heraclii Aug. XVIII. Herac. Iun. XVII.

In Bibliotheca veteris Juris Canonici pag. 1361. refertur Novella Heraclii, quâ privilegia Episcopis & ſolitariis conceſſa confirmantur, cujus hæc ſubſcriptio: *Dat. XII. Kal. April. Imperii Heraclii piiffimi anno XIX. & Heraclii novi Conſtantini anno XVII.* Ubi vides utriuſque Conſulatus nullam fieri mentionem, quia ſcilicet poſt Faſtos Byzantinos introductos Acta publica dupliciter notabantur, vel annis Imperii & Conſulatus ſimul, vel annis tantum Imperii: hæc ſecunda forma longè frequentior priori. Unde factum, ut tam pauca ſuperſint Acta, ac monumenta, in quibus annus Conſularis memoratur.

Anno 630. XX. P. C. Heraclii Aug. XIX. Herac. Jun. XVII I. Hoc anno *Indictione quarta* à Septembri cœpta, *Novembris die ſep- timo*, Heraclius Heraclii Junioris Conſtantini dicti filius, magni Heraclii nepos in lucem venit. Ita Theophanes.

Anno 631. XXI. P. C. Heraclii Aug. XX. Herac. Jun. XIX.

Anno 632. XXII. P. C. Heraclii Aug. XXI. Herac. Jun. XX.

Anno 633. XXIII. P. C. Heraclii Aug. XXII. Herac. Jun. XXI.

Anno 634. XXIV. P. C. Heraclii Aug. XXIII. Herac. Jun. XXII.

Anno 635. XXV. P. C. Heraclii Aug. XXIV. Herac. Jun. XXIII.

Anno 636. XXVI. P. C. Heraclii Aug. XXV. Herac. Jun. XXIV.

Anno 637. XXVII. P. C. Heraclii Aug. XXVI. Herac. Jun. XXV.

Anno 638. XXVIII. P. C. Heraclii Aug. XXVII. Herac. Jun. XXVI.

Anno 639. XXIX. P. C. Heraclii Aug. XXVIII. Herac. Jun. XXVII.

Anno 640. XXX. P. C. Heraclii Aug. XXIX. Herac. Jun. XXVIII.

Nicephorus Cp. paulò antequam Heraclii Auguſti mortem narret, ait: *Heraclium filium Conſulem facit. Davidem, & Marinum alios fiberos Caſares appellat, Auguſtinam & Martinam filias Auguſtas.* Sed incertum an hoc vel ſequenti anno Conſulatus is geſtus fuerit; quod tamen nihil ad Faſtos facit, in quibus tam hujus, quàm illius, de quo anno 617. locuti ſumus nulla ratio habetur.

Anno 641. XXXI. P. C. Heraclii Aug. XXX. Herac. Jun. XXIX. XVI.
Heraclius Auguſtus poſtquam *Conſtantinum & Heraclium filios ſuos* Veriſque
aquo jure hæredes Imperii inſtituit, moritur ætatis anno ſexageſimo; Heraclii obi-
ſexto, Imperii triceſimo, quartoque inſuper menſe, & die ſexto, tus, & Con-
inquit Nicephorus Patriarcha CP. Dies itaque ejus emortalis undecimus ſtantis ſuc-
Februarii currentis anni videtur fuiſſe; quod & ipſe Cedreni error ceſſio.
indicat: ait enim die undecimâ Martii vitâ functum eſſe cum impe-
raſſet annos triginta, menſes decem, cui quoad annos & menſes
conſentit Theophanes, qui de die non loquitur. At cum certum ſit
Cedrenum in menſibus errare, exiſtimandum eſt cum & in menſe,

quo obiit errasse, sed non quoad diem, cum eundem exhibeat Nicephorus. *Constantinus* (inquit idem Nicephorus) cum octo & viginti annos cum Patre imperasset, ac centum & tribus diebus supervixisset, moritur; post quem Imperator *Heraclius* appellatur, quò cum communiter *Martina* Imperium administrabat. Secundum hanc supputationem *Heraclius* *Constantinus* die vicesima quartâ Maii veneno à *Novæca* *Martina* sublatus est. Post eum *Heraclius* alter ejusdem *Martinae* filius, quem *Theophanes* *Heracleonam* vocat, cum matre potestatem obtinet, imperatque menses sex, ut habet *Cedrenus*, post quos Senatus eundem cum *Martina* matre dejecit, *Constantini* filio ad Imperium evertô. *Petavius* in *Notis* ad *Nicephorum* CP. ex eo quod idem *Nicephorus* & *Theophanes*, postquam *Heracleonæ* à Senatu abrogatum fuisse Imperium narratunt, inquit *Pyrrhum* è sede *Constantinopolitana* dejectum, ac *Paulum* ejus loco suffectum *Octobri* mense, *Indictionis* decimæ quintæ à *Septembri* currentis anni cœptæ, rectè deducit sex illos menses non esse à *Constantini* *Heracii* filii, sed ab *Heracii* ipsius obitu numerandos. Itaque hoc anno circa *Augustum* mensem *Heracleonâ* pulso *Constans* Imperium auspicatus est.

Anno 642. Anno primo *Constantis* *Augusti*.

Anno 643. Anno secundo. *Constante* *Augusto* *Consule*. *Margarinus* initio tomi primi *Bullarii* *Casinenfis* rescriptum *Theodori* Pontificis *Romani* refert, hac subscriptione notatum: *Dat. IV. Nonas Maii Imperii Domini Piiissimi Augusti Constantini anno secundo, Consulatus primo, Indictione prima, anno Domini 643.* Ex qua subscriptione, quæ iisdem penè verbis à *Theodoro*, ac ea, in qua *Phocæ* *Consulatus* mentio à *Divo* *Gregorio* exprimitur, manifestè liquet *Constantem*, qui & *Constantinus* ab antiquis aliquandò nominatus reperitur, altero Imperii anno, non verò priori *Consulatum* assumpsisse; erratumque esse ab *Onuphrio*, & *Dufresnio* *Dissertat. de Numismat. inferioris ævi num. XV.* qui scribunt, eundem *Constantem* anno 642. *Consulatum* iniuisse. Contendit *Dufresnius* id ex præfata subscriptione colligi, *Constantem*que prima die *Januarii* illius anni, quò mense *Junio*, inquit, annus secundus Imperii ejus inchoabatur, eam dignitatem suscepisse, non verò currenti anno, quò eodem mense *Junio* tertius ejus Imperii annus incœpit. In *Glossario* mediæ, & infimæ latinæ verbo *Consul*, addit *Constantinopolitanos* Imperatores *Consulatus*, & Imperii annos conjunxisse si sub anni finem utramque dignitatem assecuti essent; quod si secus, *Consulatus* annum à *Kalendis* *Januariis* subsequenti auspicatos esse, ut, inquit, videre est in.

seu de Consulibus Cæsareis.

347

in subscriptione Epistolæ Theodori Papæ ; ex qua colligit Constantem Consulatum indeptum esse Kalendis Januariis , Indictione XV. anno nempe 642. Imperii verò ejus secundo , mense Junio ejusdem anni inchoato. Sed hæc omnia frivola esse ostendit initium Theodori , qui non nisi mense Novembri præfati anni 642. ad Pontificatum evectus est , ut ex Anastasio Bibliothecario jam viri eruditi observarunt. Præterea post Fastos Byzantinos in usum vocatos , omnes Orientis Imperatores , quos Auctores produnt anno Imperii altero Consulatum sumpsisse , non nisi eo anno jam incepto illum capessere , quemadmodum de Justino Juniori , de Mauritio , ac de Phoca jam ostensum. Quare cum liqueat Constantem anno secundo Imperii Consulatum processisse , non nisi in currentem annum Consulatus hic incidere potuit ; si enim Dufresnii ratio valeret , sequeretur Tiberium & Heraclium secundo etiam Imperii anno Consulatum suscepisse , cum ipso anno , quò eam dignitatem gessere , alter eorum Imperii inchoatus fuerit. Quæ verò addit idem Dufresnius de Imperatoribus Orientalibus ac Republica litteraria optimè meritis , circa Imperii & Consulatus annorum conjunctionem , capite sequenti confutabitur.

Anno 644. III. P. C. *Constantis Aug.*

Anno 645. IV. P. C. *Constantis Aug. II.*

Anno 646. V. P. C. *Constantis Aug. III.*

Anno 647. VI. P. C. *Constantis Aug. IV.*

Anno 648. VII. P. C. *Constantis Aug. V.*

Anno 649. VIII. P. C. *Constantis Aug. VI.*

Anno 650. IX. P. C. *Constantis Aug. VII.*

Anno 651. X. P. C. *Constantis Aug. VIII.*

Anno 652. XI. P. C. *Constantis Aug. IX.*

Anno 653. XII. P. C. *Constantis Aug. X.*

Anno 654. XIII. P. C. *Constantis Aug. XI.* Hoc anno Constantinus Pogonatus Constantis filius à patre Augustus appellatus. Quod ex dicendis cap. sequenti manifestum fiet.

XVII
*Reliquum
Imperium
Constantis.*

Anno 655. XIV. P. C. *Constantis Aug. XII.*

Anno 656. XV. P. C. *Constantis Aug. XIII.*

Anno 657. XVI. P. C. *Constantis Aug. XIV.*

Anno 658. XVII. P. C. *Constantis Aug. XV.*

Anno 659. XVIII. P. C. *Constantis Aug. XVI.* Hoc anno Constantinus Heraclium & Tiberium filios natu minores Cæsares nuncupavit , ut ex sexta Synodo generali , de qua infra , deducitur.

Anno 660. XIX. P. C. *Constantis Aug. XVII.*

Anno

Ann. 661. XX. P. C. *Constantis Aug. XVIII.* Baudemundus Monachus Elnonensis, æqualis sancto Amando Episcopo Trajectensi anno 679. sexto Februarii demortuo, in hujus vita annum regni Constantini XXIII. cum anno Incarnationis 661. copulat. Quod Mabillonio sæculo II. Benedictino, in Notis ad eandem vitam p. 724. locum præbet suspicandi Constantem, seu Constantinum anno 639. regnum iniisse. Ed magis quò Fredegarius in Chronico cap. 81. huic calculo favere videatur, cum primum ejusdem Constantis annum secundo Clodovei, hujus nominis secundi anno illiget. Sed hoc nullo modo dici potest, certum enim Heraclium anno Christi 641. demortuum esse, cum præterea quæ jam in hanc rem diximus, S. Maximus Martyr, qui hujus Imperatoris tempore vixit, annoque Diocletiani 357. qui anno Christi 640. mense Augusto inchoatur, computum suum scripsit, asserat eum annum Indictione XIV. notatum, ac ultimum Heraclii fuisse. Præterea cum Constantinus annos tantum XXVII. imperarit, ut infra dicitur, si Imperium anno 639. Capessisset, anno 665. è vivis excessisset, quod ut dicamus sequentium Imperatorum Chronologia non patitur. Quare nullum dubium quin Baudemundus quemadmodum in morte ejusdem S. Amandi anno 661. consignanda, ita & in anno Constantis cum eadem morte copulando errarit, quod & de Fredegario asserendum, qui scribit Constantinum anno secundo Clodovei II. quòvè Sintilla Hispaniarum Rex mortuus est, Christi nempe 640. non 639. ut perperam vir eruditus interpretatur, naturæ debitum solvisse, eique Constantem successisse, quod utrumque falsum esse, quæ jam diximus satis ostendunt. Ejusdem Baudemundi errores Chronologici in ea vita describenda rectè observarunt idem Mabillonus, Bollandus & Henschenius tom. 1. Februarii in vita S. Amandi.

Ann. 662. XXI. P. C. *Constantis Aug. XIX.*

Ann. 663. XXII. P. C. *Constantis Aug. XX.*

Ann. 664. XXIII. P. C. *Constantis Aug. XXI.*

Ann. 665. XXIV. P. C. *Constantis Aug. XXII.*

Ann. 666. XXV. P. C. *Constantis Aug. XXIII.*

Ann. 667. XXVI. P. C. *Constantis Aug. XXIV.*

Ann. 668. XXVII. P. C. *Constantis Aug. XXV.* Hoc anno, non superiori, ut perperam habet Onuphrius, Constans Augustus Syracusis interficitur *Indictione duodecima*, à Septembri cœpta, ut habet Paulus Diaconus lib. 5. c. 11. Die, ac mense incertis, ex actione tamen decima octava,

oſtava, eaque ultima ſextæ Synodi generalis die decima ſexta Septembris anni 681. habitâ, eum poſt hunc diem peremptum elicio; numeratur enim in ea annus decimus tertius Conſtantini Pogonati ejus filii ac ſucceſſoris, qui tamen quartus numerandus fuiſſet; ſi currenti anno ante diem decimum ſextum Septembris idem Conſtantinus Imperium ſuſcepſiſſet. Quare errant Anaſtaſius in Vitaliano, qui Conſtantem necatum ſcribit, *XV. die menſis Julii, per XI. Indiſtinctionem*, qua in ſententia in Hiſtoria perſtat; ac Marianus Scotus, qui eundem diem ac menſem retinet, cum Indiſtinctione tamen duodecima, perperam ſubſtitutâ. Quem errorem Onuphrius ac Baronius ab eo hauſere, licet non eum ſed Anaſtaſium citent. Occiſus eſt autem Conſtans poſtquam imperaſſet annos XXVII. ita Nicephorus CP. Theophanes, Cedrenus, & Zonaras. In Conſtante id genus Faſti deſinunt, ad eumque Numiſmatum libri perducere debent. Poſtea alterius generis Faſti, de quibus cap. ſequenti, in uſum adſciti. Annales Eccleſiaſtici, & quæ deinceps componentur Chronica, eâ temporis notâ inſignienda erunt, cum modò Eræ Chriſtianæ, Imperii & Conſulatus annorum connexio certa ſit. Et hæc de Poſtconſulatibus ſecundi generis.

CAPUT QUARTUM.

Conſulatus Tribunitia Potēſtatis inſtar geſtus, hæcenus ignotus, explicatur. Quando, quare ratione deſerit.

Sub Julio Cæſare celeberrima Conſulum ordinariorum & ſuffe-
ctorum diviſio orta, ut Auctor eſt Onuphrius lib. 2. Faſtorum
anno urbis conditæ 709. ſub Claudio, ut Imperatores proximis Ka-
lendis Januarii poſt ſuſceptum Imperium Trabeam Conſularem ſu-
merent, conſuetudo invec̄ta: ſub Commodò Decennalia & id genus
feſta cum eadem Trabea edendi mox renovatus; ſub Juſtino Juniori
Conſulatus à privatis ad Auguſtos tranſlatus, & ab his poſtea perpe-
tuo retentus: at ſub Conſtantino Pogonato Conſtantis filio ac ſuc-
ceſſore Conſulatus Tribunitiæ Potēſtatis inſtar aſſumptus. Quam mu-
tationem valdè inſignem ided̄ viri docti hæcenus non animadvertē-
runt, quia Acta publica eâdem ſerē quâ antea formulâ conſignaban-
tur; quò factum, ut exiſtimantes plures eſſe Imperii, uti moris fue-
rat, quàm Conſulatus annos, Faſtorum Byzantinorum genus, quod

I.
*Conſtanti-
nus Pogona-
tus auct̄or
Conſulatus
Tribunitia
Potēſtatis
inſtar geſti.*

in Constante Augusto defierat, ad Constantinum usque Porphyrogenitam, non parvò temporum detrimento continuarint, seseque impeditissimis ambagibus implicarint. Onuphrius, *Pater Fastorum* à Lipsio jure meritò vocatus, lib. primo Fastorum pag. 62. ubi numerandi rationem à Justino Juniori inventam exposuit, subjungit: *porrò autem omnes Imperatores Orientis ea ratione Consulatus functos fuisse animadverti, usque ad Constantini VIII. Porphyrogeniti Imperatoris tempora, ut ex Fastis sculis græcis (Chronico nempe Alexandrino) qui usque ad primum Imperii Heraclii Augusti annum & Consulatum pertinent (Exemplar tamen quod vertit Raderus, usque ad annum Heraclii decimum octavum inclusivè pervenit) didici; itemque ex variis diplomatum, privilegiorum, constitutionum, novellarum & Edictorum Imperialium datis observavi: eos autem non nisi usque ad Constantinum Irenes adposui, ad annum nempe circiter octingentesimum. Neque aliam viam secutus est Dufresnius V. C. in Dissert. de numism. inferioris ævi num. 15. Sed Constantinum Pogonatum aliam ab ea quæ per centum & duos annos in usû fuerat, Consulatus annos numerandi rationem invenisse, totque Imperii, quot Consulatus annos, contra decessorum morem numerasse, & successores per duo amplius secula, quibus Fasti Byzantini in usû fuere, factitasse, certis mox argumentis ostendam, manifestumque faciam eundem Onuphrium in præfatis diplomatis explicandis valde falsum esse; cumque omnes ejusdem opinionis scætores nihil attulerint, quod rem magis extricaret, illum refellisse, omnes alios prostrernere erit. Advertendum itaque Consulatum perpetuum duplicis generis fuisse: prius de quo præcedenti capite actum, primo Imperii anno, uti à Tiberio Constantino, & Heraclio factum, vel secundo, uti ab omnibus aliis assumptum fuit; at posterius ipso semper Imperii initio, eo penitus modo, quo sub Imperatoribus Antiquæ Romæ Tribunitia potestas, initum. Unde in hoc secundo Consulatus genere, Imperii & Consulatus anni æquo ordine procedebant, nec unquam plures Imperii quàm Consulatus anni numerabantur. Quod si filii à patribus in Imperium adsciscerentur, post eorum obitum annos Imperii cum iisdem gesti numerare continuabant, sed annos ejusdem Imperii ab eorum morte administrati à Consulatu deducebant, quod illis tribus clarebit exemplis.*

I I.
Constantini
Pogonati
Consulatus
instar Trib.
Poesb. ge-
stus.

Anno 680. sexta Synodus generalis Constantinopolitana celebra-
ta est, cujus prima Actio his verbis incipitur: *Imperantibus à Deo*
coronatis, & Serenissimis nostris Dominis Flavio Constantino quidem
piissimo & à Deo decreto magno Principe, perpetuo Augusto & Impe-
ratore

ratore anno XXVII. & poſt Conſulatum ejus anno XIII. Heraclio verò atque Tiberio conſervandis ejus fratribus, anno XXII. die VII. menſis Novembris, Indiſtione IX. Annus Imperii Conſtantini Pogonati XXVII. ab anno 654. quo à Conſtante Patre Auguſtus appellatus eſt, annus verò XIII. poſt ejus Conſulatum ab anno 668. quo patre mortuo ſolus imperare coepit, deſignatur. Unde intelligis annum XIII. poſt Conſulatum, aliud non deſignare, quàm annum XIII. & Conſulatus & Imperii. Quòd ſi antiquus numerandorum annorum mos adhuc viguiſſet, ſcribendum fuiſſet *Poſt Conſulatum XII.* non verò XIII. Quare Sirmondus, qui hanc mutationem non obſervavit in Notis ad Sidonium, libro primo, Epiſtola nona dicit in ea Synodo ejusdem Conſtantini annum, XXVII. cum anno poſt ejus Conſulatum XII. comparari, quod argumentum eſt cum exiſtimari ita legendum eſſe. Onuphrius verò libro tertio Faſtor. anno 667. ait: *Imp. H. Heraclius Conſtantinus V. Conſtantis Auguſti filius Conſulatum vivente patre geſſit, quemadmodum ex Actioibus Synodi Conſtantinopolitana tertia intelligitur.* Sed hanc ejus explicationem à veritate alienam eſſe ſimiles loquendi formulæ inſta adducendæ oſtendent. Eæ enim non magis, quàm præfata veræ eſſe non poſſunt, niſi Imperatores Conſtantinopolitani prænunciò quodam indiciò mortem Patrum portenderint; cum ſemper ſine variatione ulla anno ante eam Conſulatum in ea ſententia caperentur. Quòd cum dici non poſſit, evidens eſt eos uno eodemque tempore & Conſulatum & Imperium aſſumpſiſſe. Anno 681. die viceſimà ſextà Aprilis habita eſt XV. Actio ejusdem Concilii, quæ eadem formulà conſignatur, niſi quod hic annus dicitur eſſe XXVIII. Conſtantini *poſt ejus Conſulatum XIII.* fratrum verò XXII. Ex quo colligo anno 654. ante diem viceſimum ſextum Aprilis eundem Conſtantinum Auguſtum nuncupatum eſſe, & uti conjicere licet, die decimà tertiam ejusdem menſis, quâ Paſcha celebratum eſt, aliter viceſimus octavus Imperii ejus annus nondum inchoatus fuiſſet. Deinde Conſtantem Auguſtum poſt diem XXVI. Aprilis anno 668. interfectum fuiſſe, alioquin Conſtantinus Pogonatus ejus filius Conſulatus annuſ XIV. non XIII. jam numeraviſſet. Actio XVI. nona die Auguſti habita, ſubſcripta eſt: Imperii ejus anno XXVIII. poſt Conſulatum ejus anno XIII. anno XXIII. Heraclii, atque Tiberii. Ex quo deduco anno 659. ante diem nonum Auguſti utrumque Caſarem creatum fuiſſe, Onuphriumque eſſe, dum ſcribit eos anno 659. menſe Julio Caſares appellatos eſſe, ac eum patre & fratre imperaviſſe annos plus minùs X. quæ obiter dicta ſunt.

Ann. 685. Constantino Pogonato , die ac mense incertis demortuo , cùm annos septemdecim imperasset , ut testes sunt Theophanes , Cedrenus , Zonaras , & Auctor Miscellæ , filius ejus Justinianus Junior dictus Imperium suscepit , *decima quarta Indictione* , à mense nempe Septembri jam inchoata , Anastasio , & Mariano Scoto Auctoribus. Hic sicuti & pater eodem tempore Consul , quò Imperator dictus est. Ejus jussionis subscriptionem refert Onuphrius his verbis conceptam : *Dat. XIII. Kal. Martias Constantinopoli , Justiniano Imp. PP. Anno secundo , & post Consulatum ejus anno II. Indictione XV.* Anno nempe Christi , 87. ea Indictione notato. Unde evidenter deducitur eum post mensem Augustum anni 685. currente jam decima quarta Indictione purpuram sumpsisse , eodemque tempore Consulatum ; alioquin annus 587. non concurreret cum anno secundo tam Imperii , quàm Consulatus ejus. Existimabat Onuphrius Constantinum Pogonatum anno 684. Justinianum Cæsarem ac Augustum dixisse , ac præterea in annum sequentem , quò ipsemet obiit , Consulem designasse. Quam in tem Nicephorum , Anastasium , & Zonaram laudat , qui tamen ne verbum quidem habent , nec de eo Consulatu , nec de ea nuncupatione. Verum quidem est Theophanem , Cedrenum , & Auctorem Miscellæ scribere Constantinum fratres suos , Heraclium & Tiberium ab Imperio removisse , solumque cum Justiniano filio imperasse ; sed ii id factum tradunt anno Imperii ejus XIII. quod tamen parùm probabile , quodve præterea eidem Onuphrio non fayet. Idem Justinianus anno 695. uti rectè Theophanes , postquam decem annos imperasset , à Leontio Patricio naso mutilatus in Chersonesam relegatus est. Leontius Principatum triennio gessit , annoque 698. ut ex eodem Auctore deducitur , pari nasi mutilatione à Tiberio Apsimarō multatus est. Marianus Scotus , ac Sigebertus eundem annum exhibent , sed corrigendus is , dum Leontii initium anno 696. consignat ; superiori enim anno eum imperare cœpisse rectè docet idem Marianus. Apsimarō annis septem imperavit , teste eodem Theophane. Sed Justiniano post decem annorum exilium restituto , ideoque anno 705. uti rectè Theophanes & Marianus Scotus , ac Sigebertus cum eo , Apsimarō ac Leontio , ejus jussu cervices incisæ sunt. Consulatus ab iisdem Leontio & Apsimarō gesti nullum superest vestigium. Sed quoad Justinianum Onuphrius lib. tertio Fastorum dicit eum Consulatum iterum capessisse , idque ex ejus Rescriptis & Constitutionibus intelligi. Sed cùm eas hæcenus invenire non potuerim , hoc tantùm asserere possum me nullatenus dubitare , quin cùm novum Regnum incœperit , novum etiam Consulatum

*Leontii &
Tiberii Apsimarō
consulatus nullum
extat vestigium.*

fulatura inierit : cum per hæc tempora statim ac quis Imperator, statim & Consul esset, sed non secundo Imperii ejus, anno, ut perperam docet idem Onuphrius, neque id ex ejus constitutionibus deduci posse, cum ad manus meas pervenerint, ostendam. Justinianus restitutus annos sex imperavit, ut docet idem Theophanes, annoque 711. exunte, ut rectè Baronius, qui tamen ejus initium, sicuti & duorum ejusdem decessorum, perperam consignavit, ostendit, jussu Philippici cum filio Tiberio jugulatus est. Hujus pariter Consulatus nullum vestigium superest.

Anno 713. Artemius, qui & Anastasius dictus, ipsâ Pentecostes vigiliâ, ut habet Theophanes, die nempe tertiâ Junii, pulso eodem Philippico Imperium arripuit, eodemque tempore Consulatum. Quod constat ex Actis cujusdam Virginis à dæmonio liberatæ, quæ à Baronio hoc anno num. 13. recitantur. Horum initium ita concipitur : *Imperante Domino nostro piissimo Augusto Anastasio magno Imperatore anno primo & post Consulatum ejus serenitatis anno primo.* Factum hoc ut in iisdem Actis dicitur, *mensè Octobri, Indictione XII.* à Septembri cœptâ, anno nempe Christi 713. Ex quo luce meridianâ clarius patet, Artemium Imperatorem & Consulem eodem tempore renunciatum fuisse. Malè itaque scripsit idem Onuphrius anno 715. eum creatum fuisse Imperatorem, purpurâque exutum *anno Imperii primo & mensè tertio Consulatu suo, quem more veteri eo anno inierat XVII. Kal. Septembris ex Nicephoro & Zonara.* Hæc enim omnia à veritate aliena, neque etiam id ex Nicephoro & Zonara, qui de eo Consulatu non loquuntur, ullo modo deduci potest. Anastasius anno Imperii sui tertio Christi nempe 715. finiente, Theodosio cuidam tributorum Exactori locum cedere coactus fuit, Monachusque factus est.

Anno 717. eodem Theodosio, cujus Consulatus nullum superest monumentum vitam monasticam amplexô, Leo Isaurus octavo Kalendas Apriles imperare cœpit, Consulatumque statim iniecit, quod nec ipse Onuphrius negare potuit, nisi quod perperam addit, id fortè factum fuisse in Kalendas Apriles, octavô nempe die post assumptum Imperium; non advertens nullam illius differendi causam fuisse, & Tribunitiæ potestatis instar eam dignitatem per hæc tempora sumptam. Ex quo etiam patet perperam ab eo existimatum Constantinum Pogonatum sub finem Imperii Constantis patris, & Justinianum Juniozem illius filium sub finem ejusdem Constantini patris Consulatum cepisse; eo magis, quo Anastasium ipso Imperii initio Consulatum edidisse constet. Anno 721. nonis Aprilis Romæ con-

IV.
Consulatus
ab Athana-
sio Trib. po-
test. instar
gestus.

V.
Consulatus
à Leone
Isauro Trib.
polest. instar
gestus.

gata Synodus est à Gregorio secundo, Romano Pontifice in cujus principio legitur: *Imperante Domino, Pmissimo Augusto Leone à Deo coronato, magno & pacifico Imperatore, anno sexto, post Consulatum verò ejus anno sexto. Sed & Constantino ejus filio, anno secundo, Indictione IV.* Est is Constantinus Copronymus, quem idem Leo pater adhuc infantem ipso sancto Paschatis die, anno superiori Augustam crearat, ut Auctor est Theophanes. Baronius, qui ejusdem Synodi Acta refert, rectè observat ea admodum depravata esse, hujus tamen subscriptionis errorem, quòd Leonis ejusdem initium anno 716. perperam collocasset, non advertit. Si enim hæc Synodus Indictione quartâ habita, hoc nempe anno, legendum omninò, anno quinto, post Consulatum verò ejus anno quinto. Magis adhuc depravata in Editione Conciliorum Labbeanâ hæc subscriptio legitur: *Anno sexto, post Consulatum ejus anno XVI.* Dusefnius Dissert. de numismat. Inferioris ævi num. 15. monet numerum 10. hic abundare; Labbeus verò legendum anno sexto, loco anno XVI. Sed perperam. Mense enim Aprili hujus anni non sextus Imperii & Consulatus Leonis, sed quintus tantum currebat. Annus etiam sextus tam Imperii, quam Consulatus in iisdem Actis, in Editione quam Voëllus & Justellus viri græcè, Latinèque doctissimi exhibent tomo primo Bibliothecæ veteris Juris Canonici pag. 172. non tantum legitur, sed etiam repetitur. Quare ea subscriptio ubique mendosa reperitur. Nec enim dici potest eam synodum anno sequenti celebratam, erratamque in Indictione, cum annus secundus Constantini Copronymi die ultimâ Martii præsentis anni, in quam anno elapso Pascha incidebat, auspiciatus fuerit. Anno 723. idem Gregorius secundus S. Bonifacium Moguntiz Episcopum consecravit, & ad obedientiam sibi ac successoribus exhibendam juramento à Baronio in Annalibus relato adegit. In juramenti initio hæc verba leguntur: *Imperante Domino Leone magno Imperatore anno septimo post Consulatum ejus, sed & Constantino magni Imperatoris ejus filii anno quarto, Indictione VI. promitto ego Bonifacius &c.* Ubi vides Consulatus annum eundem cum Imperii anno esse, imò hujus nullam fieri mentionem. *A mensis Martii die vigesimo quinto, decimâ quintâ Indictionis ad mensis Junii diem decimum octavum, nonâ Indictione, Leo imperavit. Tenit autem Imperium annos viginti quatuor, menses duos, dies viginti quinque: Constantinus pariter ejus filius impietatis eque ac Imperii successor à prefato mensis Junii die decimo octavo, nonâ Indictione, ad mensis Septembris diem decimum quartum, Indictione decimâ quarta, Deo permittente potestatem obtinuit annos quatuor supra triginta, menses tres, dies duos.*

duos. Ita Theophanes. Sed dicere debuit, menses tres, tribus diebus exceptis, ut numeranti constat.

Sub finem anni 741. quò idem Constantinus regnare cœpit, Artabaldus ejus sororius Imperium inuasit, & Nicephorum filium Imperatorem dixit. Tomo sexto Conciliorum generaliù Editionis Labbeanæ legitur Epistola quinta Zachariæ ad S. Bonifacium Episcopum Moguntinum *data nomis Novembris, imperante piissimo Aug. Artabaldo à Deo zelus.*

coronato magno Imperatore anno tertio, post Consulatum ejus anno tertio, sed & Nicephoro Magno Imperatore ejus filio, anno tertio, Indictione XIII. à Septembri cœpta, anno nempe Christi 744. quare in annum sequentem malè à Baronio in Annalibus eadem Epistola confertur, perperamque horum verborum loco: *post Consulatum ejus anno tertio,* legit *Patriatus ejus anno tertio.* Hæc enim dignitas privatorum, non verò Augustorum in Oriente erat. Artabaldus & Nicephorus eodem mense Novembri, ut testantur Theophanes & Auctor Miscellæ, capti sunt & excæcati. Verum quidem est utrumque utriusque casum in Indictionem duodecimam, annum nempe 743. conjicere, quam in sententiam non tantum Baronium, ut videre est in Annalibus, anno 743. sed etiam Petavium libro octavo partis primæ Rationarii temporum capite sexto, aliosque viros doctos induxere. Sed Theophanes ex quo Auctor Miscellæ accepit, ex iis quæ ipsemet eodem anno & sub eadem columna narrat, emendandus. Jam enim ante dixerat *die decimo sexto Aprilis, hebdomadis feriâ quintâ,* Valid Saracenorum in Damasco Amiram, Arabum factione sublatum fuisse, post Imperii annum unicum. At feria quinta cum die decima sexta Aprilis non concurrat, nisi in cursu sit litera dominicalis D. quod anno 744. contigit. Nec dici potest Theophanem Valid mortem non rectè consignasse. Georgius enim Elmacinus in Historia Saracénica, pag. 84. scribit: *anno 126. interfectus est Vvalid filius Iezidi.* Annus hegiræ 126. cœpit die 25. Octobris, anni Christi 743. quare post Octobrem Vvalid occisus, ideoque anno 744. Artabaldus verò eodem anno, ineunte Novembri de folio dejectus. Ex præfata etiam subscriptione deducitur hunc anno 741. post Nonas Novembris Imperium usurpasse, alioquin Zacharias, qui cum eam Epistolam scripsit, casum ejus ignorabat, annum Imperii illius quartum jam numerasset.

Sed nec ipse Constantinus Copronymus plures Consulatus, quam Imperii à morte patris suscepti numeravit annos; & quod notatu dignum, eos ex quo cum patre imperavit, Imperii, quos verò solus post ejus mortem regnavit, Consulatus nomine expressit. Anno 745. sub Zacharia Pontifice mense Octobri celebrata Romæ Synodus est,

cujus

VI.

Consulatus
ab Artabaf-
do Trib. po-
testas. instar

VII.

Consulatus
à Copronymo
Trib. Pot. in-
star gestus.

cujus initio legitur: *Imperante Domino piissimo Augusto Constantino Imperatore anno XXVI. post Consulatum ejus anno V. mense Octobri die XXV. Indictione XIV.* Ita habetur in Editione Labbeana. Baronius eam subscriptionem eodem anno num. 21. refert, sed nullâ Consulatus mentione factâ. Dufresnius in Dissertat. de Numismat. inferioris ævi addit in Epistolis Zachariæ pontificis Consulatus ejusdem Constantini annum non scribi, sed tantum Imperii, & à prima inauguratione & ab obitu patris deducti. At licet verum sit eas ita à Baronio referri, tomo tamen sexto Conciliorum complures leguntur cum Consulatus expressione. Epistola nona ejusdem Pontificis ad S. Bonifacium dicitur *dat. Kal. Maii imperante piissimo Augusto Constantino post Consulatum ejus anno VII. Indictione prima.* Quibus caracteribus designatur annus Christi 748. Epistola duodecima ejusdem Pontificis ad eundem his verbis subscribitur: *data pridie nonas Novembris, imperante Domino piissimo Augusto Constantino, anno XXXII. post Consulatum ejus anno XI. Indictione V.* Est hic annus Christi 751. Ex quibus satis intelligitur non plures Imperii à morte patris administrati, quam Consulatus annos Constantinum numerasse, Onuphriumque errasse, qui scribit hunc die Natalitio anno Christi 742. Consulatum iniisse.

VIII.
Consulatus
Leonis IV.

Paternorum scelerum, Imperiique hæres Leo quartus fuit, & ad illud anno 775. die XIV. Septembris pervenit. Scribit Onuphrius eum anno 769. vivente Constantino patre Consulatum gessisse, idque ex ejus diplomatibus, & Romanorum Pontificum Epistolis intelligi, quod sine dubio falsum. Præterquam enim quod in Epistolis Pontificum, quæ in Editione Conciliorum leguntur, nulla ejusdem Consulatus vivente patre suscepti vestigium sit, nullumque ejus extet diploma, saltem quod viderim, in quo de eo Consulatu sermo sit, hæc dignitas post Constantinum Pogonatum, non nisi Tribunitiæ potestatis instar gesta. Ea tamen in ejusdem Leonis nummis exprimitur, in quibus, ut observat Dufresnius loco laudato, cum Loro & Mappa Consulatus Insignibus effectus conspicitur, eum aliquot alii, qui cum exceperè Augusti, non cum Mappa, sed cum Loro tantum effingantur, ita tamen, subjungit idem Dufresnius, *ut incertum maneat, an revera Consulatus titulum sibi reservaverint.* Sed eos saltem usque ad Leonem sapientem, reapse Consulatu functos fuisse, quæ mox afferam, evincunt; cum neque in actis publicis Consules appellarentur, neque eorum anni à Consulatu numerarentur, nisi illum suscepissent.

IX.
Consulatus
à Constantino

Anno 780. *Mensis Septembris die octavo, quarta Indictione, Leo diem suum clausit*, inquit Theophanes, qui perperam addit, *dempis mensibus*

menſibus ſex , anno quinto defunctus eſt , legendum enim , *demptis die-* & Irene
bis ſex , perperam etiam auctor Miſcellæ cum regnaſſet annis quinque ,
diebus ſex. Legendum enim , *demptis diebus ſex*. Eo mortuo Irene
 ejus uxor unâ cum filio Constantino Imperium ſuſcepit ; iſ decem
 tantum annorum puer erat. Ea , quod hæcenus inauditum , ad Impe-
 rii ſaſtigium evecta , ſicuti Imperium , ita & Conſulatum iniit. De-
 duco id ex verbis , quibus prima actio Concilii Nicæni anno 787.
 celebrati exorditur : *In nomine Domini , & Dominatoris Ieſu Chriſti*
veri Dei noſtri , Imperio-piſſimorum , & amicorum Chriſti Domino-
rum noſtrorum Constantini , & Irenes matris ejus , octavo anno Conſula-
tus eorum , octavo Kalendas Octobrias , Indictione XI. &c. Notanda
 ſunt verba Græca *ετους ογδου & αυτου & αμαρτιας* , id eſt , *octavo anno*
Conſulatus eorum , verum eſt in vulgata , & antiqua editione latina ,
 quæ ſeptimo Conciliorum tomo pag. 662. legitur , ſcriptum eſſe *anno*
Conſularis illius octavo , niſi quod in actione quinta , & ſeptima legi-
 tur uti in græco , *anno octavo Conſulatus eorum* , ſed non dubium quin
 utriuſque Conſulatus in verſione latina exprimi debuerit. Quod ſi
 ipſo Concilii initio annus Conſulatus eorum octavus jam curreret ,
 eam dignitatem ipſo Imperii initio ab utroque aſſumptam fuiſſe ne-
 ceſſe eſt. Dicit Onuphrius eundem Constantinum anno 779. viven-
 te patre , more majorum Conſulatum geſſiſſe ; ſed hoc eſt hartiola-
 ri : ſequeretur enim prædeceſſorum mortem , tam Constantinum
 hunc , quam alios , quibuſdam prognosticis divinaſſe , annoque ante-
 quam ea contingeret , Conſulatum capeſſiſſe. Vanum itaque illud
 effugium ad quod toties Onuphrius recurrit , ut oſtendat Imperato-
 res Orientales plures ſemper Imperii , quàm Conſulatus annos nu-
 meraſſe.

Anno 790. Constantinus matrem , quæ annos decem cum eo
 imperaverat , in ordinem redegit *Octobri mense , Indictione quarta* X.
decima , inquit Theophanes. Is annos octo , quibus ſolus imperavit , *Conſularis*
 poteſtate juveniliter , inmodicèque uſus eſt. Tandem anno 797. ma- *perpetuus*
 tris , & Stauracii dolo comprehenſus , excæcatus eſt , & Irene ſola *iterum ab*
 iterum Imperium aſſumpſit , quod per annos ſex obtinuit , ipſoque *Irene aſſump-*
 initio Juſtiniani ſecundi exemplo , Conſulatum edidit. Proceſſum *ptus*
 tamen Conſularem , uti vocabant , in annum Chriſti 799. Imperii
 ſui ſecundum diſtulit. Quod non tantum ex Theophane , ſed & ex
 Auctore Miſcellæ , ac Cedreno accepi. Prior eo anno de ejus Conſu-
 latu hæc ſcribit : *Sancti vero Paſchatis feria ſecunda , Imperatrix &*
Sancto: um Apoſtolorum ade proceſſum ſolemne fecit , curru aureo ,
quem quatuor equi candidi trahebant , vecta. Currum regebant Patricii
 X x *quatuor*

quatuor, Bardanes, in quam, Thracensium Dux, Sifunius ipseus Thracia pariter Dux, Nicetas scholarum Domesticus, & Constantinus Boëlas: ipsa Imperatrix Consulari more manera in populum spargebat. Notanda verba græca *ἐξ ἑαυτῆς ἀφ' ἑαυτῆς*, iisdem enim non tantum idem Theophanes, sed etiam Cedrenus uti solent ad exprimendum Consulatam, ea Auctor Miscellæ sic vertit: *jaçtans liberaliter Hypatiam*. Ex iis colligo primò Consulatam adeo post Justinum Juniorem cum Imperio conjunctam fuisse, ut qui hoc exturbati essent, si iterum illud adipiscerentur, rursus eundem inirent, quod suo loco diximus de Justiniano secundo; eo enim casu excepto, non reperimus Constantinopolitanos Imperatores post Fastos Byzantinos introductos, iterum Consulatam iniisse. Secundò eisdem Imperatores cum processum Consulatam ederent, quod magna pompa, sicuti & in veteri Roma usus fuerat, fiebat, sedisse in sella hominum humeris imposita, ut de Justino Juniore scribit Corippus lib. 4. sui Poëmatis, & de Mauricio Theophylactus Simocatta, cujus verba cap. superiori Num. IX. retulimus. Aliquando verò Procetes tantum currum tenuisse docet præfatus locus Theophanis, quem Auctor Miscellæ exscripsit. Quem morem ab inferioris ævi Augustis introductum esse certum est. Priores enim curru Equis, aut Elephantis tracto, vectos fuisse ostendit Norisius Dissertat. de Numismat. Diocletiani & Maximiani cap. 5. ubi de processu Consulari doctè differit, nosque secunda hujus dissertationis parte insinuavimus. Tertio eisdem Orientis Imperatores non eodem semper tempore Consulatam cepisse, & simul missilia sparsisse, seu processum Consulatam edidisse, sed aliquando eam dignitatem iniisse, pompam verò, munusque Consulare, ut vocabant, in aliud tempus distulisse. Hoc non tantum evincunt quæ de Irenis Consulatu scribunt Auctores Byzantini, sed etiam quæ Leo grammaticus habet de Basilii Macedonis Consulatu mox referenda. Imò Heraclium Seniore hunc processum in aliud tempus rejecisse, ex Auctore Chronici Alexandrini colligitur, qui scribit statutum fuisse, ut à decima quarta die Octobris anni 610. usque ad finem Decembris in actis publicis scriberetur: *XV. Indictione & Consulatu ejusdem religiosissimi nostri Principis*. Etsi enim in *vigiliæ seu curru non est progressus, illud tamen tempus ipsius Consulatam transscriptum est*. Quod verba græca magis declarant: *ἡ δὲ ἡμέρα ἐπισημασμένη ἐστὶν ἡμέρα ἐπισημασμένη ἀπὸ τῆς βασιλευσῆας*, qua etiam expressione utitur Theophanes dum de processu Consulari Irenis loquitur, ait enim: *τὴν δὲ ἀγίαν Πάσχα τῆς αὐτῆς ἡμέρας προσῆλθεν ἡ βασιλευσῆα*. &c. Quare præfata Chronici Alexandrini verba melius vertisset

Raderus

Raderus hoc modo. *Et si enim in bigis seu curru solemnem processum non fecit.* Heraclium autem eam pompam in aliud tempus distulisse, neque populum solitis largitionibus fraudasse existimandum. Quam nemini hactenus observata hinc prætermitti non debuere.

Irene, sexto iterati Imperii anno, Christi 802. *mensis Octobris die tricesimo prima, Indictione undecima, hora noctis quarta illucescens feria secunda*, inquit Theophanes, à Nicephoro, Imperio, fortunisque omnibus exatâ, & in Lesbon deportatâ, anno sequenti obiit *die nona Augusti*, ut habet idem Theophanes. Nicephorus *Indictione XII. mense Decembri* Stauracium filium suum participem Augustæ majestatis adscivit, ut testis est idem Theophanes, anno nempe Christi 803, tandem circumventus à Bulgaris cum totius Imperii sorte cecidit anno Christi 811, *mensis Julii die vicesimo quinto, Indictione quarta*, ait idem Theophanes. Stauracius in pugna sauciatus paucis mensibus regnavit; quippe anno eodem Michael Curopalates, cognomine Rengabe *mensis Octobris die secundo, Indictione quinta, feria Hebdomadis quinta, hora primâ Imperator saluatur*, ut testis est Theophanes. Victus Michael à Bulgaris anno 813. Leo Armenius die undecima Imperator designatus est, & *postera luce, qua Julii mensis fuit undecima, Indictione sexta, feria Hebdomadis secunda, in magna Ecclesia Ambone à Nicephoro Patriarcha coronatus est*, ut tradit idem Theophanes. Leo Armenius anno Christi 820. ipso natalis Dominici die à Michael Balbo, quem Majestatis reum in custodia detinebat, inter sacra ipsa trucidatus est Curopalate & Zonara testibus. Michael anno 829. obiit, ipsumque Theophilus ejus filius, *Octobri mense, Indictione VIII.* ut scribit Cedrenus, ideoque præfato anno, quo octava Indictio mense Septembri inchoata est, excepit. Theophilus moriens Michaëli filio Imperium sub matris Theodoræ religionis, virilisque animi foeminae tutelâ anno 842. reliquit. Sed Bardæ avunculi consilio idem Michael Theodoram matrem, quæ annos quatuordecim, ut habet Cedrenus, cum ipso imperaverat, ad privatam vitam redegit, ideoque anno Christi 856. dein omnis rerum administratio ad unum Bardam delata est, qui & non multo post Cæsar creatus Consulatum iniiit, ut docet Leo Grammaticus in Michaële: *μετ' ὀλίγον ἢ τῆς τετάρτης τῆς διακαιονσίου ἑποχῆς) Μιχαὴλ Βάρδαρ διὸν αὐτὴν Καίσαρα, ὡς ἐστὶ ἀρμυρῶν ἰσοχρόνως ἔδωκεν ἱππικίας τῆς μέσης, id est, modico post, feriâ Paschalis quartâ, Michael Bardam avunculum promovet Cæsarem: qui curru per mediam urbem velut munera sparsis in populum. Nam phrasim hanc, ἔδωκεν ἱππικίας, seu ἱππικίας ἰσώδους, propriè de Consulibus dici, qui Consulatum*

XI.

Consulatus
Nicephori,
Leonis Ar-
menii, Mi-
chaëlis Bal-
bi, & Theo-
phili nullum
restat vesti-
gium.

XI 2

accipientes

accipientes munera & largitiones profundebant, doctè ostendit Scalliger lib. 5. de Emendat. temp. p. 501. ex quibus liquet his temporibus dignitatem Consularem, non tantum nomine tenus, sed reapse, non solum ab Augustis, sed & à Cæsaribus assumptam fuisse. Contigere hæc circa annum Christi 858. ut ex iis, quæ Cedrenus in Historiarum compendio, & Baronius in Annalibus habent, deduci videtur. Tandem idem Bardas, assentiente Imperatore, interficitur *Indictione XIV. die primâ Aprilis*, inquit Curopalates; ideoque anno Christi 866. Sed in die erratum esse ab eodem Auctore non dubitandum; cum Nicetas in vita S. Ignatii ab exordio quadragesimæ ad necem ejus tres menses numeret, & Leo grammaticus in Michaële pag. 465. scribat Imperatorem quem Bardas comitabatur, *sacro Paschalis festo*, cum exercitu copioso Constantinopoli solvisse, & in Thraciam se contulisse, ubi à Basilio Macedone, qui postea imperavit, occisus est. In septimum Aprilis diem Paschæ eo anno incidebat, ideoque, ut jam viris doctis observatum, in Curopalate loco *die prima Aprilis*, legendum, *die vigesima primâ Aprilis*. Sic enim ab initio quadragesimæ ad mortem ejus tres menses effluxere, utroque extremo incompleto pro completo numerato. Baronius anno 867. num. 82. eo anno hanc mortem contigisse credit; ideoque loco *Indictione XIV.* legendum dicit, *Indictione XV.* quod præfato anno Nicolaus Pontifex Romanus literas ad Bardam Cæsarem dedisset mense Novembris, Indictione decima quinta; sed perperam, cum Auctores omnes Byzantini narrato Bardæ interitu, eundem Basilium Macedonem Imperatorem statim renunciatum scribant ipso die Pentecostes, ut tradit Leo Grammaticus loco laudato, & Curopalates, qui eam dignitatem ei collatam scribit die vigesima sexta Maii, in quam anno 866. festum illud incidebat. Ignorabat itaque Nicolaus Pontifex mense Novembri præfati anni 866. quæ antea eodem anno in Oriente mensibus Aprilis & Maii acciderant. Corregebat anno uno cum Michaële Basilius, qui post annum virum insidias sibi parantem vino obrutum occidit, postquam post matris Theodoræ relegationem annos undecim imperasset, ut Cedrenus & Zonaras testantur. Diem & mensem mortis ejus mox memorabimus. Ejus Consulatus ac decessorum aliquot, monumenta non legi; sed eos hanc dignitatem, non minùs quam Bardam, gessisse; idque Tribunitiæ potestatis instar, quemadmodum tunc mos ferebat, nullo modo dubitandum.

XII. *Consulatus* Basilius enim Macedo, qui anno Christi 867. initio primæ Indictionis, vigesima quartâ die mensis Septembris, ut Auctor est Nicetas

tas in vita S. Igratii, Imperium adminiſtrandum fulcepit, Conſulatum geſſit; eo rerum poriente, octava Synodus generalis, anno 869. celebrata eſt, in cujus actionis primæ initio hæc verba leguntur: *In nomine Domini & Dominatoris omnium Jeſu Chriſti Dei Noſtri, Conſulatu ſereniſſimorum Imperatorum noſtrorum à Deo coronatorum, Baſilii anno III. Conſtantini filii ipſus II. Indiſtione III. tertio nonas Octobris.* Ita legitur in Editione græca, In Actione nona anno 870. celebratâ habetur: *Baſilii quidem ac Conſtantini anno III. Leonis verò anno I. perpetuorum Auguſtorum Indiſtione III. pridie Februarii.* Quibus ex verbis liquet primò Baſilium, Conſtantinum filium Auguſtum nuncupariſſe exeunte anno 867. non ſequenti, ut perperam conſignatur in Annalibus Eccleſiaſticiſ, quod ex eo evincitur, quòd anno 869. menſe Octobri ſecundus Conſtantini Imperii annus, Baſilii verò III. à Septembri currebat, annique ſequentiſ initio utriuſque tertius numerabaſur. Secundò, quod præcipuè intendimus, annum Conſulatus & Imperii Baſilii unò eodemque tempore cœptum fuiſſe. Neque hiſ obſtat quod in Baſilio Macedone Leo grammaticus à Frãſco Combeſilio viro eruditiffimo in calce Theophaniſ edituſ ſcribit: *ὁ βασιλεὺς περιελθὼν ἐν τῇ ἡμέρῃ τῷ χειρὶ γένων ἐν τῇ προελθουſίαι τῷ μεγάλῳ ἐκκληſίῳν ἐβάπτισεν Στίφῆνον υἱὸν αὐτοῦ. ὁ γὰρ ὁ βασιλεὺς ἐκ τῆς αὐτοῦ βαſίλειοſ βαſίλειοſ ἦν τὸ παλῆον μέχρι τῷ παλατίῳ, τῷ βαſίλειοſ βίβονταſ ὑπατίῳν ἐν τῇ ἰδῶ.* Id eſt, *porrò Imperator Nataliſiorum Chriſti die, celebri proceſſuſ, apparatus, ad magnam Eccleſiam profeſtus Stephanum filium ſuum baptiſavit, & equiſ candidiſ ad currum junctiſ, cum Auguſta in eo ſedit. Baanes autem præpoſituſ unâ cum eiſ ad palatium uſque puerum gerebat, Imperatore per viam nummorum munuſ ſpargente, ſeu exactiùſ, Conſulum more munera ſpargente.* Manifeſtum enim eſt eo in loco agi tantum de pompa & apparatu, ſeu de proceſſu Conſulari, non verò de ipſo Conſulatu, cum ſi anno 867. die Chriſti Natali, quo iſ proceſſuſ factuſ, Conſulareſ dignitateſ iniuſſet, anno 869. menſe Octobri, quo octava Synodus generalis inchoata eſt, ſecundus Conſulatuſ eiſ annuſ adhuc in curſu fuiſſet uſque ad Natalia Chriſti. Ex quo pariter intelligimus Theophanem, cum de Ireniſ iterum imperantiſ Conſulatuſ loquitur, de proceſſu Conſulari non verò de ipſa dignitate explicandum eſſe, noſtramque de Conſulatuſ poſt Conſtantinum Pogonatuſ, Tribunitiſ poteſtariſ inſtar geſtiſ, opinionem, certis innixam eſſe fundamentiſ, perperamque hætenuſ exiſtimatuſ poſt Juſtinum Juniorem, unam eandemque ac antea Conſulatuſ aſſumendi formam viguiſſe. Non

à Baſilio
Macedone
Tribunitiſ
poteſtariſ
inſtar geſtuſ.

prætermittendus hic ejusdem Leonis grammatici locus in eadem vita: Μάϊο ὃ πρώτη ἐξορίσθη) ἡ ἐγκαινίζετο ἡ ἐκκλησία, ἢ ἐκτίσθη ἡ βασιλεία, δὲ ἐκαλλώπιε κοσμῶ πολλῶν ὄντων Πατριάρχῃ, τῷ βασιλείῳ ἐν τῷ αὐτῆς καινισμῷ κῆρον φορέσαντι, ἡ χεῖρα ματα πολλὰ δόντι ἡ δὲ αὐτῷ ἐπονομάσαντι. Id est, *Maii* vero mensis die primo throno decoratur, & à Phutio Patriarcha dedicatur Ecclesia quam struxerat, & ornatu vario Imperator reddiderat insignem. Ea in celebritate locum gestavit ille, pecuniarum ingentem vim distribuit, & Novam appellavit. Locum illum rectè explicavit Dufresnius vir clarissimus, tam in Glossorio mediæ & infimæ latinitatis, verbo *lorum*, quàm in dissertat. de Numismat. inferioris ævi num. 6. ostenditque lorum, sic dictum, quoddam cinguli formam referret, diversum non esse à fascia Consulari, Clavo, subarmali, ac pallio; à quod ornamento pallium Episcoporum postea deductum. Non mirum itaque, si antequam Consulatus perpetuus esset, illum in dedicatione Ecclesiarum à domo Augusta ædificatarum aliquando assumerent Imperatores, cum eo ad se transito in id genus solemnium lorum ejusdem dignitatis Insigne gestarint. Basilium igitur Consulatam gessisse, eumque Tribunitiæ Potestatis instar; certum. Obiit anno 886. circa mensis Martii initium, uti ex duratione Imperii Leonis dicti Philosophi, seu Sapientis ejus filii, ac successoris liquet.

XIII.
Consulatus
perpetuus à
Constantino
Porphyrogenita
abolitus.

Leo Justiniani exemplo Codicem composuit, centum ac tredecim Novellis constantem; cujus nonagesima quarta, qua Novellam centesimam quintam Justiniani, qua de Consulatu agit, abrogat, ad rem nostram facit, ideoque integra recitanda: *Quoniam nostra legum repurgatio hunc sibi propositum finem habet, ut non modò illa quæ subinde rerum statum labefactant, verùm etiam quæ longo tempore silentio obruta, inutilia prorsus, & tanquam propter cariem publico usui non cohercèta esse videntur, è legali soto deleat: consequens est ut ea quæ de Consulatu tractat, legem tanquam nihil ad Republicam pertinentem, cum aliis inutilibus legali corpori eximas. Olim quidem Consularis dignitas veneranda erat, venerandosque qui ipsam subirent, & magnificentiâ præstantes efficitbat, ac id circo quibus Consulatam gerere obringeret, pro honore quam ex dignitate perciperent, remunerari Republicam volentes, liberalia promiscua pœbi numeratim largiebatur. Hæc initio quidem, quantum munificentiam faceret, cuiusque arbitrio permittebatur, post modum ad certam modam decreto legali circumscriptam placuit, atque hoc quidem, donec Consularis dignitatis in Republica majestas stornit, observatum esse apparet. Nunc etiam qui omnia tantæ temporis cursu, hanc etiam Consulare magnificentiâ è pristina gloria.*

gloria & amplitudine in abiectam speciem transformavit : ac verò qui ad illam procedunt , interdum sibi non sufficere , ne dum aliis erogare quicquam possint : illam de Consulatu legem , quam propterea altum silentium occupavit , cum aliis inutilibus (ut dixi) frustra legalibus Constitutionibus immixtam Decreto Majestatis nostra illuc eximimus. Quæ ex Constitutione patet , quantum jam Consulatus honorarius , de quo solo Leo Philosophus loquitur , vilesceret , Imperavit is annos viginti quinque , menses tres , quemadmodum Zonaras , Constantinus Manassès , & Glycas testantur , Leo enim Grammaticus errat , qui cum annos quinque supra viginti , menses octo regnasse scribit , obiitque anno Christi nongentesimo undecimo , *mensè Maio* , ut habet idem Zonaras ; vel accuratiùs uti Cedrenus , & idem Leo Grammaticus die illius mensis undecimo , Alexandro fratre antea successore designato , rogatoque , ut Constantinum Porphyrogenitam filium suum sexennem protegeret . Ex qua mortè sic rectè consignata , Basilium patrem ejus anno 886. circa mensem Martium demortuum esse manifestum sit . Alexander anno sequenti 912. die septima Junii , uti testes sunt Curopalates , & Cedrenus , è vita migravit , postquam imperasset annum unum , & dies viginti octo , non viginti novem , ut perperam in Leone Grammatico legitur . Constantinus Porphyrogenita penè infans Principatum iniiit , qui aliquot post annos Romanum Lecapenum socerum suum , novo & ad hanc diem inusitato honoris genere , Custodem Imperii creavit , annoque 919. Decembris decimo septimo die à Constantino Imperatore Imperii diademate ornatus est : *mox Maii decimo septimo Indictione quinta Christophorus Romani filius , Imperator renunciatur , & ejusdem mensis vicesimo sancta Pentecostes die festo , à Constantino redimitur : istique duo sati ejusdem diei processu solemnè per Urbem progressi sunt* , inquit Leo Grammaticus in Leone , *cujus ultima verba in Græco , ὁ μόνος ἔτι ἐν δὴ ἐν τῇ ἀυτῇ προελύσει προὔλδου* , eorundem Consulatum designare videntur . Neque enim Historici Græci processum Consularem aliis explicare solent . Corrigendus autem error ejusdem Auctoris , ac loco *Indictione quinta* , legendum *Indictione nona* , quæ in annum 922. littera Dominicali G. notatum incidit , quo festum Pentecostes cum die vicesima Maii concurrat . Ad annum usque Christi 959. vixit idem Constantinus , eoque , nono Novembris die Romani filii sui parricidio sublatus est , uti docent Curopalates , & Cedrenus , qui cum id Indictione tertia , à Septembri nempe cæpta , factum dicant liquet perperam Baronium eam mortem in annum sequentem contulisse . Post Constantinum nulla in Auctoribus Byzantinis , aliisve monu-

mentis,

mentis, Consulatus perpetui mentio, nullumve vestigium: unde eo imperante abolitum fuisse conjicere licet. Quod & Onuphrius lib. 1. Fast. jam observavit. Consulatus itaque perpetuus, Tribunitiæ potestatis instar gestus, per quatuor circiter sæcula viguit, annoque tandem incerto desit: cujus abrogationis causam infra assignabimus.

XIV.
*Consulatus
 à Carolo
 Magno Tri-
 bunitia pote-
 statis instar
 sumptus.*

Sed ut Onuphrii opinio, quæ huc usque viguit, ex omnium animis tandem evellatur, causaque cur Consulatus, qui per tot secula tanti habitus fuerat, ab Imperatoribus neglectus, tandemque abolitus fuerit, dignosci possit, observandum Francos, Italos, & Saracenos præfatam Consulatus perpetui speciem à Constantinopolitanis Imperatoribus mutuatos fuisse. Carolus enim magnus Imperio Occidentali, die Christi Natalitio, anno octingentesimo restituito, ut ostenderet eadem se quæ Orientales Imperatores dignitate potiri, totiusque Imperii autoritatem in se translatam, iisdem quibus ii, titulis uti voluit, adscripto scilicet Consulatus titulo, quem Imperatores iis semper adjunxere, inquit Dufresnius in glossario mediæ & infimæ latinitatis verbo *Consul*, qui tamen rectius dixisset, Consulatum ab illis sæpè aliis titulis additum, non verò semper, cum plerumque solius Imperii nomen in eorum diplomatis legatur. Quod & à Carolo Magno, ejusque aliquot successoribus eorum exemplo etiam factitatum. Baronius anno 801. num. 9. refert ex Sigonio libro quarto de Regno Italiæ, præfationem legis à Carolo Magno eodem anno datæ, in qua dicitur: *anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi 801. Indictione nona, anno Regni nostri in Francia XX XIII. in Italia XXVIII. Consulatus autem nostri I.* Ubi vides eum Orientalium Imperatorum exemplo primum Imperii, primum etiam Consulatus annum appellare. Dufresnius loco laudato ait, omissum forte Notarii vel exscriptoris vitio, Imperii annum primum, qui inquit, *Consulatus annum præcedere debuit, prout fieri consueverat in Byzantinorum Augustorum tabulis, quod etiam in Caroli successorum chartis factitatum observamus.* Sed frustra, locus purus est, opinionemque communem tam penitus insitam, vel solus Francorum Imperatorum usus evertit.

XV.
*Ludovici
 Pii, & Lo-
 tharii Imp.
 Consulatus
 Tribunitia
 potestatis in-
 star gestus,*

Carolo Magno, anno 814. quinto Kalendas Februarii demortuo, uti inter omnes convenit, Ludovicus Pius filius successit, statimque se Consulem dixit. Baronius anno 826. num. 1. refert celebratam Romæ ab Eugenio II. Synodum, cujus initio legitur: *Imperante D. N. piissimo Augusto Ludovico coronato Imperatore, anno XIII. & post Consulatum ejus anno XIII. Indictione IV. mensis Novembris die XXV.* Quare cum anno 826. annus Consulatus ejus XIII. curreret, eundem

eundem cum Imperio anno 814. inierat. Idem Imperator Lotharium filium anno octingentesimo decimo septimò Aquisgrani coronâ Imperiali donavit, à quo anno Imperii Lotharii anni sæpè memorati reperiuntur. Extat pag. 237. tomi 8. Conciliorum Epistola tertia Nicolai Pontificis Romani, quâ anno 855. Monasterii Corbeiensis privilegia confirmavit, quæ his verbis clauditur: *Actum Nonis Octobris per manum Theophylacti Secundicerii S. Sedis Apostolica, imperante Domino piissimo Augusto Hlotario à Domino coronato Magno Imperatore, anno XXXIX. & post ejusdem annum XXXIX. sed & Ludovico novo Imperatore ejus filio anno VII. legendum sine dubio post ejusdem Consulatum anno XXXIX.* Eo quidem anno tertio Kalendas Octobris obierat Lotharius, sed ejus mortis nuncium nondum Roman pervenerat. Consulatus itaque ab eo, patris, avi que exemplo, ipso Imperii initio susceptus. Advertendum tamen Lotharium in hoc ab Imperatoribus Constantinopolitanis dissensisse, quod hi quando viventibus patribus in Imperii consortium vocabantur, vel tunc Consulatum non sumerent, vel si sumerent, à Consulatu tunc gesto anni eorum non numerarentur. Contra verò Lotharius tam Imperii, quàm Consulatus annos ab anno 817. quò ante mensem Octobrem, ut præfatâ subscriptione constat, Collega Imperii à patre factus est, numeravit. Ludovicus Pius XII. Kal. Julii anni 840. supremum diem obiit.

Ludovici Imperatoris hujus nominis II. Lotharii filii, quartique Francorum Imperatoris quadruplex est Epocha, quarum secunda cum tertia ab omnibus quos legi confusa. Prima ducitur ab anno 844. quò à Sergio secundo Romano Pontifice Longobardorum Rex coronatus est, ut videre est apud Baronium eodem anno, numero quinto. Secunda ab anno 849. non verò 848. ut perperam idem Baronius habet, quò à patre in consortium Imperii Italici adscitus est. Tertia ab anno 850. quò Imperator à Leone quarto unctus fuit. Quarta denique ab anno 855. quò patri Lothario exeunte Septembri demortuo in Imperio successit. Porro sicut hic vivente Ludovico Pio patre Consulatum cum Imperio iniit, ita & Ludovicus secundus anno octingentesimo quinquagesimo utramque dignitatem todem tempore suscepit. Extat apud Jacobum Dubletium lib. undecimo cap. 6. Antiquit. Monasterii S. Dionisi, diploma Benedicti tertii Romani Pontificis de rebus ac privilegiis Corbeiensis Abbatix his verbis subscriptum: *Datum per manum Megisti Episcopi & Bibliothecarii S. Apostolica Sedis, quinto Idus Maii, imperante Domino piissimo perpetuo Augusto Ludovico, à Deo coronato magno Imperatore, Consulatus ejus*

XVI.
Ludovicus
II. Consula-
tum Tribu-
nitia pote-
statis in sua
esset.

anno octavo, Indictione septimâ. Jam viri docti monuere legendum Indictione V. quæ in annum 857. competit. Certum enim est Benedictum tertium anno 858. Indictione sextâ notato supremum diem obiisse. Annus autem 857. octavus erat tam Imperii quàm Consulatus Ludovici secundi. Tomo 8. Conciliorum generalium pag. 397. extat Epistola Nicolai, Benedicti tertii successoris ad Trasulfum Abbatem Corbeiensem data, quæ in hæc verba definit: *data IV. Kalendarum Maias per manum Tiberii Primicerii S. Sedis Apostolica, imperante Domino piissimo Augusto à Deo coronato magno pacifico Imperatore, anno XIV. & post ejus annum XIV. Indictione XI.* quæ annum 863. exhibet. Sed loco *post ejus annum XIV.* legendum *post ejus Consulatum anno XIV.* Librarii enim hanc loquendi formulam non intelligentes eandem depravarunt. Qua subscriptione non tantum evincitur eundem Ludovicum anno 850. ante diem vicefimum octavum Aprilis, quo ea epistola scripta, Imperatorem renunciatum esse, ipso fortè Paschatis die, quæ eo anno in sextum ejusdem mensis diem cadebat, sed etiam eum Consulatum Tribunitiæ potestatis instar gessisse, nec plures Imperii, quàm hujus dignitatis annos numerasse.

XVII.
Epocha Ludovici secundi accuratè explicata.

His tamen obstare videtur Hadriani Nicolai primi successoris Epistolæ ad Aetardum Nannetensem Episcopum clausula, in qua legitur: *V. Kal. Martias imperante Domino nostro piissimo perpetuo Augusto Ludovico Magno Imperatore anno XIX. & post Consulatum ejus XV III. Indictione I. ubi observa,* inquit Dufresnius, qui loco citato eandem subscriptionem refert, *annum Imperii anno uno Consulatus annum precedere. Quippe Ludovicus II. à patre in Italiam missus à Leone IV. in Imperatorem unctus fuit anno 850. ut est in Annalibus Bertinianis, Consulatum autem inivit, aut sanè auspiciatus est anno 851.* Sed communi errore deceptus vir doctissimus non animadvertit in ea clausulâ Imperii ab anno 849. Consulatus verò Epocham ab anno sequenti duci. Hæ enim duæ Epochæ, quæ communi etiam errore inter se confunduntur, omninò distinguendæ. Prior non tantum deducitur ex aliquot diplomatis, à Margarino in Bullario Casinensi recitatis, sed etiam ex subscriptione num. XV. hujus capituli relatâ, in qua annus 855. Nonis Octobris septimus erat ejusdem Ludovici. Quod dici non posset, si ante annum 849. vel post illum, ejus Imperium Italicum, cujus ibidem mentio, cœpisset. Præterea Synodus Romana sub Leone quarto celebrata est, *in mense Decembri, die octavo, Indictione II. anno V. Imperii Ludovici,* ut legitur in eadem Synodo, & Anastasius docet, anno nempe Christi 853. ut ea Indictio ostendit. Præfata verba bis in Actis Concilii à Baronio eodem anno

num.

num. XXXII. & XXXV. relatis repetuntur. Sed quomodo vera esse possunt, nisi Ludovicus anno 849. Imperii Italici particeps factus fuerit? Posteriores Epocham Ludovici Consulatus, & aliqua ejus diplomata ab eodem Margarino tomo secundo ejusdem Bullarii descripta certam reddunt, adeo ut de utraque nulla in posterum dubitatio esse debeat. Quare Ludovicus aliquot Imperatorum Orientalium exemplo, alteram Epocham ab Imperio Italico à patre accepto deduxit, sed præter eorum morem, Consulatus Epocham ab eo anno, quo Imperator à Pontifice Romano unctus est, licet adhuc pater viveret. Quare annus 866. quo præfata epistola scripta, decimus nonus fuit ejus Imperii Italici, & decimus octavus ejus Consulatus, seu Imperii post coronationem administrati. Cùmque idem decimus octavus Consulatus annus adhuc exeunte Februario curreret, & decimus nonus ante diem XXVI. Aprilis, uti jam diximus, inciperet, de Imperio eidem die Paschatis anno 850. collato conjectura nostra magis confirmatur.

Idem Ludovicus II. anno octingentesimo septuagesimo quinto die ultima Augusti è vivis excessit, Imperiumque Romanum ac Italiae Principatum suscepit Carolus Calvus, qui ipso Natalis Christi die à Joanne octavo unctus & coronatus est. Hunc non aliter quàm postremos Imperatores Constantinopolitanos, Imperii & Consulatus annos numerasse, Consulatumque Tribunitiæ potestatis instar gefisse ostendunt tria diplomata, quorum subscriptionem idem Duffelnus loco laudato recitat. Primum est Joannis VIII. pro Monasterio Herensi Diœcesis Piëtaviensis datum. *Imperante Domino piissimo Augusto Carolo à Deo coronato magno Imperatore post ejus Consulatum anno I.* Secundum ejusdem etiam Pontificis est pro Monasterio S. Medardi Sueffionensi datum *in mense Januario, Indictione IX. IV. nonas Januarii, Pontificatus nostri anno IV. anno I. regnante Domino piissimo Carolo Imperatore à Deo coronato, & post Consulatum ejus anno I.* Conveniunt hi characteres in annum Christi 876. Tertium ejusdem etiam Pontificis asservatum in Tabulario Flaviniacensi sic clauditur: *Scriptum per manum Gregorii Notarii Regionarii & Scrinarii S.R.E. in mense Maio Indict. X. bene valete IV. Kal. Jun. per manum Anastasii Bibliothecarii S. Sedis Apostolica, imperante Domino piissimo perpetuo Augusto Carolo à Deo coronato magno Imperatore, anno secundo, & post Consulatum ejus anno secundo Indict. X.* Ex quibus intelligere est non tantum Occidentis Imperatores Consulatus & Imperii annos non nisi diversâ loquendi formulâ distinxisse, sed ut id facerent, Imperatorum Orientalium exemplo motos fuisse; ideoque

XVIII.
Consulatus
à Carolo
Calvo Imp.
Tribunitiæ
potestatis
instar ge-
fuit.

verum esse quod diximus , Constantinum Pogonatum insignem mutationem in Fastos Byzantinos invexisse. Carolus Calvus Nonis Octobris anno 877. Imperii III. ut ait Flodoardus , mortuus est.

XIX.
Consulatus
Trib. potest.
instar ab
Imp. Italia
gestus.

Idem ab Italiae Imperatoribus factum. Carolo enim Crasso Caroli Calvi in Imperio Occidentali successore anno 889. pridie Idus Januarii , ut habet Regino, demortuo, tam Romanum Imperium, quam Francorum Regnum fluctuavit, & utrumque in varios discissum est Principatus. In Italia Berengarius Forojulienfis Dux, & Guido Spoletanus Imperii jura suscipere; cumque Berengario exacto Guido prevaluisset, Imperii diadema & titulos à Formoso Romano Pontifice anno 891. aut circiter accepit. In hujus diplomatis pontifice pro Monasterio S. Theoderii Diocesis Viennensis hæc clausula legitur: *Dat. VII. Kal. Decembris per manum Sergii primicerii defensoris S. Sedis Apostolica, imperante Domino piissimo perpetuo Augusto Vvidone à Deo coronato magno Imperatore, anno primo, & post Consulatum ejus anno primo.*

XX.
Consulatus
Trib. pot. instar à Saraceno-
rum Regibus gestus.

Denique Saracenorum, qui Hispanias occuparant, Duces, postquam civitates & præfecturas à se administratas regio nomine usurpavere, quod non nisi longo post temporis intervallo ab iis factum esse Hieronymus Zurita ad annum 778. docet, eodem Constantinopolitanorum Imperatorum exemplo, se Consules dixere, Imperiique & Consulatus annos non distinxere. S. enim Eulogius in memoriali Sanctorum lib. 2. cap. 1. de Abderamine Saracenorum in Hispania Rege loquens ait: *In nomine Domini, regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo. Anno Incarnationis ejus octingentesimo quinquagesimo. Erà octingentesimà octuagesimà octavà: Consulatus autem Habdarragman XXIX. cujus temporibus rebus & dignitate gens Arabum in Hispaniis aucta totam penè Hyberiam diro privilegio occupavit: Cordubam verò, qua olim Patrisia dicebatur, nunc sessione sua urbem Regiam appellatam, summo apice extulit, honoribus sublimavit, glorià dilatavit, divitiis cumulavit, cunctarumque deliciarum mundi affluentia (ultra quam credi, vel dici fas est) vehementius ampliavit; ita ut in omni pompa seculari prædecessores generis sui reges excederet, superaret, & vinceret. Abderamen anno 821. ut Auctor est Rodericus, Cordubæ imperare cœpit. Quare annus Christi 850. tam Imperii quam Consulatus ejus decimus nonus fuit. Anno 852. Mahomat patri Habdarragman, seu Abderamini demortuo in Imperio successit; de quo idem Eulogius, qui tum vivebat, lib. 3. cap. 1. ait: *adeptus Mahomat patris Imperio, confestim in promptum odium contra nos prorumpens, ipso die, quò fascibus insulatus solum regnaturus conscendit,**

ait, Christianos omnes, Palatio abdicans indignos Aula principali ministerio promulgavit. Quibus ex verbis manifestum fit, Muhamedum Consulatum sicuti patrem sumpsisse. Ambrosius Morales in scholiis ad caput primum libri secundi Eulogii præfata verba explicans dicit ea esse ex Latini sermonis licentia, quâ regum Consulatum, summos Regni Magistratus Consules, honores etiam & dignitates fasces vocat. Idem facit Samsón Abbas Cordubensis, de quo antea diximus. Hæc illæ. Sed vana hæc explicatio, licet enim Eulogius fictis quibusdam ac novatis verbis & phrasibus aliquando utatur, præfatis tamen in locis planè & latinè loquitur, cumque ipso Morale fatente, idem loquendi modus à Samsone Abbate Cordubensi usurpetur, liquet id ex proprietate, non ex licentia sermonis Latini factum fuisse. Sed idem Morales, qui non adverterat Imperatores Orientis, Occidentis, & Italici per hæc tempora annos à Consulatu numerasse, eam adhibuit interpretationem.

Porro Samsón Abbas Cordubensis, de quo antè loquutus fuerat Morales, fuit presbyter Eulogii coætaneus, vir in Philosophiæ & sacrarum litterarum studiis versatus. Scripsit Apologeticum tribus libris distinctum contra Hostigesium Malacitanum Episcopum, à quo in Concilio Cordubensi cum convitio hæreticus appellatus fuerat. Quod opus Gothicis litteris descriptum in Ecclesiæ Toletanæ Bibliotheca asservari, idem Morales in scholiis ad lib. 1. Eulogii asserit, refertque ejus Epitaphium in quo legitur cum obiisse Era 928. Christi nempe 890. quare cum Samsón, eodem quo Muhamedus Cordubensis Rex, qui ad annum usque 887. imperavit, ut testis est Rodericus, tempore vixerit, ejusdemque regis Consulatus mentionem fecerit, non dubium quin à Regibus Cordubensibus Consulatus Tribunitiæ potestatis instar gestus fuerit, idemque Abbas propriè, non verò figuratè, aut ex Latini sermonis licentia loquutus fuerit. Imò sicuti in Oriente Imperatores, qui à Consulatu Imperii annos deducebant, plures alios Consules honorarios creabant, ita & in Hispania, nono Ecclesiæ sæculo, Saracenorum Reges, non tantum se, sed summos etiam Imperii sui Magistratus Consules appellabant, ut videre est apud eundem Eulogium lib. 2. cap. 6. qui & lib. 1. cap. 1. eum, qui totius Reipublica in Hispaniis administrationem gerebat, Proconsulem vocat. Neque meliùs Abderaminis Consulatum in Glossario mediæ & infimæ latinitatis, verbo Consul, Carolus Dufresnius explicat, dum ait hanc vocem eo in loco designare præfecturam maris, qua Abderamen exornatus fuit, eo fundamento innixus, quodd sequentibus sæculis ad illud munus significandum, ea vox à Saracenis usurpata

XXI.
Saracenorum
Reges Consulatum
Trib. pot. instar
gessisse,
confirmatur.

pata fuerit; quasi Abderamen Rex potentissimus, quique, ut ait Eulogius loco laudato, in omni pompa seculari prædecessores generis sui Reges superavit, rei tantam maritimæ Præpositus fuerit, Admiraliorumque non minùs, quàm Regum anni apud Saracenos in actis publicis numerati fuerint. Certum itaque manere debet, post Constantinum Pogonatum, Imperatores Orientales Imperii & Consulatus annos non distinxisse, eorumque exemplo Imperatores Occidentis, qui in Gallia & Italia, & Reges Cordubenses qui in Hispania Principatum obtinuere.

XXII.
Aboliti Consulatus causa ejusque umbra in privatis relictæ.

Atque hinc hujus nominis neglectus contemptusque ortus; cum enim honorum tituli à pluribus usurpati splendorem amittere, sensimque negligi, ac tandem extingui soleant, cœpit Consularis dignitas ab aliis Principibus assumpta, vilescere, & ab Imperatoribus Constantinopolitanis in minimis poni, ac demum post annum Christi, ut jam diximus, nongentesimum ab iisdem abolita est. Verum quidem est circa annum nongentesimum tricesimum tertium Albericum Marozie Romæ imperitantis filium, & circa annum nongentesimum octuagesimum quintum Crescentium Numentanum, Consulum nomen Romæ renovasse, sub eoque titulo tyrannidem exercuisse; sed infelici successu, ut videre est apud Sigonium lib. 6. & 7. de Regno Italiæ, ac Baronium in Annalibus Ecclesiasticis. Per quadringentos itaque ferè annos, Consulatus penes Imperatores Orientales fuit, sed dispari ratione; per annos enim duos supra centam Era Imperii Consulatus Era posterior fuit, sed per reliquum tempus, qui Imperii, is & Consulatus annus extitit. Illius dignitatis, tituli que umbra, ac imago quædam penes privatos remansit; ex Glossario enim mediæ & infimæ latinitatis verbo *Consul* & *Consularis* discimus variorum ordinum viris nomen illud postea tributum fuisse, Consulibusque dictos, qui in Emporiis, seu maris portibus mercatorum jura ac merces tuentur. Codinus lib. cap. 7. num. 9. Pachymeres lib. 2. cap. 32. & Gregoras lib. 4. observant Pisaneorum Magistratum, qui Constantinopoli degebat, *Consulatum* appellatum. Hoc etiam nomine insigniti Admirali, seu supremi classium Præfecti apud Saracenos. Kifangerus anno 1272. ait: *Admiralius Ioppensis, natione Saracenus, qua dignitas apud nos Consulatus vocatur.* Consulatu Curie summa etiam rerum & præcipua administratio explicata, unde Albertus Stadenfis ann. 1068. de Alberto Episcopo loquens, ait: *Summam rerum, quod est vicedominatus, jam septies Consul meruit.* Consul etiam pro Comitæ sumptus, uti in legibus Eduardi Confessoris cap. 2. quæ modo vocatur *Comitatus*, olim apud Britones temporibus Romanorum in Regno isto

iſto Britannia vocabatur Conſulatus, & qui modò vocantur vicecomites, tunc temporis Viceconſules vocabantur. Ille verò vocabatur Viceconſul, qui Conſule abſente ipſius vices ſupplebat in jure & in foro. Ita uſurpant paſſim ſcriptores, quorum plures citat Duſtreſnius, ejuſdem Gloſſarii Auctor doctiſſimus, qui & obſervat Magiſtratus urbanos, in multis civitatibus Scabinos vocatos, Conſules etiã dictos fuiſſe, quod & in Gallia frequens.

CAPUT ULTIMUM.

Chronologia Aureliana.

Conſulatu tertio Aureliani Imperatoris, qui in Epigraphe Forojuſiendi memoratur, duplici modo explicato, datãque occaſione, cæteris Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus ſedulò diſcuſſis, reliquum eſt, ut ejuſdem Imperatoris Chronologiæ, non parùm obſcuræ, aliquam lucem affundamus; cætera enim in præfata Inſcriptione contenta jam à viris doctis occupata ſunt; actumque agere, rei litterariæ magis obæſt, quàm proſit. Incipio ab annò, qui Aureliani Imperium præceſſit, quòd aliqua illi attribuantur, quæ ad Claudiſii Imperium pertinere mihi perſuaſiſſimum eſt.

I.

ANNO CHRISTI 269.

Cyclo Solis 26. C. Lunæ 4.

Coſſ. M. Aurelius Claudius Aug. II.

Quinius Pateruus.

Cùm Paulus Samolaſatenus damnatam priore Concilio Antioche-
no, Gallieno imperante, celebratò, hæreſim repetiſſet, ſecundum
adverſus eum in eadem urbe hoc anno coactum eſt, licet illud Baro-
nius in Annalibus in annum 272. aliique communiter omnes in an-
num 270. differant, & inter eos conveniat, Aureliano imperante il-
lud celebratum fuiſſe; niſi quod Valeſius in Notis ad Eufebium
lib.7. cap.31. partim ſub Claudio, partim ſub Aureliano habitum,
ac ſub priori cœptum, ſub poſteriori verò abſolutum ſcripſerit. Sed
eodem Claudio imperante, & cœptum, & finitum, quæ mox affe-
remus, evincunt. Et quidem, quoad anni tempus nemini hætenus
obſervatum.

II.

observatum, Autunnum fuisse minimè dubitandum; in Epistola enim Synodica, quam Episcopi ad Dionysium Romanum Pontificem scripsère, quamque Eusebius lib.7. hist. cap.30. refert, iidem dicunt: *nunc quoque Antiochiam venturus erat Firmilianus: & jam Tarsum usque* (Ciliciæ oppidum est) *pervenerat. Sed cum nos jam venissemus; interea loci dum accersimus, dum ejus adventum expectamus abiit è vita.* Græci, ut in eorum Menologio videre est; Firmiliani Cæsareæ in Cappadocia Episcopi festum die vicesima octava Octobris celebrant; quare si eo die Firmilianus ad cælestem patriam migravit, circa Octobris initium Concilium coactum. Quod dum celebraretur, idem Dionysius Pontifex die vigesima sexta Decembris è vivis excessit, uti rectè Catalogus veterum Pontificum ab Henschenio editus testatur. Ea mors in annum sequentem eandem Synodum prorogatam ostendit; non enim Episcopi ad eundem Pontificem scripsère, nisi quia mortuum ignorabant, ideoque anno sequenti, quod & demonstrare videtur Concilium Ephesinum, in quo Paulus Samosatenus damnatus dicitur ante annos centum & sexaginta. Sic enim, ut notat Valsius loco laudato, habet libellus contestationis Cleri Constantinopolitani publicè in Ecclesia propositus, *quod Nestorius ejusdem sententia sit cum Paulo Samosateno, ante annos centum sexaginta ab Orthodoxis Episcopis anathemate condemnato.* Scriptus est hic libellus Consulatu Theodosii Augusti XIII. & Valentiniani III. anno nempe Christi 430. antequam Synodus in urbe Epheso congregaretur. Ab anno autem Christi 270. ad annum 430. anni sunt completi & solidi 160. Eodem loco, utitur Valsius, ut ostendat eo anno Synodum celebratam, perperamque à Baronio anno 272. consignatam fuisse. Sed si Baronius eum annum, qui Aureliani Augusti, & Pomponii Bassi Consulatu notatus est, 271. uti secundùm rectam Chronologiam debuit, appellasset, nihil ex eo contra ejus sententiam deduci posset. Eo itaque loco ejusdem quidem Chronologia eversa, sed sententia minimè concussa; qui enim eam defendunt, respondebunt in ea annorum collectione ultimum tempus, ut sæpe fit, excludi. Porro usque ad annum sequentem Synodum continuatam fuisse ostendunt etiam verba Eusebii, qui loco laudato ait, cum Paulus Episcopatu excidisset, Domnusque administrationem Antiochensis Ecclesiæ à Synodo ordinatus suscepisset, illum è domo Ecclesiæ nullatenus excedere voluisse, & non nisi Aureliano Imperatore jubente ab ea expulsus fuisse. Aliquanto itaque tempore Episcopi Antiochiæ substitère. Quod si in priori Concilio adversus eundem habito, *multa disputationes, & quæstiones in unoquoque consessu*

sessu agitata sunt, ut inquit idem Eusebius lib. 7. cap. 28. idem in posteriori factitatum non dubitandum; ideoque cum ob mortem Firmiliani tardius illud inchoatum fuerit, anni sequentis initio adhuc congregatum fuisse, certum.

Hanc synodum, Claudio imperante, celebratam fuisse, non tantum docent Hermannus Contractus, Eutyches Patriarcha Alexandrinus; cujus verba in Collectione Conciliorum Generalium leguntur, Marianus Scotus, & Abbas Uspergensis, sed & Methodius ab eodem Mariano laudatus, qui de Claudio Imperatore loquens ait: *Hujus temporibus ultimum apud Antiochiam Episcoporum Concilium congregatur, in quo Paulus manifestè convincitur hereticus, & damnatur ab omnibus, quæ sub Cælo sunt, Ecclesiis Christi &c.* Neque sub aliis, quàm sub præsentis anni Consulibus cogi illud potuit; cum sub iis Dionysius Pontifex Romanus, uti jam observavimus, ad quem Episcopi scripsere, extremum diem obierit, communisque opinio alii non innitatur fundamento, quàm Eusebii loco malè intellecto, ut infra videbimus. Dionysii itaque Pontificis Romani mors ab hoc anno, quò & eam contigisse Anastasius Bibliothecarius testatur, minimè removenda, præfataque Synodus in hunc tandem annum quasi postliminio restituenda.

III.

A N N O C H R I S T I 270.

Cyclo Solis 27. B. Lunæ 5.

Coss. *Antiochianus.*
Orsius.

Claudius Imperator sub hujus anni finem vitâ functus est, postquam imperasset annos duos, & menses circiter septem. Quare erratum à Petavio in Chronico & in Rationario temporum, à Calvino in opere Chronologico, aliisque viris doctissimis, qui aliquorum Antiquorum auctoritate fulti, eum tantum annum unum & menses decem imperasse tradidere; Gruterus enim Inscriptionem Claudii refert, in qua is dicitur TRIB. POT. III. COS. II. tertium itaque Imperii annum attigit; imò nec ante diem vicesimam sextam Octobris currentis anni decessit. Norisius Dissertat. de Vot. Decennal. cap. 6. observat in lib. 1. Codicis Justiniani tit. 23. l. 2. de divers. Rescrip. in titulo notari: *Imp. Claudius Aug. Epagatho, & signari: Datum VII. Kal. Novemb. Antiochiano & Orsio Coss.* quâ subscriptione

IV.

Z z

zione

tionem liquet non tantum exente Octobri Claudium adhuc in vivis fuisse, sed & Synodum Antiochenam jam celebratam fuisse, cum jam ferè ab anno Dionisius Pontifex Romanus obiisset, neque tandiù Antiochiæ mors ejus ignorari potuerit, præsertim ob tumultus à Paulo Samosateno in Oriente excitatos. Lucius Domitius Aurelianus, vir bello fortis, sed naturâ ferocior, ut ait Vopiscus in ejus vita cap. 21. Claudio successit, cujus Imperii initio à Marcomannis omnia circum Mediolanum graviter evastata sunt. Postea tamen ipsi quoque Marcomanni superati sunt, inquit idem Vopiscus loco laudato, cap. 18. quod hoc anno gestum esse, quæ sequenti dicam, ostendent.

ANNO CHRISTI 271.

Cyclo Solis 28. A Lunæ 6.

Coss. Aurelianus Aug. II.

Pomponius Bassus.

V. Aurelianum Imperatorem, qui ante susceptum Imperium Crinito Collegâ, anno 259. Consul suffectus fuerat, hoc anno Consulatem iterum dici debere, ex iis quæ suo loco diximus, probatum manet. Marcomannis in Gallia, Italiaque cuncta vastantibus, ingentes Romæ seditiones motæ sunt. Quare etiam libri Sibyllini noti beneficiis publicis inspecti sunt, inquit Vopiscus in Aureliano cap. 18. qui capite sequenti dicit, Senatusconsultum, quò eos libros inspicere jussum, factum esse die tertio Idus Januariæ, ac dein capite 20. refert Aureliani rescriptum ad Senatum, quò discimus librorum Sybillinorum lectionem Christianis vetitam fuisse: miror vos, inquit, Patres sancti, tandem de aperiendis Sibyllinis dubitasse libros, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo Deorum omnium tractaretis. Extant Sibyllarum oracula octo libris carminum inspersa, in Bibliotheca Patrum, quæ Antiqui Patres ad Christianæ Religionis confirmationem sæpè protulerunt, quæ an sint genuini Sibyllarum factus, nostro seculo in magnam controversiam vocatum. Videnda opera hac de re edita; nobis enim hinc dicere sufficit, licet Sibyllarum carmina prorsus genuina & incorrupta non sint, quæ tamen ab Antiquis Patribus laudantur, Christianorum signa non esse.

VI. Superatis ad Placentiam Marcomannis, Aurelianus Romam petiit, ubi crudeliter se habuit: Interfecti sunt enim nonnulli etiam nobiles Senatores, inquit Vopiscus cap. 21. qui addit: adhibito consilio Sena-

ſeu de Conſulibus Caſareis.

375

ſic muros urbis Romæ dilatavit. Quod cum Aureliano & Baſſo Conſulibus, Idatius in Faſtis factum doceat his verbis : *His Coſſ. muri urbis capti fieri :* conſtat quæcumque Vopifcus ante eam murorum urbis Romæ inſtaurationem narravit, hoc vel præcedenti anno geſtum eſſe; ideoque Marcomannorum evaſtationes, anno ſuperiori, inſpectionem verò librorum Sibyllinorum, præſenti rectè conſignatas eſſe.

Transactis, qua ad Urbis ſtatum, & civilia pertinebant, contra Palmyrenos, id eſt, contra Zenobiam, qua filiorum nomine Orientale tenebat Imperium, iter flexit, inquit Vopifcus cap. 22. de Aureliano loquens.

VIB

ANNO CHRISTI 272.

Cyclo Solis I. GF. Lunæ 7.

Coſſ. *Quietus.*

Voldumianus.

Aurelianus in Orientem profectus, multa in itinere, ac magna bellorum genera confecit. Byzantium, Tyanam, Antiochiam, & alias urbes obtinuit, ut videre eſt apud Vopifcum, qui addit, poſt hæc pugnatum eſſe de ſumma rerum contra Zenobiam, quam captam triumpho reſervavit, *ut populi Romani oculis eſſet oſtendi,* addit idem Vopifcus cap. 30. quod hoc anno, haud longè Antiochia factum eſſe, Euſebius in Chronico juxta editionem Scaligeri teſtis eſt.

VIFB

Zenobiâ, quæ, ut docet Athanaſius in Epiſt. ad Solitarios pag. 663. Paulo Samofateno patrocinaſſetur, captâ, is ſententiam adverſus ſe in poſteriori Synodo Antiochena prolatam ſubire coactus eſt, ut diſcimus ex Euſebio lib. 7. cap. 29. cujus verba perperam intellecta pleroſque omnes hæcenus in errorem induxere. Licet enim idem Euſebius Paulum Samofatenum, Aureliano imperante, ex Eccleſia exturbatum dicat, illi tamen volunt ipſum docuiſſe ſub ejus Imperio poſteriore Synodum Antiochenam celebratam fuiſſe; qui error, ut tandem tollatur, Euſebii verba expendenda ſunt : *κατ' ὄν τελευταίας συγκλητικῆς πλείων ὄσων ἐκκλησίῶν ſυνόδου, φεραδεις ἢ πρὸς ἀπάντων ἢ δι' ἑαυτῶν καταγενομένης ἑτεροδοξίας ὃ τῆς χριστιανικῆς ἀντιόχειας αἰρέσεως ἀρχηγός, τῆς ἐκ τῆς ἑρατὸν καθολικῆς ἐκκλησίας ἀποκηρύχτης.* Id eſt, ut Chriſtophorſonus vertit : *cujus (nempe Aureliani) temporibus Paulus*

IX

Z. Z. 2. 100

lus Dux & author erroris, qui Antiochia grassabatur, in postremo Concilio Episcoporum, numero prope infinitorum contra eum convocato, sui erroris & peregrina opinionis perspicue convictus, & omnium jam consensu palam condemnatus, ab universa & Catholica Ecclesia, qua sub caelo est, penitus exturbatus fuit. Significat itaque Eusebius Paulum Samosatenum, imperante Claudio, in Concilio secundo Antiocheno convictum & condemnatum, Aureliani tandem temporibus ex Ecclesia penitus exturbatum fuisse, neuiquam vero ut illi imponitur, Aureliano imperante Synodum illam coactam. Quare Methodius supra à nobis laudatus, qui ea Eusebii verba exscribit, rectè eam ad Claudium, non verò ad Aurelianum retulit. Valesii itaque versio hæc rejicienda, utpote ab Eusebii mente aliena: *Hujus temporibus (nempe Aureliani) postrema Synodus innumerabilium ferè Episcoporum congregata est: In qua author ille nefaria apud Antiochian Hereseos Paulus cõvictus & ab omnibus manifestissime deprehensus falsi dogmatis reus, ab universa, qua sub caelo est, Ecclesia Catholica eliminatus est.* Nicephorus lib. 6. cap. 28. in duobus deceptus est. Primum Epistolam Synodicam, quam Eusebius refert lib. 7. cap. 30. priori Synodo Antiochenæ perperam attribuit, ideòque Firmilianum eodem tempore, quò Dionysium Alexandrinum anno nempe Gallieni Imperatoris duodecimo, demortuum fuisse scribit; ac præterea secundam Antiochenam Synodum sub Aureliano habitam fuisse tradit; Baroniumque in priorem errorem, & in posteriorem, non tantum hunc, sed omnes qui post eum scripsere, induxit. At sicuti Eusebius in Chronico anno decimo tertio Gallieni de Paulo loquens, quæ sub eodem Imperatore, ac sub Claudio contra eundem Paulum gesta sunt, uno tenore prosequitur dicens: *Paulus Samosatenus à cunctorum prædicatione defiscens, Artemonis hæresim suscitavit. In cuius locum Antiochena Ecclesia sextus decimus ordinatur Episcopus Domnus:* Ita & in Historia, occasione ejusdem Domni in Ecclesiæ Antiochenæ possessionem, Aureliano imperante, inducti, Paulique ex ea detrusi, de Concilio contra hunc coacto agit. Quem Eusebii loquendi modum Baronius anno 272. quò præfatam Synodum celebratam existimat, aliique viri doctissimi non animadvertentes, scribunt Eusebium in Chronico errasse, & Gallieno imperante, Domnum Paulo Samosateno fuisse subrogatum, docuisse; quod profectò à mente ejus alienum. Neque aliter quàm Christophorus, Jacobus Goar, vir eruditissimus, præfata Eusebii verba à Georgio Synello in calce Chronographiæ suæ citata vertit; sed Valesius opinione communi occupatus, quod nempe posterior Synodus Antiochena sub Aureliano coacta fuerit,

& à Nicephoro , qui loco laudato Eufebium in eum ſenſum trahit, deceptus , eam nobis interpretationem obtrufit , quæ quàm à Græca phraſi recedat , communis opinionis inanitate patefactâ , eam quilibet deprehendere poteſt.

Petavius in Chronico ad annum Chriſti 270. ait , Athanaſium de Synodis indicare Romæ ſuper Pauli hæreſi à Dionyſio Papa Synodum celebratam fuiſſe ; & Baronius ann. 265. n. 10. & 12. dicit adverſus deteſtandas ejuſdem Pauli impietates , mox ut innotuere , ſanctos Epifcopos inſurrexiſſe , imprimiſque Dionyſium Romanum , & alterum Dionyſium Alexandrinum Epifcopum , à quibus inquit , ſublatum eſſe Paulum ſanctus Athanaſius ſcribit. Sed neutrum in Athanaſio legitur. Verum quidem eſt hunc pag. 918. editionis Græco-Latinæ ejuſdem libri de Synodis , loqui de Concilio Romæ , dum Dionyſius Alexandrinus viveret , celebrato , ſed diſertè ibidem docer contra aliam hæreſim illud habitum fuiſſe ; refertque Epiftoſam , quam Dionyſius Romanus ad Dionyſium Alexandrinum ſcripſit. At hæc nihil ad hæreſim Pauli. Conſignatum illud Romanum Concilium à Baronio in Annalib. anno 263. in quo quæ geſta ſunt , legi poſſunt. Neque etiam ab utroque Dionyſio Paulum ſublatum eſſe dicit Athanaſius , ſed tantùm à ſeptuaginta Epifcopis , qui ſecundo Concilio interfuère , condemnatum fuiſſe. Hæc enim ejus verba : *Duo Dionyſii ante eos ſeptuaginta fuère , qui Samofatenſem ſuſtulerunt* , (in ſecunda ſcilicet Synodo Antiochena) *quorum alter Roma , alter Alexandria præful erat* , quo in loco *to ſeptuaginta* non ad utrumque Dionyſium , ut Baronius putavit , ſed ad Præſules ſecundæ Synodi Antiochena , quos paulò poſt , *ſeptuaginta Epifcopos Pauli Samofatenſis condemnatores* vocat , refertur. Ex quo & numerum Patrum , qui eidem Concilio interfuere , in Annalibus Eccleſiaſticis non memoratum , diſcimus. In Concilio tamen Ephefino tom. 3. ultimæ Collectionis Concil. General. pag. 425. in libello quodam ſupplicis , quam Baſilius Diaconus , aliique Monachi contra Neſtorium obtulerunt , centum & octoginta numerantur , qui in Antiochena collecti Synodo contra Paulum Samofatenum , ipſum depoſuerunt. Quâ in re nihil habeo quod dicam , niſi quod Athanaſius ad Synodi finem , Baſilius ad ejuſdem initium reſpexerit. In magnis enim conventibus quicumque prioribus actionibus non ſemper poſterioribus interſunt , ſicque minor in fine , quàm in principio numerus.

Porro Zenobiam Palmyrenorum Reginam , hoc anno in Aureliani manus veniſſe , ideoque & Paulum Samofatenum ex Eccleſia Antiochena extrubarum fuiſſe , nummus Græcus , qui apud Seguinum

X.

XI.

in Numismatis selectis extat, ostendere videtur. Legitur in eo: **SEPTIMIA ZHNOBIA CEB. L. E.** id est, *Septimia Zenobia Augusta anno quinto. Gallieno adhuc regente Rempublicam*, inquit Pollio in triginta tyrannis cap. XXX. *regale mulier superba munus obtinuit*, quæ cum annos quinque imperaverit, liquet anno 277. Odenato marito demortuo, in Orientali Imperio successisse, ac currenti captam fuisse.

XII.

Hôc annô Constantinus Magnus apud Naissum Dardaniæ Illyricæ, hodie Servix dictæ oppidum, Constantio Chloro, postea Imperatore, patre, & Helenâ Matre natus est, vel tertio Kalendas Martii, vel pridie Kalendas Aprilis: in utroque enim die Kalendarium à Petro Lambecio publicatum habet: **NATALE CONSTANTINI**, nihilque huc usque à viris doctis allatum, quod uno potius, quam altero, eum natum fuisse demonstrat. Illud certum, alterum ad genuinum ejus Natalem, alterum verò ad diem, quo Augustus à Maximiano Herculio appellatus est, referendum esse. Quoad annum, deducitur is ex Rufino lib. 1. cap. undecimo, Socrate lib. 1. cap. ultimo, & Sozomeno lib. 2. capite pariter ultimo, qui Constantini vitæ annos sexaginta quinque numerant. Cum enim eum anno 337. die 22. Maii demortuum certum sit, si retrò sexaginta quinque annos numeraveris, ad præsentem pervenies. Quoad patriam acriter de ea inter doctos certatum, eamque Britanniam fuisse diù creditum, & ab aliquibus etiam nuper scriptum. Quam opinionem Michaël Alfordus è Societate Jesu in eo libro, quem *de Lucii, Helena & Constantini patria, & fide* scripsit, scriptorum tum Itatorum, tum Hispanorum, & Belgarum, tum Germanorum, septuaginta auctoritate confirmare conatur. Constantinum tamen Naissi ortum extra controversiam esse debet, cum Anonymus ab Henrico Valesio editus, Stephanus Byzantius, lib. de Urbibus, Constantinus Porphyrogenita in libro 2. *de Imperatoribus*, & Firmicus in lib. 1. Matheos sub initium, id distinctè tradant, & Cedrenus eum in urbe Daciæ natum asserat, Dardaniaque fuerit, ubi antea Decia Mediterranea; & nunc Servia sita est. Quare cum nihil alicujus momenti contra Antiquorum Auctorum fidem afferatur, faceat è Doctorum virorum libris decantatissima illa fabula, quæ Constantinum Britannum facit.

ANNO CHRISTI 273.

Cyclo Solis 2. E. Lunæ 8.

Coff. *M. Claudius Tacitus.*

Furius Placidianus.

Pacatò Oriente, in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic Carporū copias afflixit, ſed Palmyreni, eò rebus Europēſibus occupato, rebellarūt. Quare Aurelianus ex Europa revertit, atque Urbem, quia ita merebatur, evertit. Securius deinde iterum in Europam rediit. Interim Firmus quidā extitit, qui ſibi Ægyptum vindicavit. Ad quem conſinuò Aurelianus revertit, Ægyptumque ſtatim recipit. Atque vehementer irascens quod adhuc Tetricus Gallias obtineret, Occidentem petiit: ubi ipſo Tetrico exercitum ſuum prodente, quòd ejus ſcelera ferre non poſſet, deditas ſibi legiones obtinuit. Hæc ſummatim Pollio in Aureliano cap. XXX. & infra. Quæ omnia non niſi per integri anni ſpatium fieri potuere. Quare perperam Petavius in Chronico victoriam de Zenobia in hunc annum differt, nec majori fundamento Eufebius etiam in Chronico, Aureliani triumphum in hunc annum conjicit. Nam ſi hoc tantum anno Zenobia victa fuiſſet, tot rebus agendis tempus Aureliano non ſuppetiſſet.

ANNO CHRISTI 274.

Cyclo Solis 3. D. Lunæ 9.

Coff. *Aurelianus Aug. III.*

C. Iulius Capitolinus

Ex hoc Aureliani Conſulatu diſcimus primò hunc Quinquennalia juxta II. Conſulatuum Cæſareorum Regulam edidiſſe. Secundò eum etiam hoc anno *de Oriente & Occidente*, triumphum Romanis oculis exhibuiſſe, rectèque à Caſſiodoro in Chronico ſub hoc Conſulatu ſcriptum eſſe: *Hiſ Coff. Aurelianum Roma triumphantem captivi Tetricus, & Zenobia præceſſerunt.* Tertio Agonem Solis hoc anno ab Aureliano inſtitutum, templumque Soli ab eo ædificatum, quod perperam idem Caſſiodorus ſub anni ſequentis Conſulibus, rectè verò Eufebius in Chronico hoc anno conſignat; cum uti diximus, an-

XIII.

nis,

nis, quibus hujusmodi solemnia celebrabantur, templa ædificari, novaque institui solerent. Rectè etiam ab eodem Eusebio ibidem scriptum: *Romam firmioribus muris vallat*, nempe Aurelianus, propter eandem rationem; qua in re Idatio contrarius non est; quia is, sicuti & Vopiscus, de cœpto ædificio; Eusebius verò de absoluto loquitur. Quartò rectè Vopiscum in Aureliano cap. XXXV. hujus triumpho narratò, scripsisse: *Idem Aurelianus, & porcinam carnem populo Romano distribuit, qua hodieque dividitur, leges plurimas sanxit, & quidem salutaris: Sacerdotia composuit, templum Solis fundavit & Pontifices roboravit. Decrevit etiam emolumenta Architectis & Ministris. His gestis ad Gallias profectus &c.* Hæc enim, similiave, annis quibus Quinquennialia & id genus festa edebantur, ab Imperatoribus de more facta. Tritanus tomo 3. pag. 254. affert nummum Aureliani, in quo legitur: *A. K. ΔΟΜ. ΑΥΡΗΑΙΑΝΟC CEB. Λ. Δ.* id est, *Imperator Cæsar Lucius Domitius Aurelianus Augustus anno quarto.* Exprimitur in eo idem Imperator Lauro coronatus, in postica verò parte, visitur Aquila coronam gerens, inter duo signa militaria, posita, duobus captivis in inferiori parte nummi expressis, hunc in ejus Quinquennialibus culum, ex iis quæ parte 2. cap. 3. diximus constat. Anno enim ejusdem Imperatoris quarto ea acta, & ut ex his, quæ infra dicemus liquebit aliquot mensibus anticipata. Denique ex iisdem Quinquennialibus manifestissimum redditur, præsentis tantùm anno, non verò aliquo ex præcedentibus persecutionem adversùs Christianos ab eodem Imperatore decretam fuisse, quod quidem Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum rectè scripserat, sed quod postea in Annalibus perperam retraxit, ob ingentem, inquit, eorum numerum, qui Aureliano imperante Martyrium subière. Eandem post eum sententiã Petavius in Chronico, Henschenius & Papebrocius in Actis SS. omnesque recentiores sequuti sunt; sed cùm ea non tantùm Aureliani Quinquennialia, sed etiam omnes antiquos scriptores tam Græcos quàm Romanos adversantes habeat, nulloque fundamento nitatur, rejicienda. Ii enim brevem eam fuisse affirmant. Eusebius lib. 7. cap. 30. ait: *Eum paratum jam, & compositis contra nos edictis, ut ita dixerim, subscribentem, ultra est divina justitia: quasi constricto cubito conatum ejus reprimenti.* In Chronico verò eam non nisi ultimo Imperii Aureliani anno collocat. Baronius quidem non tantùm eundem Eusebium in Historia, sed & Orofium lib. 7. cap. 23. ita explicat quasi scripserint tam tantùm intentatam fuisse; sed eorum mentem vir doctissimus non assequitur; illi enim non aliud significare intendunt, quàm eam brevem fuisse.

Unde

Unde Orosius Aurelianum nonum Ecclesie persecutorem vocat, ait enim: *novissimè cum persecutionem adversus Christianos agi nonus à Nerone decerneret, fulmen ante eum, magno pavore circumstantium ruit, ac non multo post in itinere occisus est, id est, decreta persecutione statim periit.*

Egregius est eadem in rem Lactantii lib. de mortibus persecutorum cap. 6. locus: *Aurelianus, inquit, qui esset natura vesanus & princeps, iram Dei crudelibus factis laceravit. Verùm illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit, sed protinus inter initia furoris sui extinctus est. Nondum ad Provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, & jam Canofrurio, qui locus est Thracia, cruentus ipse jacebat, falsa quadam suspitione ab amicis suis interemptus.* Mitto Georgium Syncellum, Hermannum Contractum, Marianum Scotum, aliosque, qui hanc persecutionem unanimi consensu in ultimum Imp. Aureliani annum contulere. Ea itaque hoc tantum anno excitata, ideoque S. Symphoriani, aliorumque Martyrum, quorum Acta Henfchenius & Papebrocius viri eruditissimi illustrarunt, agones, in hunc vel sequentem, quo per sex menses interregnum fuit, quæve Aureliani nomine persecutio continuata, retrahendi. Infirmum porò Baronii fundamentum supra insinuatum, adversus omnium Antiquorum fidem; cum in libro Anastasii de Romanis Pontificibus tradatur in Marcellino, uno duntaxat mense numeratos esse decem & septem millia martyrum in persecutione Diocletiana, ut refertur in Epitome Spondani, anno 302. n. 4. Denique Eusebius in Historia lib. 7. cap. 30. communem sententiam planè convellit, confirmatque quod jam in Chronico scripserat, Zenobiam nempe anno Christi 272. captam esse, & currenti persecutionem ab eo excitatam; quod ut evidenter pateat, ejus verba affero: *cum Paulus à domo Ecclesie nullatenus excedere vellet; interpellatus Imperator Aurelianus rectissime hoc negotium adjudicavit, iis domum tradi precipiens, quibus Italici Christiana Religionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent. Hoc modo vir supra memoratus cum summo dedecore per secularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est. Ac tum quidem erga nostros sit affectus erat Aurelianus. Processu verò temporis aliter de nobis sentiens, quorundam consiliis cepit impelli, ut persecutionem adversus nostros commoveret. Iamque ea de re multus ubique rumor spargebatur. Syriam, in qua Antiochia, & Phœnicen Zenobiaz dominationi concessisse Auctor est Theodoretus. Quare Aurelianus è domo Antiochena Paulum Samosatenum ante annum*

XIV.

272. quo Zenobiâ captâ Syriam obtinuit, expellere non potuit. Eo expulso non statim Christianos vexavit Imperator, sed tantum, ut habet Eusebius, *processu temporis*, id est, uno vel altero post anno Ex quo liquet quantum aberrant Baronius in Annalibus, Petavius. in Chronico, Calvisius, aliique viri eruditi, qui persecutionem Aurelianæ in Quirini & Voldumiani Consulatum, victoriam verò de Zenobia, in annum sequentem conjiciunt. Ex ea enim sententia sequitur, Aurelianum unò eodemque tempore in Christianos deservivisse, & simul illis favisse; falsòque Eusebium scripsisse, persecutionem adversus eosdem commotam non fuisse, nisi post aliquod tempus à traditâ Dómno Antiocheno Episcopo in locum Pauli substituto, Antiochensi Ecclesiâ. Quare, ut tam persecutionis Aurelianæ, quàm Pauli depositionis Historiam absolvam, scopus Eusebii præcipuus in septimo Historiæ suæ libro, fuit, ostendere sub Aureliano Paulum Samosatenum è sede Antiochena vi dejectum fuisse. Quâ occasione, uti assolet, de rebus antea in eadem causa gestis agit, Concilii Antiocheni, Paulique damnationis mentionem facit, Epistolamque Synodicam ad Dionysium Romanum recitat; indeque de persecutione adversus Ecclesiam, *processu temporis*, & aliquot post annos excitatâ tractat; neque eum in hac narratione in aliquo errasse ostendi potest. Is lib.7. hist. cap.36. libris à Dionysio Alexandrino, qui extremis Gallieni Imperatoris temporibus obiit, enumeratis ait: *Verum his jam expositis, nunc tandem qua, qualisve fuerit aetas nostra, posterorum noticia tradamus.* Ac postea de priori Synodo adversus Samosatenum habita agit. Quare ultimis Imperii Gallieni annis natus Eusebius, præfata hæresis ejus tempore damnata, Ecclesiæque ab Aureliano vexata: Ideoque in iis quæ tam ad eam hæresim, quam persecutionem spectant, eidem authori fides adhibenda.

- X V. Hoc anno, Inscriptio Foro-Julienſis, in qua Aurelianus dicitur Tribunitiæ Potestatis IV. quæ mense circiter Novembri absolvèbatur, posita est; ideoque Consulatus tertius ejusdem Imperatoris in ea memoratus, non potest esse nisi designatus, aut saltem tertius ordine, numerato nempe, quem ante adeptum Imperium gesserat, suffecto, ut suo loco à nobis ostensum.

ANNO CHRISTI. 275.

Cyclo Solis 4. G. Lunæ 10.

Coss. *Aurelianus Aug. IV.*

Anonius Marcellinus.

Aurelianus post triumphum Romæ actum, multaque ibidem præclare statuta ad Gallias profectus Vindelicos obsidione barbaricâ liberavit: deinde ad Illyricum rediit, paratoque magno potius quam ingenti exercitu, Persis bellum indixit. Sed cum iter faceret, apud Cænophurium, mansionem qua est inter Heraciam & Byzantium, malitiâ Notarii sui, & manu Mucaporis interemptus est, inquit, Vopiscus in ejus vita capite XXXV. quibus verbis constat Aurelianium longè ante superioris anni finem, & triumphasse, & Quinquennalia egisse; aliàs eidem ad tanta, longumque adeo iter, tempus defuisset. Cùmque nuncium mortis ejus die tertio nonas Februarias Romam allatum fuerit, ut testatur Vopiscus cap. XXXXI. mense Januarij currentis anni illum periisse dicendum est. Imperavit itaque annos quatuor, menses circiter tres. Quare errant quicumque annos sex eidem attribuunt, nisi annos Julianos, & utrumque extremum incompletum, ut probabile est Eusebium, aliosque quosdam Antiquos præstitisse, numeraverint. Pseudographæ pariter sunt Inscriptiones, quæ in quibusdam nummis leguntur, in quibus Tribunitia potestas ejus sexta, vel sextus Imperii annus memorantur. Denique Imperium Aurelianicum in Chronico Alexandrino, & in Baronio valdè perturbatum, cùm in utroque septem eidem anni attribuantur, sicque sequentium Imperatorum tempora necessariò mutilentur. Natus erat Aurelianus *septimo Idus Septembris*, ut legitur in veteri Calendario à Petro Lambecio viro græcè Latinèque doctissimo in lucem edito; interiitque annos natus septuaginta quinque, si fides Chronici Alexandrini Auctori: In nummis enim, in quibus effigies ejus expressa, non aded provectæ ætatis fuisse videtur. Ex iis constat post mortem eum inter Divos relatum, imò & dum viveret, Dei nomine appellatum. Unus enim apud Spanhemium dissertatione quintâ de ulu & præstantia numismatum extat, in quo legitur: DEO ET


XVI.

A A a 2 DOMINO

DOMINO NATO AURELIANO AUG. Qui titulus à Caro Imperatore postea repetitus, & nummis ejusdem aliquoties adscriptus; DEO ET DOMINO CARO, aut, DEO ET DOMINO NOSTRO CARO. Hæc appellatio à Diocletiano recenta, ut ex ejusdem, & sequentium Augustorum nummis liquet, in quibus de more legitur: D. vel. DN. N. id est, *Domini*, seu *Domini nostri*. Qua de re plura idem Spanhemius. Et hæc satis de Imperio Aureliano, Cæsarumque & Augustorum Consulatibus, eorumque Decennialibus, & id genus festis.

F I N I S.

INDEX



I N D E X

PRÆCIPUARUM RERUM

in hoc opere Contentarum.

*Numerus Romanus numerum marginalem Prologomenum,
Vulgaris Dissertationis paginas indicat.*

A



- A**BERAMEN Saracenorum Princeps Consul. pag. 368.
Non fuit Admiralius. 369. & 370.
AELIUS an dictus sit Imperator. P. N. XXIII. fit Cæsar. 211. quò anno ab Hadriano adoptatus. 27. & 28. quò annò mortuus. Ibid.
AELBERICUS Consulum nomen renovat. 370.
ALBINUS fit Cæsar. 220. Vincitur à Seveto 221.
AALEXANDER Leonis filius imperat. 363. Obir. Ibid.
AALEXANDER Severus adoptatur ab Heliogabalo. 227. Fit Imperator. Ibid.
Ejus triumphus. 176. & seqq. Occiditur. 229.
ANASTASIUS fit Imperator. 296. Obir. 299. In Consulatus mutationem invexit. 130. & seqq.
ANNI inchoati pro completis numerati. 16. 17. 105. 106. 184. 185.
ANNI Sabbatici. 241.
ANTHEMIUS fit Imperator. 292. Occiditur. Ibid.
ANTIOCHENA Seditio. 263.
ANTIOCHENUM II. Concilium adversus Paulum Samosatenum. 372. & 376. Quot Episcopi interfuerint. 377.
ANTONINI PII adoptio. 23. & 211. Fit Imperator. Ibid. Obir. 234.
APOLIGIA Decennalium tempore à Christianis, Imperatoribus oblata. 112.
APOLLONIUS Senator Romanus nullum Apologeticum scripsit. 117.

INDEX RERUM.

- A**psimarus imperat. 352.
 Arcadius fit Augustus. 262. Succedit Patri. 266. Obit. 279.
 Arcus Vefontionensis an triumphum Aureliani repræsentet. 181
 Arnobii libri aduersus gentes quò annò scripti. 117.
 Artabafus Imperium invadit. 355. Nicephorum filium consortem
 Imperii facit. Ibid.
 Artemius imperat. 353. Dejicitur imperio. Ibid.
 Athenagoras quò annò Apologiam ediderit, 116.
 Attilæ irruptio in Italiam. 315.
 Augusti anni vel à primò, vel à feptimo ejus Consulatu deducti. 330.
 Quò die Imperium orbis adeptus 23. Quò annò imperare cœperit.
 192. Imperium ei per quinquennia & decennia datum. 83. Quò die
 Proconsul perpetuus dictus. 24. Obit. 197.
 Quando duo primùm Augusti visi. 78.
 Augustæ in Decennalibus dictæ. Theodora uxor Justini Senioris. 300.
 Uxor Hadriani. 135. Uxor Domitiani. 105.
 Augustulus fit Imperator. 293. In exilium mittitur. Ibid.
 Aurelianus fit Imperator. 233. & 373. Persequitur Christianos. 380.
 Triumphat. 180. & 379. Occiditur 334. & 383. Inter Deos refer-
 tur. Ibid.
 Avitus fit Imperator. 188. Deponitur. Ibid.

B

- B**Albinus fit Imperator. 299. Occiditur. Ibid.
 Basiliscus arripit tyrannidem. 293. Dejicitur. 294.
 Basilus Macedo imperat cum Michaële Balbo. 360. Imperat solus. Ibid.
 Processum Consularem differt. 361. Constantinum filium Augu-
 stum facit. Ibid. Quò annò obiit. 362. & 363.
 Bardas Imperium administrat. 359. A Basilio Macedone Imp. occidit-
 tur. 360.
 Berengarius imperat. 368.
 Britannici Natale. 15. & 16.

C

- C**Aÿus nepos Augusti designatur Consul. 9. Obit. 16.
 Cæsares Decennalia edidère. 88.
 Annus mortis S. Cæsariæ. 328.
 Caligulæ Consulatus ordinarii quomodò ordinandi. P. N. XV. Imperat
 200. Quò annò barbam posuit. 202. Occiditur. 200. Fit Cæsar. 197
Caracalla

INDEX RERUM.

- Caracalla fit Cæsar. 221. Imperat cum patre. Ibid. Ei succedit. 225.
 Natale ejus genuinum. 226. Occiditur. Ibid.
- Carolus Calvus Imperator & Consul. 367. Obit. 368.
 Caroli Crossi obitus. 368.
- Carolus Magnus Consulatum cum Imperio capit. 364. Obit. Ibid.
- Carus fit Imperator. 235. Carinum & Numerianum filios Augustor
 facit. Ibid. Obit. Ibid.
- Carinus fit Imperator. 235. Occiditur. Ibid.
- A Claudio Augusto Consules duodecim in annum ordinati. 8. Ejus
 Consulatus IV. ab Heruvarto & Petavio non intellectus. 13. Con-
 sulatum ordinarium sumendi morem initiõ Imperii induxit. 80. Ejus
 Quinquennalia. P. N. XV. Occiditur. 234.
- Quot annis regnavit Claudius II. 383.
- Clodovei Consulatus. P. N. IX. & pag. 73. & seqq.
- Codices in Decennialibus promulgari. Justinianus. 301. Theodosianus.
 123.
- Collegæ Imperatorum in Consulatibus. 170. & seqq.
- Collegæ Imperii Decennalia edidère. 89. Decennialium ope cognitã.
 136. Aliã etiam ratione defecti. 4.
- Collegæ Tyrannorum in Consulatu. 173.
- Coloniz in Decennialibus institutz à Vespasiano. 204. à Gallieno. 233
- Commodi Quinquennalia & id genus festa explicata. 153. Fit Cæsar.
 216. Tribunitiã potestate ornatur. 218. Regnat cum patre. Ibid. Ei
 succedit. Ibid. Occiditur. 220.
- Concilium Constantinopolitanum Arianorum. 257. Ejus Epochã sub
 Constantio. Ibid.
- Constans filius Constantini & nepos Heraclii Aug. imperat. 346. Fit
 Consul. Ibid. Obit. 348.
- Constans succedit Constantino M. 254. Occiditur. 255.
- Constans Placidiz Maritus fit Imperator. 281. Obit. 282.
- Urbs Constantinopolis quõ annõ ædificata. 145. & 252.
- Legatio Constantini Tyranni ad Honorium. P. N. X. & 173. Occidi-
 tur. 179.
- Constantinus M. fit Imperator. 242. Fit Cæsar. 248. An Consul sus-
 ceptus fuerit. 40. Quot annis imperarit. 101. Quõ annõ Decennalia
 & Quindecennalia ediderit. 165. & seqq. Ejus Monarchia quõ an-
 nõ cœpta. P. N. XXXIII. 250. Ejus Vicennalia 169. Patria. 378.
 Quõ annõ & die natus. Ibid. Quot annis vixit. Ibid. Obit. 256.
- Constantinus succedit Constantino M. 254. Occiditur Ibid.
- Constantinus Copronymus imperat cum patre. 354. Solus. 355.
- Constantinus Pogonatus quõ annõ cum patre regnare cœpit. 351. Quõ
 annõ

INDEX RERUM.

- annò ei successit. Ibid. Quò annò mortuus. 352. Auctor Consulatum per modum Tribunitiæ potestatis gestorum. 349.
- Constantinus Porphyrogenitus imperat. 365. Occiditur. Ibid.
- Constans succedit Constantino M. 254. Occiditur. 255.
- Constantius succedit Constantino M. 254. Quò annò dictus sit Cæsar 140. Obit. 257. Quot annis vixit ac imperavit. 141.
- Constantius Chlorus sit Augustus. 235. Fit Cæsar. 236. Obit. 241.
- Quandonam Consul sine Collega creari cœperit. 308.
- Consularis dignitatis præstantia. 3. & 4.
- Consulares fœminæ. 71. & 72.
- Concessorum Consularium Insignium formula, 71.
- Processus Consularis aliquando dilatus. 358.
- Ornamenta Consularia quibusdam concessa. 16.
- Aliqui Imperatores in Consulatu suscipiendo abnormes. 5.
- Consulatum regulæ sex. 77
- Cur Consulatum Imperii initiò Augusti sumerent. 81.
- Consulatus explicati. Prior Commodi Imp. 10. Prior Neronis. 11. & 14. Quintus Neronis. 38. Quartus Vespasiani cum secundo Titi. 12. Tertius Claudii Imp. 12. & 13. Eiusdem secundus 15. Secundus Maximini Imp. 39. Octavus Gallieni. 57. Macrini. 67. Clodovei 73. Theodorici Italiæ Regis. 74. Constantini Tyranni. 173. Diocletiani X. 244. Prior Valentiniani Senioris. 258. Severi Augusti cum Leone Aug. 290. Anastasii Imp. IV. & Agapeti. 299. Paulini Junioris. 324.
- Consulatus continuati indicia Imperii P. N. XIII.
- Consulatus designati & Honorarii valdè diversi. 70. & seqq.
- Consulatus dimidiati ob quas rationes usurpati. 310. 311. &c.
- Consulatus Honorarius à quo tempore numerari cœptus. 70. & 76.
- Consulatus ordinarius ab Imperatoribus solis regnantibus susceptus. 80.
- Consulatus perpetuus quando, quare, & à quo inductus. 330.
- Quando Consulatus Romani ordinarii desierint. 327.
- Consulatus suffectus ab Imperatoribus sumptus. 37.
- Consulatus suffecti sæpè non numerantur. 63.
- Quando Consulatus Tribunitiæ potestatis instar geri cœptus. 329.
- Consulatus Tribunitiæ potestatis instar gestus à Principibus Francis, Italis, & Saracenis. 364.
- Imperatores Consulatum aliis destinatum Imperii initiò in se transferbant. 8. 9.
- Consulatus vilescit. 362. Quâ ratione desierit. 370.
- À Claudio Augusto Consules duodecim in annum ordinati. 8.

Consules

INDEX RERUM.

- Consules designati Consules absolutè dicti. 10. & seqq. Eorum privilegia. 7.
 Quò tempore Consules designarentur. 8. & 9.
 Consules in Codice Theodosiano aut Iustiano memorati, ordinarii, non suffecti fuere. 57.
 Quomodo dignoscendi Consules Orientales ab Occidentalibus, & viceversa. P. N. XXXVII.
 Gothi & Romani ab Imperatore Orientis Consules designati. P. N. XXXXI.
 Consulis nomen attributum Admiraliis, Comitibus, & Scabinis. 370.
 Corbulo Proconsul. 21.
 Crescentius Numentanus Consulum nomen renovat. 370.
 Crispus fit Cæsar. 248.
 Chrysgirum quò tempore solutum. 125. & 126. A quo sublatum. 127
 S. Cyprianus quò annò martyrium subiit. 60.

D

- D** Almatius fit Cæsar. 253. & 256.
 Origo Quinquennialiorum & Decennialiorum. 85. Eorum Regulæ 87. & seqq. Eorum annus non in omnibus certus. P. N. V. illa Imperatores aliquando anticiparunt, aliquando distulerunt. 96. & 97. & toto cap. 2. part. 151. & seqq. In iis munera missa. 264. Stipendium militibus datum. Ibid. 296 & 297. Abolitur à Iustiano Imp. 305. Dilatum à Severo Imp. 223. Epocham constituebant. 99.
 Decius imperat. P. N. VIII. 63. & 232. Occiditur. Ibid.
 An Dedicaciones templorum die Dominicâ semper celebratæ. P. N. XXIV.
 In Dedicacione templorum Consulatus assumptus. 183. & seqq.
 An Basilicæ dedicatæ in Oriente, quando Decennialia in Occidente acta. P. N. XXIV.
 Diadumenianus Macrini Imperatoris filius nunquam Consul ordinarius fuit. 68.
 Dies à Romanis religiosè observati. 25. 26. 90. & 93.
 Dierum intervalla quomoddò ab antiquis Historicis computata. 20.
 Diocletianus fit Imperator. 335. Natale ejus Imperii. 93. Triumphus. 94. Abdicat Imperium. 239.
 Dionysius Pontifex Romanus quò annò mortuus. 372. & 373. Dispolititanum Concilium. 280.
 Domitiani Consulatus variè numerati. 64. Fit Cæsar. 203. in Consulibus

INDEX RERUM.

latibus suscipiendis obnormis. 5. Persequitur Christianos. 110.
Occiditur. 207.
Drusus occiditur. 198.

E

Ecclesiarum aedificatae. 109. Templum à Domitiano aedificatum. 109.
Monasterium S. Caesarii. 297. & 298. Monasterium Agaunense
seu Acaunense. 298. S. Aureliani Episcopi Arelatensis. 303. Ecclesia
S. Sophiae. 304. Ecclesia Narbonensis absoluta. 322. Hierosolymitana
à Constantino aedificata. 251. Antiochena. Ibid. Praecursoris tem-
plum Constantinopoli. 290.
Templa vel Ecclesiarum dedicatae. 109. 118. & 119. Hierosolymitanum
ab Herode 48. & 194. Hierosolymitanum à Constantino M. 105.
Antiochenum à Constantio Imp. 120. Constantinopolitanum à Ju-
stiniano. 131. Templum Augusti restitutum. 149. Templum pacis à
Vespasiano. 183. Templum Hadriani ab Antonino Pio. 212. Pan-
theon à Severo. 224. Ecclesia Antiochena. 252. Hierosolymitana.
P. N. XXX. SS. Apostolorum apud Constantinopolim. 260. Con-
stantinopolitana. 280. Ecclesia S. Anastasiae. 290. Laura S. Euthymii.
295. Laura S. Sabae. Ibid. Laura altera S. Sabae. 296. Monasterium
S. Caesarei. 298. Ecclesia S. Mariae Arelatis. 300. Basilica Arausio-
nensis 301. Constantinopolitana. 302. S. Vitalis apud Ravennam.
303. Ecclesia SS. Apostolorum Cp. 303. S. Irenes 304. Constanti-
nopolitana. 304. Templum Minervae. 23.
Eclipses duae Vespasiano imperante visae. 11.
Encœnia templorum in Decennialibus acta. 118. 119.
Era Dionysiana à S. Gregorio usurpata. 339.
Eugenius tyrannidem arripit. 74. Occiditur. 276.
Eumenii oratio pro Flaviansibus quò annò dicta. 142.
Eusebius quò annò finierit Historiam. P. N. XXX. Consules ejus Chro-
nico addidit Scaliger. 68.

F

Fasti Byzantini nondum rectè ordinati. P. N. IV.
Fasti Consulares Romani quot annis viguerint. 327.
Fasti Romani post fundatam Monarchiam in Gallia retenti.
324.
S. Firmilianus quò annò obiit. 372. & 376.
S. Flotentinus Abbas quò annò obiit. 324.

Florianus

INDEX RERUM.

Florianus fit Imperator. 234. Occiditur. Ibid.
8. Fructuosus quò annò martyrium subiit. 60.

G

G Alba Imperium arripit. 38. & 203. Ejus emortualis dies. P. N. XIX.

Galerius Maximianus fit Cæsar. 236. Fit Augustus. 239. Ejus superbia. 240. Obit. 246.

Galla Placidia moritur. P. N. XXX. fit Augusta. 282. Decennalia agit. 283.

Galliæni tres. 46.

Gallienus fit Imperator. 232. Septies tantum Consul fuit. 57. Occiditur. 233. Quot annis imperavit. 59.

An Gallienus Junior fuerit Augustus. 51. Ejus Consulatus suffectus. 40. & seqq.

Gallus Volusiani pater imperat. 232. Occiditur. Ibid. & 60.

Gallus Cæsar creatus. 255. Occisus. 256.

Genfericus Catholicos in Africa vexat. 315.

Germanici adoptio. 19. Fit Proconsul. 20. & 21.

Getæ Natale. 223. Fit Augustus. 225. Fit Cæsar. 227. Occiditur. Ibid.

Gladiatores ab Honorio sublati. 190. & 191.

Glycerius fit Imperator. 292. Deponitur. 293.

Gordianus Senior fit Imperator. 229. Occiditur cum Gordiani filio. Ibid.

Gordianus Gordiani Senioris nepos imperat. Ibid. Instituit ordinem Candidatorum. Ibid. Occiditur. 230.

Gratianus fit Imperator. 259. Occiditur. 262.

Guido Imperator, & Consul. 368.

Quò annò D. Gregorius Nazianzenus obierit. P. N. XXXV.

H

H Adrianus fit Imperator. 208. Quot annis imperavit. 30. Persequitur Christianos. 110. Ælia ab illo condita. 211. Quò anno mortuus. 29. & seqq. An Patris patriæ nomen tardius acceperit. 135. Dies ejus natalis. Ac emortualis. 30. 31. & 36. Tardius nomen Patris patriæ sumit. 135.

Heliogabalus imperat. 216. In Consulatu suscipiendo abnormis. 5. Occiditur. 227.

Hera Leonas imperat. 346.

INDEX RERUM.

- Heraclius** processum Consulare differt. 358. Fit Imperator. 343.
Heraclium filium consortem Imperii facit. Ibid. Obit. 345.
Heraclius Junior Aug. fit Consul. 344. Constantinum fratrem Cæsarem dicit. Ibid. Obit. 346.
Quô annô Hieronymus librum de Scriptoribus Ecclesiasticis absolvit. P. N. XXXV.
Honorius fit Imperator. 265. Succedit patri. 266. Triumphat de Attalo Tyranno. 281. Obit. 28.

I

- Indictiones** sexto Ecclesiæ seculo à Januario cœptæ. 305. & 318.
 Earum initium unde desumptum. 103.
Inscriptio Forojulienfis explicatur. 13. & 69.
Inscriptiones aliquando veræ, licet cum Historia non conveniant. 33. & 34.
Imperii divisio. 79. & 242.
Prima Imperii divisio à Constantino Chloro & Galerio Maximiano introducta. 242
Tres Imperii Romani administrati formæ. 78.
Ab Imperii auspicio prima Consularum Cæsareorum Regula. 78.
Joannis Episcopi Antiocheni initium. P. N. XXXIV.
Joannis Tyranni interitus. P. N. XXIX.
Josephus Judæus quô annô Historiam absolvit. 206.
Jovianus fit Imperator. 258. Obit. Ibid.
Irene Augusta imperat. 357. Consularum capit. Ibid. Constantinum filium excæcandum jubet. Ibid. Quô annô in exilium missa. 359.
 Processum Consulare differt. 357. & 361.
Quô annô S. Isidori martyrium contigit. P. N. VIII.
Julianus Cæsar creatus. 256. Fit Imperator. 257. Occiditur. Ibid.
Julius Cæsar quô annô occisus. 192.
Justinianus annum Imperatorum in Constitutionibus memorari jubet. 225. Dies ejus natalis. Ibid. In consortium Imperii à Justino vocatus. 326. Quô annô obierit. Ibid.
Justinus Junior alius à Justino Germani filio. P. N. XXXXII. auctor Consulatûs perpetui. 330. Quô annô Consularum gesserit. P. N. XXXXIII. & 331. Imperiô destitutus & in idem restitutus. 352. Quô annô regnare cœpit. Ibid.
S. Justinus Martyr quô annô Apologias ediderit. 114. & 115.
Justinus Senior quot annis imperarit. 326.

INDEX RERUM.

L

- L**eo IV. Imperat. 356. Ejus obitus. Ibid.
 Epistola S. Leonis ad Neonum Episcopum Ravennæ quando scripta. 318. Ejusdem ad Rusticum quando scripta. 313. & 314.
 Leo Armenus imperat. 359. Trucidatur. Ibid.
 Leo Isaurus Imperat. 353. Quamdiu. 354. Constantinum Copronymum filium consortem Imperii facit. Ibid. Duplex Ejus Epocha. P. N. XXXXVI.
 Leo Sapiens cum patre imperat. 361. Solus. 362. Largitiones in Consulatu suscipiendo fieri solitas tollit. 362. Quot annis imperavit. 363.
 Leo Thrax fit Imperator. 289. Obit. 292.
 Leo Junior Leonis Thracis filius fit Imperator. 292. Obit. Ibid.
 Leontius quô annô regnare cœpit. 352.
 Legationes in Decennialibus factæ. Eliæ Patriarchæ Hierosolymitani. 298. Synesii ad Arcadium. 143. Africani ad Heliogabalum. 144. Patrum Africanorum ad Honorium. 267.
 Libri in Decennialibus & id genus festis publicati. P. N. XXX.
 Licinius fit Imperator. 243. An primus ejus Consulatus fuerit ordinarius. 309. Occiditur. 250. Ejus filius fit Cæsar. 248. Persequitur Christianos 112. Ex Cæsare factus Augustus. 158. Quô annô in Asia imperare cœperit. 163.
 Longobardi Italiam vexant. 335.
 Lorum insigne Consulare. 356. & 362.
 Lotharius Imperator & Consul. 365. Triplex ejus Epocha. P. N. XXXXVIII. Obit. 365.
 Lucius Verus adoptatur ab Hadriano. 211. Fit Cæsar. 213. Augustus. 214. Triumphat. 216. Obit. 217.
 Ludi sub Philippo. P. N. XII.
 Ludi seculares sub Claudio, Domitiano, Severo, & Philippo. 184. & seqq.
 Ludi seculares ab Honorio non editi. P. N. XI.
 In Ludis secularibus Consulatus sumptus. 184. & seqq.
 Ludovici Imp. I I. Epochæ. P. N. XXXXVIII. Imperator & Consul. 365. Quadruplex ejus Epocha. Ibid. Obit. 367.
 Ludovicus Pius Consulatum cum Imperio capit. 364. Obit. 365.
 Quô annô S. Lupus Episcopus factus. P. N. XXXI.

INDEX RERUM.

M

- M** Acrini Imp. Consulatus ordinarius restitutus. 67. Imperat. 266. Occiditur. Ibid.
- Magnentius tyrannidem arripit. 255. Occiditur. 256. Quot annis imperavit. 283.
- Mahomat Saracenorum Princeps & Consul. 368. & 369.
- Marianus fit Imperator. 289. Deponitur. 290.
- Marcianus fit Imperator. 287. Obit. 289.
- Quò annò S. Marcianus Basilicam S. Anastasie dedicavit. P.N. XXXVI. & 291.
- Marcomanni quò annò ab Aureliano victi. 374. & 375.
- Marcus Aurelius postea Imperator ab Hadriano adoptatur. 24. & 211. Fit Augustus. 214. Fit Collega Imperii. 212. Ejus Natale. 25. & 26. Quæstor creatus. 25. Auctor novæ administrationis Imperii. 214. Triumphat. 216. Vexat Christianos. 215. & seqq. Obit. 214. & 218.
- Mauricii Consulatus. P. N. XXXXV. Fit Imperator. 336. Quò annò Consul dictus. 337. Theodosium filium consortem Regni facit. 338. Occiditur cum filiis. 340.
- Maxentius arripit Imperium. 242. Romulum filium Cæsarem facit. 243. Inter Deos refert. Ibid. Occiditur. 248.
- Maximianus Herculeus fit Cæsar. 90. & seqq. 235. Augustus Ibid. Deponit Imperium. 239. Imperium resumit. 243. Occiditur. 246.
- Maximinus fit Cæsar. 240. Fit Imperator. 138. & 229. Occiditur cum Maximo filio. Ibid. & 246.
- Maximus Tyrannus sumit Imperium. 262. Debellatur à Theodosio. 265.
- Melitonis Apologia quò annò scripta. 116. 142. & 217.
- Michaël Balbus imperat. 359. Occiditur. 360.
- Michaël Curopalates imperat. 359. A Bulgaris vincitur. Ibid.

N

- E**clesie Narbonensis quò annò dedicata. 322.
- Neapolis à Longobardis obsessa. 335. & 336.
- Nepos fit Imperator. 293. Deponitur. Ibid. Occiditur. 294.
- Nero quò annò è Græcia redux. P. N. XVIII. Ducit Octaviam uxorem. 16. Imperat. 201. Quò annò primam barbam posuit. 202. Ejus Natale. 15. & 16. Consulatus perpetuus illi oblatus 5. Consulatus ejus ab

INDEX RERUM.

- ab Hervvarto non intellectus. 14. Consulatus illius suffectus explicatur. 38. Quinquennalia ejus Imperii Cæsaris P. N. XVII. Occisus. 203.
- Nerva fit Imperator. 207. Obit. Ibid.
- Nicephorus imperat. 359. Stauracium filium participem Imperii facit. Ib. d. Occiditur. Ibid.
- Niger Imperium arripit & occiditur. 220.
- Nobilissimi Consulatu ordinario decorati. 80. 89. & 262.
- Numerianus fit Imperator. 235. Occiditur. Ibid.
- Error aliquorum in Numismatum descriptione. 150.
- Nundinum quid significet. 8.

O

- O**doacer quot annis regnarit in Italia. P. N. XXXX. Fit Italiae Rex 293. Occiditur. 296.
- Olybrius fit Imperator. 292. Obit. Ibid.
- Otho imperat. 203. Ejus emortualis dies. P. N. XIX. & 203.
- Orestes fit Patricius. 293. Occiditur. Ibid.

P

- P**Arilia seu Natale urbis Romæ. 147.
- Insignia Patriciatûs. P. N. I X.
- S. Paulini Consulatus. P. N. XXVI.
- Paulus Samosatenus damnatus. 372. Quô annô Antiochiâ pulsus. 375.
- Nulla adversus eum Romæ celebrata Synodus. 377.
- Persecutiones in Decennialibus decretæ 109. & seqq.
- Persecutio Aureliani quô annô excitata. 380. & 381.
- Persecutio Diocletiani. 111. & 112.
- Persecutio in Quindecennialibus Diocletiani adversus Christianos aucta. P. N. XXI.
- Persecutio Valeriani III. Neronis, Domitiani, Trajani, & aliaz. 110. & 111.
- Bellum Persicum anno septimo Alexandri Severi gestum. 175. & seqq.
- Quô annô pestis Constantinopoli grassata sit. 319.
- Quô annô Petrus & Paulus martyrio affecti. 39.
- S. Petrus Chryfologus obit. 315.
- Pertinax fit Imperator. 220. Occiditur. Ibid.
- Phocas imperat. 340. Fit Consul. 341. Occiditur. 342. & 343. Numif-
ma

INDEX RERUM.

- ma Theodosii M. perperam explicatus de SS. Andrea & Philippo.
284.
- Philippus fit Imperator. 230. Filium Cæsarem dicit. Ibid. Instituit Collegium Candidatorum. Ibid. Urbem nominis sui construit. 231. millesimum Urbis celebrat. Ibid. Interficitur cum Philippo filio.
232.
- Quò annò Plinius Historiam naturalem scripserit. P. N. XX.
- Pontifex Maximus, Pontifex absolutè dictus. 12.
- Proconsulare Imperium duplex. 20. & 21.
- Tria Postcon'ulatum genera. 316. Ob quas rationes usurpati. 317.
- Aliter Marcellinus, aliter Victor Tununensis eos explicant. 319.
- Præfectura Honoraria. 75.
- Probus fit Imperator. 234. Triumphat. 235. Occiditur. Ibid.
- Procopius tyrannidem arripit. 259.
- Pupienus fit imperator. 229. Occiditur. Ibid.

Q

- Quæstor designatus, Quæstor absolutè dictus. 25.
- Quadratus & Aristides quò annò Apologiam scripserint. 114.

R

- S. Romanus occiditur. 91.
- Reliquiæ in Decennialibus translatae. 120. S. Eustachii. 295. SS. Andreae, Timothei, & Lucae. 303. S. Timothei. 256. SS. Andreae, & Lucae. 257. Josephi filii Jacob & Zachariæ patris S. Joannis Baptistæ. 280. S. Samuelis. 120. S. Stephani Protomartyris. 280. S. Chrysostomi. 286.
- An Reliquiarum translatio die dominicâ fieret. P. N. XXIII.
- Romæ mœnia amplificata. 375. & 380.
- Romanus filius Constantini Porphyrogeniti imperat. 363.
- Romanus Lecapenus fit custos Imperii. 363.
- Rusticus quando Episcopus Narbonensis creatus. 322.

S

- Samson Abbas Cordubensis quò tempore floruit. 369.
- Sejanus occiditur. 199.
- Sergius fit Patriarcha Constantinopolis. 343.
- Severi dies natalis. 32. Dicitur Cæsar. 427. Fit Imperator. 220. Quò annò

INDEX RERUM.

- annò persecutionem in Christianos movit. 110. & 222. rursùs persequitur Christianos. 224. Obiit. 225. Dies emortualis. 32.
 Sibyllini libri. 374.
 Quò annò Sidonius Arvernensis Episcopus factus. P. N. XXXI.
 Socrates quò annò finierit Historiam. P. N. XXX.
 Sozomenus quò annò Historiam scripserit. P. N. XXXVI. Quò annò finierit. n. XXX.
 Stauracius imperat. 359.
 S. Symphorianus quò annò martyrium subiit. 381.
 Quò annò oratio de Regno à Synesio dicta. 143.

T

- T**Acitus fit Imperator. 234. Obiit. Ibid.
 Tempus Concilii Tyri. P. N. XXIV.
 Temporum intervalla quomoddò ab Antiquis numerata. 20.
 Tertullianus quò annò Apologiam ediderit. 117.
 Theodora Imperium regit. 359. Relegatur. 360.
 A quo anno Historia Theodoretì incipit & desinit. P. N. XXXIII. quò annò eam scripserit. n. XXXVI.
 Dies & annus emortualis Theodorici Italiæ Regis. 97. duplex ejus Epocha. P. N. XXXX. & 97.
 Quò annò Theodorus Mopsuestiæ Episcopus obiit. P. N. XXXIV.
 Theodorus Papa quò annò sedere cœperit. 346.
 Theodosius M. fit Imperator. 261. Obiit. 266.
 Theodosius Junior fit Augustus. 278. Succedit patri. 279. Obiit. 287.
 Theodosius tributorum exactor Artemio in Imperio succedit. 353. Deponitur. Ibid.
 Theophilus imperat. 359. Obiit. Ibidem.
 Quò annò Theodotus Antiochiæ Episcopus obierit. P. N. XXXIV.
 Thermæ in Decennialibus ædificatæ, aut dedicatæ Diocletianæ. 148. & 238. Neronianæ. 203. Commodianæ. 219. Alexandrinæ. 228. Maximianæ. 238. Constantianæ. 254. Carosianæ. 260. Arcadianæ. 266. Theodosianæ. 284. Achilleæ. 286.
 Thomas fit Patriarcha Constantinopolis. 342. Obiit. 343.
 Quò annò & die Tiberius Collega Imperii dictus. 19. 20. & 22. Ejus adoptio explicata. 29. & 195. Decennalia ejus Imperii Proconsularis 152. Quindecennalia ejus Imperii Proconsularis. P. N. XIII. Tribunitia potestas illi data. 85. Obiit. 19. & 200.
 Tiberius Constantinus fit Cæsar. 333. 334. & 335. Anni ejus à Cæsarea dignitate numerati. 335. Ejus Consulatus. P. N. XXXIV. Justi-

INDEX RERUM.

- no Juniori succedit. 334. Obit. 336.
 Titus Consul absolutè dictus, licet tantùm designatus esset. 10. Imperat. 204. Obit. 205.
 Trabea aliis quàm Consulibus concessa. P.N. XXVI.
 Trajanus fit Augustus. 207. Fit Collega Imperii. Ibid. Persequitur Christianos. Ibid. & 110. Obit. 208.
 Ornamenta triumphalia privatis concessa. 73.
 Discrimen inter Triumphum Persicum, aliosque. 178.
 Tyrannorum Consulatus. 74. & 81.

V

- V** Alens fit Imperator. 258.
 Valeriani tres. 46.
 Valerianus imperat. 232. capitur à Persis, & quò annò. 179. Quot annis imperavit. 180.
 Valerianus Gallieni frater, quando Cæsar & Augustus dictus. 32. & 53. Illius Consulatus susceptus. 41. & seqq.
 Valentinianus senior fit Imperator. 258. Obit. 260.
 Valentinianus II. fit Imp. 260. Occiditur. 265. Alius à Valentiniano filio Valentis. 259. & 261.
 Valentinianus III. fit Cæsar. 282. Augustus 283. Occiditur. 288.
 Vvalid aracenorum Princeps. 355.
 Varroniani Consulatus & mors. 258.
 Veri postea Imperatoris adoptio. 24. Fit Cæsar. 213. Imperator. 214. Triumphat. 216. Obit. 217.
 Vespasianus Consul absolutè dictus, licet tantùm designatus esset. 10. imperat. 203. Obit. 204.
 Verranio dicitur Imp. 255. ab Imperio exturbatur. Ibid.
 Ara victoriæ posita ab Augusto 23. sublata. 257.
 Aram victoriæ restituendam petit Symmachus. 262.
 Consules nunquam dicti Viceconsules. 323.
 Vindex Imperium in Galliis arripit. 38.
 Viri eximii à Græcis Consules dicti. 71.
 Vitellius imperat. 203. Ejus emortualis dies. P. N. XIX.
 Volusianus imperat. 232. Occiditur. Ibid.
 Vota in Decennialibus & id genus festis acta. 86. & seqq. Initio Imperii semper vota ab Imperatoribus nuncupata. 96.
 Urbes ædificatæ in Quinquennialibus & id genus festis. Cyrcæ 143. Nicopolis. 144. Constantinopolis. 145. Civitates Asiæ restitutæ. 198.
Ælia,

INDEX RERUM.

Ælia. 211. Philippolis. 231. Drepanum. 251. Arcadiopolis. 278. nova
 urbs Antiochiæ. 235. Seleucia amplificata. 254. Antaradum. Con-
 stantia dicta. Ibid.

Z

Zeno fit Imperator. 292. Obit. 295.
 Zenobia quò annò ab Aureliano capta. 375. 378. & 379. Quor-
 annis regnavit. 378. Quò annò in triumphum ducta. 379.

FINIS.

Errata.

Pag. 11.	Lig. 27.	Patre.
P. 14.	l. 7.	scriptionibus.
P. 15.	l. penult.	acquirebant.
P. 34.	l. 29.	Crispis.
P. 38.	l. 33.	Gallis
P. 39.	l. 10.	valle
P. 40.	l. 22.	existimabam
P. 41.	l. 10.	tertio.
P. 42.	l. 34.	Publicus.
P. 52.	l. 27.	Valero
P. 60.	l. 1.	sunt.
P. 71.	l. 2.	vir temporibus.
P. 72.	l. 35.	nupras
P. cad.	l. 37.	Mommez.
P. 74.	l. 10.	anno 424.
P. 79.	l. 33.	qui addit eam dignitatem ab eodem Constantino in- ventam.
p. 90.	l. 14.	mentis
p. 92.	l. 21.	vir
p. 96.	l. 7.	demonstrat.
p. 106.	l. 9.	anno 303.
p. 108.	l. 10.	officiis
p. 111.	l. 8.	Tricennalia
p. 133.	l. 19.	Quincennalia
p. 141.	l. 21.	sed

Corrige.

Patre IV.
Inscriptionibus.
acquirebant.
Crispi.
Gallia.
valde
existimabam quos
dele
Publius
Balero.
sunt eodem anno.
temporibus vir.
nuptias
Mammez.
anno 423.
dele hac omnia verba.
mensis.
viri.
demonstrat.
anno 304.
officii.
Quinta Quinquennalia.
Quindecennalia.
sed.

p. 146. l. 14.
p. 149. l. 34.
p. 150. l. antepenult.
p. 155. l. 8.
p. cad. l. 19.
p. 157. l. 33.
p. 159. l. 37.
p. 176. l. 19.
p. 182. l. 23.
p. 189. l. antepenult.
p. 200. l. 34.
p. 201. l. 16.
p. 202. l. antepenult.
p. cad. l. ult.
p. 205. l. 4.
p. 213. l. 24.
p. cad. l. antepenult.
p. 220. l. 8.
p. 221. l. 28.
p. 224. l. penultima.

p. 230. l. antepenult.
p. 252. l. 36.
p. 245. columna 2. l. 7.
p. 247. columna 1. l. 22.
p. 249. l. 3.
p. 251. l. antepenult.
p. 257. l. 19.
p. 262. l. 1.
p. 265. l. 9.
p. 282. l. ult.
p. 285. l. 20.
p. 291. l. 12.


p. 327. l. 19.
p. 365. l. 4.
p. 369. l. 7.
p. 377. l. 3.


Incoenia.
Oto
Affligio
anno 184.
ante diem
Orisius
præferres
Astatem
Constantinum
spectandosque
viceſimus
58.
Gabinus
Virginus
menſibus
his annis ab anno.
notatim.
Commodi
Quinquennialia,

hic enim
fuſè
juxta II.
Galerius Maximinus.
proceſſere
Augusti
XV. Februarii
Syagrius II.
Neoterius
ſeptennis
Annochus

Imperatorem
Nicolai
hæc illæ
cauæ

Enceenia
Occo
effigie
anno 184.
poſt diem
Oroſius
præferret.
Æſtatem
Conſtarium
ſpectatoſque
viceſimus quintus
48.
Sabinus
Verginius
adde anticipaſſe
hic ab anno
notatam
dele
adde poſterioris Imperii.
dele hæc verba. Longè tamen ~~ext.~~
uſque ad finem pagina.
Hic enim
fuſè ſupra,
juxta III.
Galerium Maximinum.
adde annis ſequentibus.
Cæſaris.
XIV. Februarii.
dele II.
Neoterius,
quinquennis
Antiochus.
dele hæc verba, ante menſem. Sep-
tembrem, quo illud incendium
ortum.
Conſulem
Benedicti III.
Hæc ille.
jam.





106

